Antiquitatum Romanorum libri quatuor. Quibus continentur res sacrae, civiles, militares, domesticae ... / [Henricus Kipping].

Contributors

Kipping, Henricus, approximately 1623-1678.
Havichorst, Johann, active 16th century
Aa, Pieter van der, 1659-1733

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Petrum Vander Aa, 1713.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/ajpvhzvr

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

21167/B

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30516511




HENRICUS
KIPPINGIUS


S.P.Q.R.
ROMA FELIX
HENRICI KIPPINGII
ANTIQUITATES
ROMANÆ,
Emendatius editæ
Figuris et notulis illustratæ
ac
Rariora quædam
I. LIPSII OPUSCULA

HENRICI KIPPINGII

L. A. M. & Philosophiæ Doctoris

ANTIQUITATUM ROMANARUM

LIBRI QUATUOR.

Quibus continentur

RES SACRÆ, CIVILES, MILITARES, DOMESTICÆ.

Loca plurima Sacrarum Literarum & Celebrium Auctorum exponuntur, defenduntur, corriguntur; & multa in Theologicis & Philosophicis controversa accurate deciduntur.

Editio novissima & multo studio passim emendata,

Cui accesserunt

Vita Kippingii, Elenchus Librorum ab ipso editorum, Notæ quædam Viri docti, Figuræ ex antiquis Monumentis selectissimæ, &

JUSTI LIPSII OPUSCULA RARIORA,

quæ in Corpore reliquorum ejus Operum non extant,

Cum duobus Indicibus Auctorum Rerumque, altero recenti, altero auctiore.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud **PETRUM VANDER Aa,**

M D CC XIII.

304107

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



AMPLISSIMO, NOBILISSIMO,
CONSULTISSIMO VIRO,

DOMINO

D. JOHANNI a STETTEN

Reipublicæ Auguſtanæ Senatori, Judicii Civilis Præſidi, Rei Tributariæ Præfecto

S. P. D.
PETRUS vander AA.

SI ulla unquam res momentum aliquod attulit ad fovendum amicitiæ vinculum, quo inter ſe animi non in præſens modo tempus, ſed in futurum quoque arcto

commercio colligantur: eam ſtudiorum prærogativam, qua quæcunque inter aliquos illorum occaſione familiaritas contrahitur, indiſſolubilis evadit, dudum ſummi eorum amatores prædicavere non ſine præclara mentione hujus laudis, quam nullus, etiam qui ab limine ea ſalutavit, iis præripere audebit. Cujus eximiam plane ſenſi probationem ab illo tempore, quo in urbem noſtram ſeceſſiſti, ut amœno ejus diverticulo captus ſtudiis operam præſtares. Neque enim auſpiciis tam dubiis cœpta tunc eſt primo notitia, neque hæc in vicinam ei, ſed tamen vacillantem, (ut nimis ſæpe accidit) quæ præſentis fere ſolam rationem habet, amicitiam mutata eſt. Sed ad ejuſmodi faſtigium continuo eam extuliſti; ut, poſtquam Te Patria abſentis deſiderium non ultrà tolerans, reducem cupido amore complexa eſſet, & pro Majorum Tuorum, quorum virtutibus ſplendida Tua Familia condecoratur, meritis debitos honores in ſinum etiam Tuum effudiſſet, nunquam tamen iſtis occupationibus adeo fueris diſtrictus, quin ſæpiſſime honorifica

fica mihi & ampliora, quam me meruiſſe mihi conſcius eram, memoriæ mei teſtimonia dares. Hæc glorioſa recordatio quem non ardorem in me accendit? quem non impetum huc uſque excitavit; ut, ſi non juſto, convenienti ſaltem aliquo modo ei publice reſponderem? Id promiſſum diu in vanum traxi, donec ita res incidit, ut H. KIPPINGII *Antiquitates Romanas* typis renovatas, & prout decebat emendatas, etiam non contemnenda tum a J. LIPSIO tum ex aliis petita acceſſione illuſtratas divulgare decreverim. Obverſabatur animo, quam aſſiduo tenore & pertinaci diligentia ſtudiis hic adhæreris; certum me quotidie faciebas abſens, quanto magis ea maturiora placerent; agnoſcebam quod præſertim genus Te tangeret; ſciebam in hoc Scriptore eſſe eas delicias, a quarum guſtatione palatum Tuum non abhorrebat. Propterea promiſſorum diem, qui tot abhinc annis ceſſerat, nunc omnino veniſſe ratus, exſolvendæ fidei occaſionem alacer rapui, & diligenter ne efflueret cavere volui, qua hunc Auctorem cum inſigni Do-

ctorum applauſu ſæpius, ſed nunc maxime recuſum Amplitudini Tuæ conſecrarem, pignus certiſſimum cum Tuæ in me honoratiſſimæ benignitatis, tum meæ erga merita tua ſummæ obſervantiæ & memoriæ gratiſſimæ. Nec dubito, quin libenter hoc munus recipias, quod ſi non enormi mole tumet, eam tamen materiam ejuſque Reipublicæ deſcriptionem continet, unde & noſtra Batavia, & quicquid ubique eſt Regionum, quæ literarum cognitione incolarum ingenia expolire contendunt, ſcientiam ſe haurire debere fatentur. Itaque fauſtiſſimo augurio perpetuum Tuum amorem in hæc expertus eximie ſpondere mihi poſſum, facilem introitum fore huic emendatæ editioni in ornatiſſimum Tuum Muſeum, & mihi excellens amicitiæ favoriſque Tui decus ſine impedimento continuatum iri. Quod ut Neſtoreos in annos propagare, Teque Reipublicæ veſtræ commodo ſervare diu velit Deus, ardentibus votis opto.

Dabam Lugd. Batav. a. d.
VI. Id. Jul. MDCCXII.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM BENEVOLUM
DE HAC ULTIMA EDITIONE.

DUm tibi nova exhibetur hujus libri editio, ſi eodem momento novum fere opus e noſtra officina dimitti aſſeverantibus credas, non eſt quod mireris. Debet enim novitas ejus neceſſario ferire oculum, quia tantum invenies diſcrimen primo intuitu, & hujus collatione cum iis, quæ præceſſerunt editionibus. Verum ut pro reliquo conatu, qui in Auctorem noſtrum impenſus eſt, iſta quoque moleſtia tollatur, quam fieri poteſt breviſſime, quid ad inſtaurandum editionis nitorem præſtitum ſit, exponemus; ut eo pacto tuæ æquitati permittatur integrum ſtatuendi arbitrium, an hic labor operæ pretium habiturus ſit; de ipſo Auctoris inſtituto non adeo ſolliciti, quippe cujus rationem ſatis dilucide in ſua Præfatione reddidit. Id autem tanto minus attingere neceſſe erit, quum quantum erudito Orbi hoc opus placuerit, teſtentur ſepties iteratæ editiones, ex quo prima Anno CIↃDC LXI *in lucem prodiit. Hoc ſatis valido teſtimonio perſuaſi comparato ut moris eſt impreſſionis jure, hanc Editionem aggreſſi ſumus ea forma, qua hodie plerumque Auctores antiquos variis Virorum doctorum notis inſtructos emitti videmus. Qui convenientiſſimus modus viſus eſt, quo hic liber tanquam aſſecla & comes juventuti tradatur, cujus*

prævio ductu, dum primis doctrinæ incrementis operam dat, paulatim exercitata & firmata ſe mox ad altiora & magis ardua, Academica nimirum ſtudia commodius erigeret. Ea enim libri indoles eſt, ut inter tot Compendia, quæ Romanarum Antiquitatum expoſitionem pollicentur, eam laudem mereatur, qua ſive eorum manibus verſetur, qui ſtudia amant, quibus tamen ingentia ejus materiæ volumina excutere nec vacat, nec comparare commodum eſt, eos nunquam niſi doctiores dimittet; ſive in ſcholaſticam juventutem incidat, facilem iis ad vetuſtatis intellectum viam aperiet: præſertim ſi inter præmiorum donationes, quibus diſcipulorum curſum benigne incitare ſcholarum Curatores & Præfecti ſolent, etiam hoc munere uti velint.

Sed ne in hoc excurſu ſimus nimii, admonet ordo; ut ad ea, quorum mentio facta eſt, recenſenda pergamus. Primum itaque curriculum, in quo ſe exercere debuit induſtria, emendatio textus, qui antea fœdis frequentibuſque ſive operarum, ſive cujuſcunque culpa contractis vitiis ſcatebat, conſumſit.

Proximum fuit Auctorum tam veterum quam recentiorum nomina redintegrare, & cuique propriam reddere appellationem. Turpiſſimum enim foret in tali luto ſe amplius volutare, quo obſeſſa erat ſaltem poſtrema Editio, quum occurrebant: Feſtus Pomponius, Marcus Tyrius, Antonius Cæſar, *& quæ ejus generis erant plura.*

Exceperunt iſtam fatigationem hiantes & vitioſæ locorum citationes, quæ nunc partim ſunt repletæ, partim medicam ſunt paſſæ manum, quatenus earum vitia nobis obvia fuerunt, quum facile confidamus neminem fore adeo iniquum, ut in tanta

ta multitudine omnium collationem exigat. Ejus rei exempla ſunt in pag. 1. *ubi erat* Heſiodus in Theogonia. *Pag.* 111. vocat Lucretius lib. 4. carm. 19. *inſigni hiatu pro* Lucretius lib. IV. de rer. Nat. & Horatius lib. IV. carm. *Pag.* 176. Cicero Actione 4. in Verrem, *quaſi plures quam duæ ſint Ciceronis in Verrem Actiones pro* lib. IV. in Verrem cap. 43. *Et tamen ſic rurſus pag.* 347. Cicero Act. 7. Verrin. *& deinde ſimiliter pag.* 542. Cicero Action. 2. Catilinæ. *Rurſus pag.* 348. Pomponius titulo de origine urbis. *Pag.* 352. Maccabæorum cap. XIII. *pro* cap. VIII. *Pag.* 473. Horatius lib. V. carm. 5. *pro* carm. 9. *Pag.* 508. Pſalm. 104. 15. Terque lavet &c. *ubi omiſſum erat* Propertii *nomen. Pag.* 522. Pollux lib. Onomaſt. *pro* lib. VI. *Pag.* 524. Propertius lib. III. Epigram. 12. *Pag.* 529. Cujacius lib. Obſervat. *pro* lib. X. *Pag.* 564. διδόμενος ὀξολὸς, *ubi etiam aliqua exciderant*, ὀξολός. Meminerunt Ariſtophanes in Ranis & Lucianus περὶ π. *Pag.* 570. apud Terentium Act. 1. ſc. 1. *ubi deerat comœdiæ appellatio* Andria. *Denique pag.* 575. Ovidius Epig. 15.

Sequuntur ipſa loca citata, quæ fideliter ſunt emendata, prout erant pag. 12. Lucinam Nixaſque pares. *Pag.* 13. Tactaque naſcendi corpus haberet humus. *Pag.* 29. Humidulis ſpumas ſtringit utraque comas. *Pag.* 480. Utque eo magis conſpicua forent, locis figebantur, *ubi aberant*, forent, in eminentioribus l. f. *Pag.* 524. *inepte citabantur Ovidii verſus:*

Tu male jactato, tu bene jacta dato.
Seu jacies talos, victam ne pœna ſequatur,

Damno ſi tacito ſtent tibi ſæpe canes.

Et rurſus pari vitio Martialis pag. 552.

Longa ſatis nunc ſum, dulci ſed pondere venter
Si tumeam, fiam nunc tibi zona brevis.

Quum Poëta non ventrem, ſed zonam loquentem fingat. Præſertim vero Inſcriptiones ſunt inſtauratæ, quarum copia tædioſam ſphalmatum enumerationem fecit. Sed quum eædem vel æquali vel eodem charactere eſſent expreſſæ, eas nunc majori litterarum forma conſpicuas & accurate juxta Gruterum deſcriptas invenies. Ut taceamus exactam verſuum ordinationem, qui hic eo ſitu, prout metri ratio requirebat, collocati, eorumque fragmenta lineolis ſunt ſignata.

Denique vitata priori deformitate, qua laudatorum Scriptorum nomina & loca nunc eadem nunc diverſa typorum figura negligenter expreſſa erant, id cum cura actum eſt, ut ſingula pro cujuſque ſitu & ordine diſtincta prodirent. Quod ut efficeretur commodius, laudatos libros & capita, ne Lectorem nimis morarentur, in infimas paginas deducere optimum viſum eſt.

Porro quum multa eſſet ſuſpicio vix paucis placere poſſe tam ingratam & confuſam rerum ſeriem, qua Auctor longe a ſe divulſam reliquerat expoſitionem de Conſecratione Principum, *& libro primo adjunctis Herodiani verbis, ea demum poſt libri* II. *finem notis explicuerat; & in eodem libro* I. *præſertim injecta mentione* de Bileamo ejuſque Prædictionibus, *earum tamen elucidationem ad totius operis calcem, una cum duabus Diſſertationibus, quæ ad librum* III. *proprie pertinebant, diſtule-*

tulerat : id nobis licere putavimus , ut ſingula ad ſuos locos reduceremus , quo juſta fieret & conſequens libri totius ordinatio , mutatis tamen pariter citationibus , quæ ad has partes reſpiciebant , ſimulque minori charactere deſcriptis iis Notis.

Verum ut jam tranſeamus ab his , quæ ſanum ſuccum in affecto corpore reſtituerunt , & ad ea , quæ ad exterioris formæ ornatum contulerunt , progrediamur , celebranda hic imprimis eſt eruditiſſimi Viri Alexandri Dukeri *facilitas , qua ex ſuo exemplari communicare nobiſcum voluit Viri docti Excerpta quædam , quæ grato animo hujus editionis paginis ſubjecta ſunt. Quinetiam dum omni cum cura elegantiam Auctori noſtro conquirimus , etiam id ſuccurrit huic ſæculo ſatis conſtare , nihil huic ſcriptionis generi magis conducere & promptiorem intellectum conciliare , quam ſi verbis deſcriptæ res oculis adſpiciantur , & ideo per univerſum opus , ubi neceſsitas poſtulabat , depicta Antiquitatis monumenta ex fidelibus Virorum doctorum Commentariis ſumma cum diligentia ſelecta diſperſimus , adjecto ſimul certo unde ſint hauſta indicio , quod quaſi tacitam admonitionem ſubjicit , quo tendere debeas , ſi forſan perſequendæ ulterius ſecundum hunc Hermetem materiæ cura ſubeat. Quod ut de omnibus figuris æquabiliter habeas , ſcies Oſirim pag.* 125. *ſic expreſſiſſe Al. Donatum* l. 1. de urbe Roma c. 22. *Jani templum ſed quadrifrontis pag.* 167. *præbere Nardinium* l. III. Rom. vet. c. 14. *Herculis ædem pag.* 169. *exhibere Al. Donatum* l. II. de Urbe Roma c. 25. *Lupæ Romulum Remumque lactantis effigiem pag.* 322. *videri in ænea ſtatua apud B. Marlianum* l. II. To-

pogr.

pogr. Urb. Rom. c. 9. *Circi formam pag.* 368. *quæ, ut magis perſpicua eſſet, a circo Flaminio ſumpta eſt, huc traductam ex Al. Donato* l. III. de Urbe Rom. c. 14.

Porro ſi in veſtibulo parumper conſiſtis, cum voluptate adſpicies Auctoris Iconem exacte delineatam; & mox poſt hanc Præfationem ejuſdem Vitam leges, quam humanitate V. C. Johannis Havighorſt V. D. M. &c. *traditam & conſcriptam exhibemus. Huic additus eſt Scriptorum, quæ ab eo ſunt compoſita, Elenchus juxta ſeriem annorum, quibus ſingula prodierunt, editioneſque iterum vel ſæpius repetitæ ſunt. Deinceps hic repoſita eſt Auctoris Dedicatio, quam ſequitur totius libri conſpectus Indice capitum comprehenſus. Et ſi ad poſticam partem tranſilias, nulla invenies Omiſſa, quæ priores editiones inepte hic concludebant, ſed nunc demum ſuis locis apte ſunt inſerta.*

Sic autem luſtrato Kippingio, quum coronidem operi imponere pararemus, ſuadente Viro Clariſſimo ſubjecimus J. Lipſii tractatus VII. *quorum primus eſt* De veterum Latinorum Scriptura, II. De re Pecuniaria veterum Romanorum, III. De Nominibus Romanorum, IV. De ritu Conviviorum apud Romanos, V. De Cenſura & Cenſu, VI. De Anno, deque ejus diverſitate: Item ratione intercalandi, VII. De Crucis ſupplicio apud Romanos uſitato. *Quæ Opuſcula quum raro occurrerent, nec in voluminibus reliquorum ejus Operum invenirentur, tibi frequentiorem eorum uſum mire gratum fore credidimus, quæ idcirco in fine adjecimus. Denique occurrunt duo Indices in utriuſque Auctoris ſcripta abunde inſtructi, Auctorum*

rum prior & nunc compoſitus, rerum alter magis auctus. Prior vero imprimis erat neceſſarius, ut & ſtatim cognoſceretur, quibus teſtimoniis nitantur hæ Antiquitates, & hoc duce uti queat juventus, ſi facili methodo diſcere cupiat, quæ materiæ a quibus collectæ & commentariis illuſtratæ ſint; & viciſſim.

Reddita eſt operæ ratio, quæ nemini non æquo rerum æſtimatori arridere debet. Utique talia adminicula huc collata ſunt, quæ præli fervorem iterum merebantur. Eo enim allicere videbatur, quo minus nec laborem ſubterfugeremus, nec impenſis parceremus, diverſa quam alii uſi ſunt, & ſingularis in exponendis hiſce Antiquitatibus Auctoris ratio, qua non jejune agrum ſuum colit, & centies dicta vel ſatis clare expoſita repetit, idque ex iiſdem ſemper fontibus, Romanæ, inquam, hiſtoriæ Scriptoribus. Aberrare ab tam trita ſemita mavult & ad remota diverticula ſe conferre, ut ſimul cum Antiquitatibus Sacrorum Oraculorum fontem & Juriſconſultorum ſubtilitates non leviter attingat, & præcipue Poetarum obſcuritates, quibus ad iſtos ritus alludunt, paſſim illuſtret. Talis quum ſit inſtituti ejus ratio, & quum tam diffuſam rerum ſeriem tractet, etiam perſuaſi ſumus te libenter ei condonaturum hæc paucula, quæ feſtinanti ejus calamo, perinde ut ſummis quandoque Viris contigit, exciderunt; quæ ut ingenue agamus te celare noluimus. Ejus generis eſt, quod lib. 1. cap. 12. diſt. 15. *Peucerum ait lapſu memoriæ Tarquinium Priſcum, ad quem Sibylla venit, nominare pro Tarquinio Superbo, quum tamen etiam Lactantius in hac hiſtoria Priſcum agnoſcat, quem*

ideo

ideo Peucerus ſequi videtur. Similiter eodem cap. diſt. 17. *ex verbis Joſephi vertit* ἐπικαλυψάμενος velata facie, *quum iſtud verbum de facie nihil ſignificet. Sed Græca clare ſcribunt* τῷ περιβλήματι τὸ πλέον τῆς κεφαλῆς ἐπικαλυψάμενος, veſte plurimam partem capitis obtegens. *Et caput ſolum ſacrificantis tectum erat, ut ipſe notat* cap. 9. diſt. 8. *Rurſus* lib. 11. cap. 1. diſt. 3. *cives Romanos divi-dit in* Senatores, Equites & Plebeios, *& priorum duorum ordinum cives facit* Patricios. *Deinde pergit*, Equites iidem qui Nobiles, videlicet Primores viri claris natalibus orti *&c. Et tamen ex proprio Romanæ reipublicæ inſtituto diſcimus nec Patricios ſe eo uſque extendiſſe, nec Nobiles ad Equeſtrem proprie ordinem pertinuiſſe. Nihilominus in eadem diviſione perſeverat* diſt. 5. *& ſic agit quaſi Nobiles ab Patriciis diſcreti peculiarem ordinem habuerint. Rurſus* cap. 3. diſt. 7. *de Prætoribus loquens ſcribit :* Edicta ſua inſcribebant albo, ut facilius innoteſcerent, id eſt, tabulæ nigræ cretatis litteris. *Sed* cap. 8. diſt. 12. *contraria vice*, quomodo titulos & tabellas dealbatas, inde calamo & atramento inſcriptas palam affigebant Græci & Romani, ac illi quidem λεύκωμα vocabant, hi vero *Album. Vides hanc veram, priorem vero Albi deſcriptionem magis hodiernæ conſuetudini quam antiquo mori convenientem. Rurſus* cap. 4. diſt. 1. *ait :* De Veſpaſiano memorat Suetonius, *eum notis excipere velociſſime ſolitum* lib. 10. cap. 3. *At Suetonius id narrat de Tito* in ejus Vita cap. 3. *Rurſus* cap. 6. diſt. 9. *ait :* Laniſta producebat ſervos pœnæ, id eſt bello captos, vel ob delictum ad gladii

ludum

ludum damnatos, *ubi primam explicationem minime congruam esse apparet. Rursus* lib. III. cap. 7. dist. 4. *scribit:* Ramum lauri protensum dextra, sinistra eburneum sceptrum tenentes, in curru obaurato sedebant. *Quum ut ibi notatum est, triumphator in curru suo semper staret. Denique* lib. IV. cap. 5. dist. 15. *scribit:* Tibialia nulla habebant, tantum quod milites illa induerent, & vocabant *caligas. Nec tamen milites gestarunt tibialia, nec caligas quisquam Antiquorum Scriptorum sic vocavit. Multo minus vel Proceres solum vel Pompejus Magnus tales fascias pro ornatu sumpserunt, ut erudite docet Casaubonus ibi quoque citatus.*

Habes, benevole Lector, specimina quædam, ex quibus intelligis, quemadmodum hæ Antiquitates illustrari amplius possint. Neque enim atra bile furentes esse oportet, qui hæc studia tractant, ut ab his animadversionibus in effrænatam iracundiam ruant; quin potius tantum abest, ut hinc quodammodo contemnendus videatur sive noster sive alius quispiam, ut tanto magis amari defuncti debeant, quod tam multa a se improbo labore explicita & congregata tradiderunt, quo facilius ad eorum intellectum, in quibus ipsi hæsitavere, posteri pertingerent. Hæc tecum agenda erant, benevole Lector. Nam quid præter ea quæ commemoravimus, in hac editione emendatum vel additum sit, si priores editiones huic nostræ comparentur, non difficulter innotescet. Tu interea his laboribus prout commodum est utere, sed faventi animo, & vale.

HENRICI KIPPINGII
VITA

Auctore V. Cl. Johanne Havighorſt *V. D. M. in illuſtri Bremenſium Gymnaſio Eloquentiæ Profeſſore Ordinario, Reipublicæ Patriæ Bibliothecario & Pædagogearcha.*

HEnricus Kippingius mira expertus fuit fata. Muſis enim deſtinatum, ex ipſis earum velut caſtris Mars rapuerat, ac tantùm non ſibi vindicaverat. Creatus jam Roſtochii liberalium artium Magiſter, ſeu Philoſophiæ Doctor, in itinere intercipitur à militibus, qui eum ſua ſequi ſigna cogunt. Sed, nec lituorum, nec tubarum clangor, nec ulla belli incommoda, animum ipſius mutare, nec à ſtudiis avocare potuerunt. Inter armorum enim ſtrepitus ſemper optimorum Autorum lectione delectabatur. Atque cùm fortè Stadæ, quæ urbs eſt Ducatûs Bremenſis, excubias ageret, vidit eum Illuſtris atque Excellentiſſimus Dominus Alexander ab Erskein, Regiæ Suecicæ Majeſtatis Conſiliarius, altera manu arma, altera librum (is autem erat Statius) tenentem, captuſque rei novitate hominem ad ſe venire juſſit. Statim verò cognita ejus eruditione, miratus inuſitatam docti hujus militis modeſtiam, eundem Bibliothecæ Suæ, quam habebat inſtructiſſimam atque exquiſitiſſimam, præfecit. Cujus uſu cùm indies doctior evaderet, Conrectoratum etiam Athenæi Suecici, quod Bremæ eſt ad ædem Divi Petri, obtinuit. Hîc non ſolùm ſolida Juventutis inſtitutione, ſed va-

variis etiam eruditiſſimis ſcriptis innotuit. In eorum numero ſunt, *Additamenta ad Pappi hiſtoriam*, *Diſſertationes* plurimæ *Politicæ*, aliæque *Philoſophicæ*, *Jus publicum*, &, ut eriſticos ejus libros taceam, *Antiquitates* illæ *Romanæ*, quibus vel ſolis demonſtravit, quantum uſu Erskenianæ Bibliothecæ profeciſſet. Vir fuit, non eruditus ſolùm, ſed & probus atque modeſtus. Obiit Bremæ, anno ſuperioris ſeculi LXXVIII. die 26 Februarii, in ipſo Auditorio Scholaſtico apoplexiâ correptus, exſpiranſque in cathedrâ, magnum Auditoribus ſuis, imò & Literatis omnibus, ſui deſiderium reliquit. Nominis quidem memoriam, cùm cœlebs vixerit, nulli propagant liberi, ſed conſcripti ab ipſo libri, ætatem, ut merentur, ferentes, æternæ ipſum Autorem poſterorum commendabunt memoriæ.

ELENCHUS LIBRORUM

a

KIPPINGIO

conſcriptorum, juxta annorum quibus editi ſunt, ſeriem.

H. Kippingii *Antiquitatum Romanarum Selectarum Recenſus novus*, 8. *Bremæ* 1661. 1664. 1668. 1674. 1679. *Franeq.* 1685. 1695.

—— *Recenſus Hiſtoriæ Univerſalis Sacræ & Profanæ*, 4. *Bremæ* 1661. 1665.

—— *ad Epitomen Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Joh. Pappi Auctaria*, 8. *Jenæ* 1662.

—— *Exercitationes de Scriptura Sacra* 12. *Francof.* 1665.

—— *Exercitationes Sacræ de Creatione & Statu primi Hominis*, 12. *Bremæ* 1665. 4. *Franc.* 1672.

—— *Exercitationes de Scriptura Sacra V. & N. T.* 12. *Bremæ* 1667.

—— *Inſtitutiones Politicæ*, 4. *Francof.* 1667.

—— *Inſtitutiones Phyſicæ*, 4. *Francof.* 1667.

—— *Notæ & Animadverſiones in Aubrii Prætenſiones Gallicas*, 12. *Bremæ* 1668.

—— *Buſtum Iorriſticum*, 12. *Bremæ* 1668.

—— *Liber ſingularis de Cruce & Cruciariis in Exercitat.* XXXV. 12. *Bremæ* 1669.

—— *Inſtitutiones Ethicæ methodicæ*, 12. *Bremæ* 1670.

----- *In-*

—— *Institutiones Physicæ methodicæ*, 4. *Bremæ* 1670.

—— *Responsum novum*, 12. *Bremæ*.

—— *de Cruce & Cruciariis*, 12. *Bremæ* 1671.

—— *Nova Methodus Juris Publici*, 12. *Bremæ* 1672.

—— *Institutiones Politicæ, Pneumaticæ & de Creatione*, 8. *Bremæ* 1672. *& cum Dialectica ac Metaphys.* 8. *ibid. & Francof.* 1674.

Magnifico & Nobiliſſimo

D. DANIELI NICOLAI U.J.D.

& Regio Cancellario Regiminis in Ducatibus Bremenſi ac Verdenſi.

Admodum Reverendo & Ampliſſimo

D. MICHAELI HAVEMANNO

Regio Superintendenti Generali.

Admodum Reverendo & Ampliſſimo

D. DANIELI LUDEMANNO

S. S. Theol. D. Regio Conſiſtoriali & Superintendenti in diſtrictu Bremenſi.

Reverendo & Ampliſſimo

D. MICHAELI LUDOVICI

Regio Conſiſtoriali & Superintendenti Caſtrenſi.

Dominis Patronis ſuis.

FELICIA OMNIA!

QUatuor libros Antiquitatum verarum, id eſt, Romanarum ſtudio atque induſtriâ meâ deſcriptos, VOBIS totidem Patronis meis, inſcribo, & perpetuæ obſervantiæ indigitamentum LIBENS. MERITO. D. D. CONS. Utinam majus aliquod vel ſpecioſius munus! Nec Patronis ſolum meis, verum quoque Scholæ ejus,

Cujus pars magna fui

hactenus, & velit illa ſub patrocinio veſtro perennare, ne Sycophantarum morſibus in periculum aliquod adducatur. Tantò felicius â Vobis petuntur iſta, quantò manifeſtius conſtat, & Religionis Veræ & Virtutis & Doctrinæ amore ſincero Vos omnes flagrare, quoſdam libris

bris insuper editis excolere illud ἓξ Διὸς πεδίον, ut nunquam mutare velitis prolixum affectum ergà Literas amœniores, & harum Consecranios. Sunt inter Vos, & quis nescit, quandò apud omnes ingenuè profiteor, quorum beneficia in me summa, non ab uno anno, sed â plurimis, qui fontem benignitatis ultrò reseraverunt, ut flumine velut irrorarer. DIVI ejus exemplo, quem Regis ministrum fidum, omnibus nobis insigniter notum, humani generis delicias, abstulit inexorabile Fatum, & pro maximis ejus meritis immortalibus Cœlorum præmiis clementissimè exornavit DEUS. Nec ista in gratiam aut gloriam. DEO soli & humanitatis usibus imputatis, ac fructum beneficii censetis unum, feciſſe. Ad demerenda illa, mihi quidem præter sterilem obsequii voluntatem nihil relictum est. Voluntatem tamen memoriâ eximii favoris ardentem, ad omnia officia paratam, quam nec depositurus sum, tunc, credo, cum avulsus ab hoc corpore animus in æternis illis locis erit. Quæso ut ità censeatis, & ejus obnoxii addictique testes ac velut obsides, hos libellos capiatis: si molis pugillo mensurentur, fortè precii exigui, rerum tamen arbitrio majores, â quibus precium aliquod Fama, non semper mala, nisi à malis autoribus, (quos spernendo sperno) conciliabit. Servet Vos DEUS longævos. Scripsi Bremæ ê Collegio Regio ad D. Petri. Die III. Augusti M. DC. LXIII.

VESTER

Obsequiosus Cliens

M. HENRICUS KIPPING.

HENRICUS KIPPINGIUS
LECTORI
BENEVOLO SALUTEM.

COeperam *ante aliquot annos in varia Poëtarum omnium antiqui ævi, eaque obſcuriora loca Animadverſiones diffuſas conſcribere. Erat conſilium, quando nimis ſemper deditus fui Veterum ſtudioſæ lectioni, pro memoriæ ſubſidio conari ita, ne fugitiva oblivio eas mihi ſubduceret. Interea factum eſt, ut quando non licebat pertexere ſingula & omnia, ſtaret calamus cæterum alacris, verum injuriæ temporum obnoxius, & quis ignorat, has manſuetiores literas ſeceſſum ſcribentis & ocia uberrima quærere, tanto digniores ut illa obtineant, quod non ſint Agyrtarum nugæ impoſtoriæ vel Silenorum oblongi pili? Eſſe hoc ſeculo, qui vanis potius occupent operam ſuam hariolationibus, aut lucroſis nugis, palam eſt, olim aliter erat, cum artes non ſordido quidem lucro, ſed honeſto ſplendore metiebantur Viri docti. Nec hodie deſunt, tantum quod ubique locorum non ſunt, poſtquam optimis etiam connivere allubeſcit, quando Satyrorum inſanorum clamoribus fatuis & ambitioſis impares ſunt. Ne tamen perirent, in faſciculum redegi, miſcellas Diſſertationes in publicum editurus, ut quovis modo jacturam reſarcirem.* Hæ dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt, *ajebat olim Comicus de ſuis, ego verius de his Nymphis meis, & quia nec ita ſatis cohærebant, demum compoſui, ut haberent formam juſti operis,* ANTIQUITATUM ROMANARUM *titulo. Hæc indicavi, ne mireris, quod ſint ubique copioſa Poëtarum allegata. Nam hi latices ſunt a quibus promanaverunt fontes, eoque derivando Hiſtoricos ac Faſtos, in facili erat, amnem efficere, ſi non littoribus ſuis latum, ſaltem aquis profundum. Hoc volo, peperciſſe me verbis, rerum tamen haut quicquam omiſiſſe.*

Gyral-

Gyraldos & Sigonios *deſcribere nolui, contentus ita feciſſe* Roſinum, *quanquam nemo iſtorum a me neglectui habitus fuerit. Legi enim, fateor, ſed oneris inſtar duxerim, alterâ vice eoſdem relegere, adeo ſeſe diffundunt Nomenclatorum & Rhetorum more.* Dempſterus *ab ingenio deſtitutus haut erat, maximæ lectionis præſidio inſtructus, attamen melius operæ pretium facturus, ſi non tam convaſare promiſcua, quam deligere eximia voluiſſet, itaque omiſſis triariis, ignobilem volonum aciem in campum educebat. Ego Recentiorum monumenta perluſtrare cum magna animi voluptate auſus, ex novis teſtimoniis corrigo, defendo, demuto antiquos ritus rituumque teſtes. Addo ſummæ & optimæ fidei Cenſores, quos* Roſinus *ignorat prorſus,* Inſcriptiones *dico, & commodis locis aptiſſime inſero, ut vere credas,* Lector, *te legere Antiquitates, cum Antiquiſſimo ſermone & ſæpe Aboriginum fantem audis, non ſolum Italiam, ſed quoque Hiſpaniam, Galliam, Germaniam, Pannoniam, ampliſſimi ejus Imperii provincias magnas, in Columnis & Marmoribus. Numiſmata, Icones, Scalpturæ eunt ſubſidio, magno labore nec minori ſumptu conquiſitæ ſuppetiæ, ut haberes eo plura firmamenta rerum pulcherrimarum. Pulcherrimæ ſane literæ ſunt, quando & ipſe Deus voluit a Barbarorum crudeliſſimis depopulationibus non prorſus memorias illas veteres deleri, conſervavit vero, ut ingratiſſimi mortalium ſint Barbari illi muſtei, quibus iſta non placent. Adverſus illos horribile carmen pronunciamus:* QUI. VETAT. INGENIO. VALERE. BOEOTUS. ESTO. VEL. SI. MAVELIT. PHRYX. APOLLO. DIXIT. FAUNUS. VATES. APPROBAVIT. SILENUS. BARBATUS. DISSENSIT. *Verum hic foras ire juſſus, ferulaceum galericulum adducebat ſuper aures, ne apparerent eſſe Midæ, atque condemnaretur ad ergaſtula, ubi mortui boves incurſant vivos. Hactenus de opuſculi noſtri ortu & methodo, ut pariter mecum id ſcires. Quod ſupereſt, ſervavi Laurentium illam legem:* Nemo alienum quid tollat in armum. *Sciens quidem, nam*

tale quid ſi peccatum a me eſt ſine dolo, ſi onuſtior adventor ab alterius veſtibulo diſcedo, quam eo ingreſſus fui, litem aut vim fieri veto, & quiſque habeat res ſuas, dummodo mihi relinquat meas a recto judicio, cum neminis injuriâ, profectas. Reddo ſortem cum fœnore, & laudo illos, per quos profeci. Tu fruere bone Lector, & ſi quid me fefellit aut fugit, ſit venia. Nemo ita ingenio aut induſtriâ poteſt, ut omnia colligat, intelligat: nec veto, imo poſco, ut manum alius addat. Vale & fave.

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS,

Quo continentur res Sacræ.

CAPUT I. De Diis Selectis Consentibus. Pag. 1
CAP. II. De Selectis Diis Popularibus. 63
CAP. III. De Diis Indigetibus & Semonibus. 94
CAP. IV. De Diis Rusticanis. 110
CAP. V. De Diis Peregrinis. 125
CAP. VI. De Gentilium Theologia, quæ Literis Sacris continetur, Digressio prior. 130
CAP. VII. De Statuis & Simulacris Deorum. 145
CAP. VIII. De Templis & Aris Deorum. 156
CAP. IX. De Cerimoniis Sacrorum. 172
CAP. X. De Feriis & Diebus festis. 186
CAP. XI. De Sacrificiis eorumque requisitis. 204
CAP. XII. De Ministris Sacrorum. 235
CAP. XIII. De eminentia Potestatis civilis probata adversus Papalis factionis Scriptores Digressio posterior repetitæ lectionis. 287
CAP. XIV. De Consecratione Principum corollarium. 300
CAP. XV. De Bileami Oraculis corollarium, in quo illa exponuntur, observatis cumprimis iis, quæ ex moribus & ritibus Gentium deducuntur. 312

LIBER SECUNDUS,

Quo continentur res Civiles.

CAP. I. De Magnitudine Urbis Romanæ. 322
CAP. II. De Jure Civitatis Romanæ. 331
CAP. III. De Magistratibus variis. 336

CAP.

INDEX CAPITUM.

Cap. IV. De Miniſtris Curiæ. 355
Cap. V. De Ærario & Collectis publicis. 362
Cap. VI. De Ludis publicis. 367
Cap. VII. De Judiciis publicis. 392
Cap. VIII. De Cruce adverſus Baronium ejusque abbreviatorem Spondanum Diatriba peculiaris. 401

LIBER TERTIUS,

Quo continentur res Militares.

Cap. I. De Militum delectu. 420
Cap. II. De Peditatu & armis ejus. 431
Cap. III. De Equitatu & armis ejus. 437
Cap. IV. De Expeditione terreſtri. 442
Cap. V. De voto a Jephtha prolato corollarium. 453
Cap. VI. De Expeditione maritima Diſſertatio. 454
Cap. VII. De Victoria & ſolennibus ejus Diſſertatio. 469

LIBER QUARTUS,

Quo continentur res Domeſticæ.

Cap. I. De ſtatu Familiarum. 484
Cap. II. De Jure Connubiorum. 491
Cap. III. De apparatu Conviviorum. 500
Cap. IV. De Ludis privatis. 522
Cap. V. De Veſtimentorum habitu. 526
Cap. VI. De proceſſu Funerum. 558

JUSTI LIPSII
TRACTATUS SEPTEM.

I. De veterum Latinorum Scriptura. 592
II. De re Pecuniaria veterum Romanorum. 596

Cap.

INDEX CAPITUM.

Cap. I. Pecunia qua materia & quando primum ſignata. Ibid.
Cap. II. De Aſſe, Quadrante, Sextante, Triente. 597
Cap. III. De Denario, Quinario, Seſtertio. 599
Cap. IV. De Nummo Aureo, ejuſque æſtimatione. Itemque de uſu Nummorum promiſcuo. 600
De Ratione per ſingulas ſpecies ſupputandi. Ibid.
De Seſtertiis. 601
III. De Nominibus Romanorum. 603
Cap. I. De Prænomine. Ibid.
De Nomine. 605
De Cognomine. Ibid.
Cap. II. De Libertorum & Servorum nominibus. Ibid.
Cap. III. De nominibus Fæminarum. 606
Cap. IV. De nomine Adoptivorum. Ibid.
IV. De ritu Conviviorum apud Romanos. 607
V. De Cenſura & Cenſu. 611
VI. De Anno, deque ejus diverſitate: Item ratione intercalandi. 618
VII. De Crucis Supplicio, apud Romanos uſitato. 624



ERY-

ERYCIUS PUTEANUS IN LAUDATIONE JUVENTUTIS BELGICÆ:

QUid honeſtius, quàm de Eruditione, Hiſtoriâ, Antiquitate Latinè diſſerere aut loqui? quid honeſtius, quàm ipſo ſermonis habitu, velut ſigno candidatum ſe præbere & probare Eruditionis, Hiſtoriæ, Antiquitatis?

Et paulò poſt:

UT rorem & imbrem etiam adultæ ſegetes poſcunt: ita Scientiæ literas, & extremâ quoque ſenectâ non minus ſucco quam cibo opus, ut alamur. In omni convivio, cui Hilaritas præeſt, poculis fercula irriganda ſunt: & Philologiæ illa nectare magnarum Artium ſiccitas aut ſeveritas.

ANTIQUITATUM ROMANARUM LIBER PRIMUS.

QUO CONTINENTUR RES SACRÆ.

CAPUT PRIMUM.

De Diis Selectis Consentibus.

I. VNUM DEUM esse, passim docet *Scriptura*. Maximam Deorum copiam habuerunt Pagani, qui Christum natum antevertendo procul remoti erant à fœdere sancto cum Judæis sancito *Psalm.* [1], *Ephes.* [2] Verum Deum ignorabant, ut ipsi fatebantur, cum Epimenide Philosopho auctore in Attica ad depellendam pestis vehementiam ponebatur Ara τῷ ἀγνώστῳ Θεῷ *Act. Apost.* 3. Meminerunt Aræ hujus *Diogenes Laërtius* [4], & *Lucianus* [5]. Itaque *Deum Judæorum*, qui omnino Deus verus erat, vocabant *incertum*. Lucanus [6]:

——— *Et dedita sacris*
Incerti Judæa Dei. ———

Triginta mille Deos sub ductore uno maximo Jove educebant Græci prisci, quod refert Deorum millium consarcinator *Hesiodus* [7]:

Τρὶς γὰρ μύριοι εἰσὶν ὑπὶ χθονὶ πυκνοσοτείρῃ
Ἀθάνατοι Ζηνὸς φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

A Eorum

(1) CXLVII. 19. 20. (2) II. 12. (3) XVII. 22. (4) *in Vita Epimenidis.* (5) *in Philopatride.* (6) *lib.* II. *Pharsal.* (7) *in Operibus*

Eorum præcipuos in ſacra ſua *vanitatis plena* deduxiſſe Romanos, ait *Cicero* [1]. Credebant, eſſe *Deos Electos* majorum gentium, viginti: JUNONEM, VESTAM, MINERVAM, CEREREM, DIANAM, VENEREM, MARTEM, MERCURIUM, JOVEM, NEPTUNUM, VULCANUM, APOLLINEM, JANUM, SATURNUM, GENIUM, SOLEM, ORCUM, LIBERUM, TELLUREM, LUNAM. Duodecim illos priore loco ſingulari nomine vocabant *Conſentes*, qui ab Æthere ſummo ad Lunam uſque deſcenderent, & rebus humanis dirigendis operam indefeſſam navarent. *Inſcriptio* Daciæ: I. O. M. CETERISQUE DIIS. CONSENTIBUS. M. OPPELLIUS. ADJUTOR. II. VIR. COL. *Gruterus* [2]. Reliquos octo *Populares* vocare liceat, quoniam cultus eorum apud vulgum notior erat ab antiquo. Hunc Deorum Senatum magnum excipiebant alii minorum gentium Dii, qui rebus publicis intenti minus, privatis quorundam neceſſitatibus ſubvenire poſſe credebantur. Eorum nonnullos vocabant *Indigetes*, qui cum Heroës bello ac pace in vivis fuiſſent, aut etiam invento nobili adjuviſſent hominum res gerendas, poſt obitum ἀποθέωσιν meruerunt, inque Deorum album relati ſunt. Lucanus [3]:

Quaque patet Terras inter, Lunæque meatus
Semidei Manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vitæ patientes Ætheris imi
Fecit, & æternos animam collegit in orbes.

De virtute quod dicit, ante eum non diſſimiliter expreſſerat Virgilius [4]:

——— *Ardens evexit ad æthera virtus.*

Eodem pertinent iſta [5]:

Ille Deûm vitam accipiet, Diviſque videbit
Permiſtos Heroas, & ipſe videbitur illis.

Et iidem erant *Novenſiles*, id eſt, noviſſimâ ſorte in Deo-

(1) *Lib.* II. *de Nat. Deor.* (2) *in Volumine pag.* 3. (3) *Lib.* II. *Pharſal.* (4) *lib.* VI. *Æneid.* (5) *Bucolic.* IV.

Deorum numerum relati. Tertio loco veniunt *Semones*, ob meriti paupertatem infra Cœlites poſiti, ut ait *Fulgentius.*[1] Alias Diabolorum & hominum quiſquilias, quales erant Dii Silvatici, Agreſtes, Marini, Fluviatiles, Montani, cum addis, myriades Deorum habebis. Hanc Paganorum nimis liberalem in faciendis Diis facilitatem ſcriptis nervoſis impugnaverunt Doctores veteres, *Cyprianus*[2], *Arnobius*[3], *Euſebius*[4], *Lactantius*[5], *Athanaſius*[6], *Auguſtinus*[7], *Prudentius.*[8]

II. Deorum velut apparitores erant, *Genii.* Docebant Phœnices, Ægyptii & vetuſtiores Græci, quod Deus ante Mundum ſenſibilem extitiſſet, eumque ad certum temporis initium condidiſſet, multis vero etiam ante Mundum ſenſibilem productum ſeculis apud Deum exſtitiſſe Mundum intelligibilem, id eſt, Genios & Mentes: ac *Mentes* demum arroganter agentes ſeque Deo æquare volentes, ejectas Cœlo, utque pœnas ſuperbiæ darent, corpora quædam fragilia ope Geniorum effecta eſſe, in quæ, velut carcerem, detruderentur, & ingrata ſæpe paterentur, *Geniis* deinceps additis velut cenſoribus & exactoribus eorum quæ gererentur, quique eſſent interpretes pro humanis rebus ad Deos referendis, ut preces & ſacrificia maxime placerent, atque homines viciſſim beneficia Deorum acciperent, ubi Genii miniſtri eſſent providentiæ Superiorum, quatenus hi de ſublunaribus curarent aliquid. Locus eſt Daniel.[9]: *Præter Deos quorum habitatio cum carne non eſt.* Genios ergo credebant rebus humanis immiſceri, non vero Deos, aut hos rarius e Cœlis deſcendere in Terram, ut hominum rebus interſint, quod patet exemplo Lyſtrenſium

(1) *de priſco Sermone, num.* 21. (2) *de Vanitate Idolorum.* (3) *adverſus Gentes.* (4) *de Præparatione & Demonſtratione Euangelica.* (5) *Inſtitutionibus divinis.* (6) *Oratione contra Idola.* 7 *de Civitate Dei.* (8) *Libris adverſus Symmachum.* (9) 11: 11.

Act. Apoſt.[1]: *Dii aſſimilati hominibus deſcenderunt ad nos.* Ad quæ verba notavimus quædam *in Auctariis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*[2]. Prolixe refert illa *Plato*[3], unde porro enotant *Engubinus*[4], *Alcinous*[5], *Johan. Fernelius*[6]. Adeoque certum eſt, verſari in Terris, & hominum negotiis immiſceri Naturas quaſdam eminentiores & robore pollentes, neque eſſe hæc commenta fabularum, nec ſpecies inanes vel imagines evanidas, ſed res quaſdam conſiſtentes & effectrices actionum manifeſtarum. *Ariſtoteles*[7] veteris Philoſophiæ animoſus cenſor, ut pleraque magiſtri ſui *Platonis* decreta, ita etiam Genios impugnat, & tantum Mentes quaſdam aſſerit pro Cœlis rotandis, unde non poſſint ad alia negotia obeunda deſcendere. *Caſalpinus*[8]. Nec aliter ſtatuebant *Aphrodiſæus*, *Simplicius*, *Themiſtius*, *Averrhoës*, qui nullas eſſe credunt Naturas ſeparatas, atque effectus harum naturæ ordinariæ cauſis adſcribunt, uti prolixius oſtendunt *Pomponatius*[9], *Piccolomineus*[10], *Stephanus Theupolus.*[11]

III. De Saducæis vulgo ſcribunt, quod docuerint, Angelos tantum eſſe motus & impreſſiones quaſdam naturales Dei juſſu vel bona vel mala operantes. *Serarius*[12], *Joh. Calvinus*[13], *Johan. Scarpius*[14], *Ludov. Crocius*[15], *Hottingerus*[16]. Huc applicant illud quod ſcriptum eſt Act. Apoſt.[17]: *Saducæi quidem dicunt, non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum.* Miratur *Joſephus Scaliger*[18] negaſſe Saducæos, quod Angeli eſſent, qui tamen Libros Sacros recipiebant, ubi tot modis

(1) XIV: 11. (2) *pag.* 9. (3) *in Sympoſio & Timæo.* (4) *Lib.* VIII. *de Perenni Philoſophia.* (5) *de Dogmatibus Platonis, cap.* 14. 15. 16. (6) *Lib.* I. *de abditis rerum Cauſis cap.* 16. (7) *Lib.* XII. *Metaphyſ. cap.* 12. *lib.* VIII. *Phyſ. general.* (8) *in Quæſtionibus Peripatet. lib.* II. *quæſt.* 3 4. 5. 6. (9) *de Incantatione pag.* 115. (10) *de Rerum definitione pag.* 165. (11) *lib.* VI. *Contemplat. Academ. cap.* 2. (12) *in Tribæreſio lib.* II. *pag.* 150. (13) *Inſtitutionum cap.* XIV. *diſt.* 9. (14) *in Curſu Theolog. Tom.* I. *pag.* 186. (15) *Syntagm. Theol. lib.* III. *pag.* 753. (16) *Theſ. Philologico p.* 34. 35. (17) XXIII. 8. (18) *in Elencho Tribæreſii cap.* 16.

modis apparitiones, effecta, prædicta Angelorum narrantur. Verior opinio eſt, quod hoc tantum negaverint, *eſſe Spiritus permanentes, utpote qui non minus, ut homines, mortales in ortu & occaſu forent.* Quanquam vero *Serarius*[1] conetur aliquid pro confirmanda opinione altera, quæ vulgo de Saducæis invaluit, fruſtra tamen eſt, adducendo Patrum quorundam teſtimonia, quos vel locus ex *Actis* prolatus, male vero expoſitus, vel converſatio cum Samaritanis erronibus, in hanc ſententiam deſcendere compulit. Sane tales fuerunt, cum quibus litigat *Juſtinus*[2], neque iſti aliter ſtatuere poterant, quia Epicuri magiſterium per omnia ſectabantur, *Joſephus*[3] quidem ordine enumerat τὰς κυρίας δόξας Saducæorum; verum quod negaverint, Angelos eſſe, omnino non meminit, & confer Rabbinum *Menaſſeh Ben-Iſraël.*[4]

IV. Adferemus illa, quæ demonſtrant, Genios eſſe ac vere operari. *Primo:* Dantur furioſi & obſeſſi, qui linguas ignotas perfecte loquuntur, cum tamen nunquam eas didicerint, & res occultas effutiunt, de quibus nemo illos erudivit. Omnino igitur aſſiſtentes ſibi habent Naturas eminentiores, à quibus ſuppeditata noverunt, & quarum noxiâ intemperie affliguntur. EXCIPIT *Ariſtoteles*[5] evenire hoc illis propter copiam atræ bilis concitatæ, quâ per idonea medicamenta evacuatâ inſanire deſinant & linguas neſciant. *Petrus Aponenſis*[6], *Pomponatius*[7], *Levinus Lemnius*[8]. RESPONDEO: Quomodo humores concitati progenerabunt verba & nomina ſignificantia ex inſtituto, ut Philoſophus ipſe definit.[9] Et quod *alibi* docet, *nihil eſt in mente, quod non antea fuerit in ſenſu.* Quanquam vero per medicamenta poſſit humor melancholicus

(1) *in Minervali lib.* IV. *cap.* 16. 17. (2) *in Tryphone.* (3) *lib.* XVIII. *Antiquit. cap.* 11. *& lib.* II. *de Bello Judaico cap.* 7. (4) *lib.* 1. *de Reſurrect. Mortuorum cap.* 6. (5) *Problem.* 30. (6) *ibid. in Commentario.* (7) *l. d.* (8) *lib.* 11. *de occultis Naturæ Miraculis cap.* 2. (9) *lib.* 1. *de Interpretat. cap.* 2. *text.* 3.

evacuari, ac tunc desinant istæ mentis delirantis impressiones, causa tamen rei hujus est, quod Genius nequam citra instrumenta congrua haut facile cerebri actiones perturbat, his destitutus, perverse agere desinit, recte ait *Franciscus Vallesius.*[1] Excedit vires Naturæ, ut aliquis, non dico, verbum unum alterumve linguæ ejus, quam nescit, casu proferat, sed ut perpetuum sermonem, & ad quævis non præmeditata apte respondeat, imo etiam res occultas indicio prodat.

V. *Secundo:* Dantur Oraculorum responsa, quæ apud Deorum simulachra edebantur. EXCIPIUNT: Vates Deorum cultibus addicti incumbebant terræ spiraculis, unde egressa, vel potius Siderum virtute educta halituum copia movebat animos virorum ad præsagienda futura. *Aristoteles*[2], *Plinius*[3], *Pomponatius*[4]. Verum hoc bene refellebant *Theophrastus*, *Ammonius*, *Apuleius*, *Philoponus*, *Avicennas*, & Oraculorum causas efficientes docebunt, Genios esse. Prædicere futura, ultra hominis vires est; spiracula terrarum inanes & inanimes res sunt. Sidera perinde ratione carent, itaque non agunt in mentem hominum, producendo in illâ notiones significativas. Dicemus plura *infra*[5]. Eodem referri debent Somnia futurorum præsaga, de quibus est *infra*[6].

VI. *Tertiò:* Dantur Spectra & Visa, Audita portentosa, Larvæ, Terricula, nocturni Tumultus. Plenæ de his sunt Historiæ, & novit *Aristoteles*[7]. Male vero cum Epicureis *ad fallaces imaginationes* refert; quos ait *Plutarchus*[8] statuisse, Terriculamenta ista esse hominum delirorum vanas cogitationes, qui cum aliquo mentis errore vel corporis intemperie vexantur, Dæmonum invasiones obtendant. Similia disserit Cassius apud eundem *Plutarchum*[9]. Verum Spectra ista, quæ

(1) *in Sacrâ Philosophiâ cap.* 15. 18. (2) *de Mundo cap.* 4. (3) *lib.* 11. *Histor. natur. cap.* 95. (4) *de Incantatione pag.* 298. (5) *distinct.* 25. (6) *cap.* 12. *distinct.* 9. (7) *de Miraculis auditis.* (8) *in Vitâ Dionis pag.* 391. (9) *in Vitâ Bruti pag.* 400.

quæ Dioni & Bruto viſa ſunt, edebant voces. Neque Dion, Brutus, erant viles animæ terroribus fortuitis obnoxiæ, ſed Viri magni & rectæ mentis compotes, attamen uſque adeo Spectris viſis commoti fuerunt, ut amicis ſuis eorum, quæ viderant ac audiverant, ſolliciti indicium facerent.

VII. *Quarto:* Dantur Magi, Sagæ, & Spirituum familiares, qui ope horum (ſecundum ſcripta *Johannis Trithemii*, *Aureoli Paracelſi*, *Cornelii Agrippæ*, *Roberti Fluddi*, *Julii Cæſaris Vanini*) mira comperiunt, mira operantur, arcana produnt, literas & linguas, quas numquam didicerunt, noverunt, ad loca diſſita celerrime pergunt, celerrime domum revertuntur. Quomodo hoc, niſi ope Geniorum? EXCIPIUNT: *Multos fallit imaginativa, ut referant de viſis factisque, ubi meræ ſunt præſtigiæ. Pomponatius*[1], *Joh. Wierus*[2]. Verum fruſtra illi imaginativam efficere poſſe garriunt talia, quæ omnino ſupra vires hominum ſunt, dum cœli turbantur, tempeſtates concitantur, catenæ ferreæ lacerantur, homines & bruta citra contactum læduntur. Et fruſtra illi hominum faſcinatis ſenſibus imputant, quod ſpecie viſibili Genios referunt Sagæ apparere, commercia verborum, pacti, conſiliorum fatentur homines vegeti & mentis integræ. Nocturna comitia in Bructero celebrat vulgus Weſtphaliæ, & vicinarum Regionum. Neque ſunt illa mentis quædam illuſiones, verum Sagæ deportantur vere ad cœtus iſtos, ſcopis & furcis, hircis & felibus inſidentes, ope Geniorum vectorum, unguentis Stygiis perlitæ & cerimoniis peractis. Exempla copioſa produnt *Bodinus*[3], *Remigius*[4], *Andræas Libavius*[5], *Gödelmannus*[6], *Caſpar Schottus*[7].

(1) *l. d.* (2) *de Præſtigiis Dæmonum lib.* III. *cap.* II. 12. (3) *lib.* II. *Dæmonomaniæ cap.* 4. (4) *lib.* I. *Dæmonolatriæ c.* 14. (5) *in Strigiportio.* (6) *lib.* II. *de Præſtigiis cap.* 4. (7) *in Phyſicâ curioſâ lib.* I. *cap.* 23.

VIII. *Virgilius* de Mœri Incantatore[1]:

His ego ſæpe lupum fieri & ſe condere ſilvis.

Quod Magi Sagæve in lupos, canes, feles vere demutari poſſint Geniorum artibus, affirmant *Pomponatius*[2], *Joh. Bodinus*[3]. Rectius dicitur cum *Remigio*[4], *Joh. Lanzio*[5], *Sennerto*[6], *Caſparo Schotto*[7], quod Genius imaginativam hominis corrumpat, ut ſæviat more bruti, corpori vero nebulam circumfundat, ut exteriorem figuram in oculis aliorum mutet. Ratio hæc eſt: Hominem convertere in brutum, eſt creaturam unam ad alteram toto genere differentem redigere. Solius Dei hoc opus eſt, neque ſufficit potentia finita ad effectum iſtum edendum. EXCIPIT Bodinus: (1) *Viſus apprehendit homines illos, ut veros lupos, canes, feles, aſinos.* RESPONDEO: Viſus non apprehendit objectum ipſum, quomodo in ſe & per ſe eſt, verum uti eſt præſtigiis circumfuſum, & quaſi novâ formâ refictum. Qualis ergo eſt rei imago, talis eſt apprehenſio ejuſdem. (2) *Currunt quadrupedes, carent ſermone, edunt ſonos horridos.* RESPONDEO: Curſus quadrupes eſt inflexio manuum ac pedum, quam Diabolus vector miſerorum illorum facilis præſtat. Ille etiam ſermonis uſum reprimit, ſonos alios præformat, rationis organa ſpeciebus falſis corrumpit. (3) *Graſſantur in homines, oves, equos laniando perinde ut veri lupi.* RESPONDEO: Sævitia Dæmonis eſt, qui abutitur homine profano, ſtrages pecorum efficit, ſed membra ſua commodante Mago malefico, non vero quidem lupo, verumtamen externam lupi imaginem præſtigiis circumfuſam gerente. (4) *Converſio in bruta nonnullos ſeptennio, alios quinquennio, alios triennio occupavit, ut* Lucianus, Apulejus, Philoſtratus *narrant, mirum vero eſt, cum præſtigiæ tanto tempore durant.* RESPONDEO: Et brevi

&

(1) *Bucolic.* VIII. (2) *de Incantatione pag.* 292. (3) *lib.* II. *Dæmonomaniæ cap.* 6. (4) *lib.* II. *Dæmonolatriæ cap.* 5. (5) *lib.* I. *Epiſtolar. Medicinal. num.* 70. (6) *lib.* II. *Inſtitut. Medicar. pag.* 298 (7) *in Phyſicâ curioſâ lib.* I. *cap.* 26.

& longo tempore poteſt Genius malus præſtigiis ſuis obſidere homines, cumprimis ita poterat illo tempore ac locis illis, de quibus citati Autores produnt, ubi potentiſſimus erat in filiis inobedientiæ, *Epheſ.* [1] (5) *Edunt gramina & crudas carnes, a quibus homo prorſus abſtinet.* RESPONDEO: Etiam hæc eſt Geniorum malorum perverſa impreſſio, cæterum ſunt homines carnium crudarum voratores, ut Canibales Indorum, Samojedæ Ruſſorum, ità Striges quoque hominum cadavera devorabant olim, & hodie facere conſueverunt. Imo alios fames coëgit, ut gramina & carnes crudas ederent, quare non fecerint idem inſenſati illi & vecordes Dæmonum ſubditi, in quibus temperamentum adeo vitiat, ut ferinos cibos appetant? (6) *Vulnerati in pedibus, dorſo, pectore, habuerunt vulnera in membris illis, poſtquam redierunt ad priſtinam figuram.* RESPONDEO: Corpora noviter efformata Genius malus applicat veris hominum corporibus, oribus ora, pedibus & brachiis pedes, ergo poſtquam infelices Satanæ luſus evanuerunt, & priſtina corporis figura deterſis nebulis reſtituitur, in membris illis vulnera habent, ubi percuſſi fuerunt. (7) *Carminibus Circe ſocios mutavit Ulyſſis in volucres ferasque, uti ex* Homero *adducit* Virgilius [2]. RESPONDEO: Imo ſocios illos magicis artibus correptos vel interfecit Saga, vel alio abreptos oculis ſubduxit, interim Genius malus avium & ferarum ſpeciem mentitus, pro ſociis illis obtulit ſeſe Ulyſſi erroni. (8) *Nebucadnezar mutatus eſt in bovem*, Daniel. [3]: *Quare ergo Magi non poſſent converti in lupos, canesve?* RESPONDEO: Mutatio illa non erat amiſſio figuræ humanæ, ſed rationis depravatio ex mota bile atrâ, ut bovis inſtar per deſerta oberraret, gramenque comederet, quod ſatis conſtat [4] & confer *Pererium* [5].

(1) II. 2. (2) *Bucolic.* VIII. (3) IV. 23. 25. 32. 33. (4) *ibid.* | *verſ.* 36. (5) *Comment. ad Dan. pag.* 330.

IX. Hactenus de *Geniis*, & quatenus hi concurrunt ad res humanas vel juvandas, vel turbandas. Deinceps noſtra oratio ad *Deos* convertet ſeſe. Et quoniam *Marcus Varro* diligens Romanarum rerum Scriptor, poſtquam Deorum ſuorum fata curioſe expenderat, fateri cogebatur, *multa futilia paſſim intercurrere*, omiſſis incertis, quæ magis certa exponemus, & *Deos Selectos Conſentes* primo referemus.

X. JUNO Cretenſium Regina, Jovis Maximi ſoror, & uxor. Virgilius [1]:

Junonem interea compellat Jupiter ultro:
O Germana mihi, atque eadem gratiſſima Conjunx.

Rurſum [2]:

Olli ſubridens hominum rerumque repertor:
Es Germana Jovis, Saturnique altera proles.

Adeoque pellex, & penes eum ſortita imperium Aëris, cum frater Cœlo præpoſitus eſſet, ut *Cicero* [3] ſcribit. Eſtque Aër Cœlo proximus, velut diſtinctum ab eo elementum, quanquam Cœlum ipſum, in quo Aſtra moventur, non eſſe ab Aëre diverſum, contendant recentiores, *Johannes Keplerus* [4], *Johannes Pena* [5]. Varia cognomina accepit, & eminens quidem illud eſt, quod in honorem Jovis appellatur REGINA.*



Inſcriptiones Romanæ & Tranſſylvanicæ apud *Johan. Jac.*

* Quam hic vides in nummo apud Al. Donatum *l.* III. *de Urb. Roma c.* 13.

(1) *lib.* X. *Æneid.* (2) *lib.* XII. *Æneid.* (3) *lib.* II. *de Nat. Deor.* (4) *de Stellâ Martis.* (5) *præfat. ad Opticam Euclid.*

Jac. Boiſſardum[1], & *Gruterum*[2]. JUNONI REGINÆ. † Eodem modo Germanicæ, apud *Petrum Appianum*[3], Virgilius[4]:

Aſt ego quæ Divûm incedo Regina, Jovisque
Et Soror & Conjunx. ——— ———

Juvenalis[5]:

——— *Niveam Reginæ cædimus agnam.*

Aut DOMINA. Virgilius[6]:

Junoni cane vota libens, Dominamque potentem
Supplicibus ſupera donis. ——— ———

Δέσποινα Ἄρτεμις eſt apud *Sophoclem*[7], Ἥρᾳ παμβασίλειᾳ Διὸς apud *Orpheum*[8]. JUNONEM AUGUSTAM, habet *Inſcriptio* Dalmatica, apud *Gruterum*[9]. Cognomina reliqua ſunt petita inde, quod conjugio & rebus familiaribus Diva præfecta eſſet. Adeoque vocatur: (1) JUGATINA, quod matrimonia auſpicata faceret, eodemque ſenſu JUGA, ad cujus aram, quæ in vico Jugario erat, novi conjuges vinculis pro futuræ concordiæ omine jungebantur. *Inſcriptio* Italica: JUNONI. JUG. SEX. CALPURNIUS. SEX. F. VETURIA. JUVENTIANUS. *Gruterus*[10]. Virgilius[11]:

Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ. *

Græcorum Ἥρη ζυγία, uti vocant *Muſæus*[12], & *Apollonius*[13]. Conſentit Apuleius[14]: *Qui te jam nuptam Tonantis & Reginam Dearum memorat, quam cunctus Oriens Zygiam veneratur, & omnis Occidens Lucinam appellat.* Ita enim pro hoc loco adverſus *Lipſium*[15] optime contendit *Elmenhorſtius*[16], & adde quædam alia apud *Paulum*

† Hæc Vejis captis Romam tranſlata, & in Aventinum collocata eſt, ubi templum ei Camillus dedicavit. Liv. *l.* v. *c.* 22.

* Ovidius *Ep. Med.* 87.

(1) *part.* 3. *Inſcript. Roman. fol.* 128. (2) *pag.* 4. 5. 6. 7. (3) *in Collectaneis pag.* 461. 469. (4) *lib.* I. *Æneid.* (5) *Sat.* XII. (6) *lib.* III. *Æneid.* (7) *in Electrâ.* (8) *in Hymnis pag.* 131. (9) *in Volumine pag.* 24. (10) *in Volumine pag.* 24. (11) *lib.* IV. *Æneid.* (12) *Carmine de Leandri amore.* (13) *libr.* IV. *Argonautic.* (14) *lib.* VI. *Mileſ. pag.* 174. (15) *lib.* II. *Elector. cap.* 26. (16) *in Emendationibus pag.* 223.

lum Leopardum [1]. Eodem ſenſu eſt, JUNONI PRONUBÆ, apud *Gruterum* [2]. SIL. PETRONILLA. M. AN. JANUARII. COJUX. GRAVISS. EX. TT. SS. HH. UT. JUNONI. PRONUB. SUÆ. VIRG. EREPTÆ. PRIM. ÆDES. MAR. CONSTRUATUR. IMP. (2) CINXIA, quod zonam ſuccingeret †, uti eſt *infra* [3]. (3) DOMIDUCA, quod Sponſæ ad Sponſi domum deductæ inque jura ejus transeunti adeſſet. (4) FLUONIA, quod menſtruorum fluxum curaret, ne ille fœcunditati obeſſet. (5) MONETA, quod nummos pro impenſis liberalibus in rem familiarem procuraret. (6) LUCINA, quod partum adjuvaret, inque lucis adſpectum feliciter educeret. * Ovidius [4]:

——— *Tendensque ad cælum brachia magno*
Lucinam, Nixosque pares clamore vocabam.

Virgilius [5]:

Caſta fave Lucina, tuus jam regnat Apollo.

Inſcriptio Romana: BASSA. VITELLI. PRO. Q. VITELLIO. Q. F. FILIO. SUO. JUNONI. LUCINÆ. V. S. L. M. *Gruterus* [6]. Ei ſacrificabant Puerperæ ſtatim poſt enixum feliciter partum. Plautus [7]:

Date mihi huc ſtactam atque ignem in aram, ut venerer Lucinam meam.

Et [8]:

Fer huc verbenam mihi, thus & bellaria.

(7) LEVANA, quod Patrem faceret agnoſcere prolem ſuam. Moris erat, ut Pater quam primum nata ei proles fuerat, nudam poſitam illam ab obſtetrice humi levaret, tolleretque, & gremio reciperet, in ſignum agnitæ ſobolis, & quod ſuam eſſe fateretur. Statius [9]:

--- *Raptum*

† Vel potius quod maritus ſolveret zonam vel cingulum, quo nova nupta erat cincta.

* Terentius *Andr.* 5. 1. 15. *Juno Lucina, fer opem, ſerva me obſecro.*

(1) *lib.* XX *Emendat. cap.* 5. (2) *pag.* 25. *Inſcriptionum.* (3) *lib.* IV. *cap.* 2. *diſt.* 4. (4) *lib.* IX. *Metamorph.* (5) *Bucol.* IV. (6) *in Volumine pag.* 24. (7) *in Truculento Act.* 2. *ſc.* 5. (8) *paulo poſt.* (9) *lib.* 1. *Silv.* 1.

——— *Raptum ſed protinus alvo*
Suſtulit exultans, ac primâ lucida voce
Aſtra ſalutantem dominus ſibi mente dicavit,
Amplexusque ſinu tulit, & genuiſſe putavit.

Virgilius [1]:

Non ita me genitor bellis aſſuetus Opheltes
Argolicum terrorem inter Trojaque labores
Sublatum erudiit. ——— ———

Terentius [2]:

Quicquid peperiſſet, decreverunt tollere.

Et idem [3]:

Meminiſti, me eſſe gravidam, & mihi te maximo opere dicere,
Si puellam parerem, nolle tolli?

Porro [4]:

Si puerum ut tollam cogit, cujus qui ſit, neſcimus pater.

Huc alluditur Sapient. [5] *Ego quoque factus traxi communem nobis aërem, atque in terram iiſdem incommodis maliſque obnoxiam decidi.* Decidi, ut tollerer. Ovidius [6]:

Tactaque naſcenti corpus haberet humus.

Suetonius [7]: *Hoc quoque Patribus Conſcriptis allegaret, ſe eſſe poſſeſſorem ac velut adituum ſoli, quod primum Auguſtus naſcens attigiſſet, peteretque donari, quaſi proprio ſuo ac peculiari Deo.* Et idem [8]: *Nero natus eſt Antii exoriente Sole, pene ut radiis prius quam terrâ contingeretur.* Qui non tollebatur, is pro abdicato cenſebatur, & exponebatur. Horatius [9]:

Si cui præterea validus male filius in re
Præclara ſublatus aletur. ———

ubi vide *Lambinum* [10]. Exponebant vero, id eſt, domo exportatos in loco publico, ut viâ publicâ, littore maris,

(1) *lib.* IX. *Æneid.* (2) *Andr. Act.* 3. *ſc.* 1. (3) *Heautontim. Act.* 4. *ſc.* 1. (4) *Hecyrâ Act.* 4. *ſc.* 1. (5) VII. 3. (6) *lib.* IV. *Triſt. Eleg.* 3. (7) *lib.* II. *cap.* 5. (8) *lib.* VI. *cap.* 6. (9) *lib.* II. *Sat.* 5. (10) *in Commentariis pag.* 193.

maris, ripâ fluminis, ſilvâ, deſerto projiciebant, & fortunæ permittebant, feris in prædam, hominibus in ſervitutem. *Tacitus*[1] de Judæis: *Augendæ tamen multitudini conſulitur, nam & necare quenquam ex gnatis nefas.* Ita recte emendat *Lipſius*[2], (quem eundem videris *Epiſtolis ad Belgas*[3]) & male vulgo legitur, *quenquam ex agnatis.* Græcis & Romanis in promiſcuo uſu fuerunt Abjectiones infantum, & Expoſitiones, imo Neces. Id aliter in Judæorum moribus, & gentem imprimis ſoboli ſtuduiſſe, adeo ut nulliuſmodi partum necare fas, notat, ut novum, *Tacitus*, perinde uti Germanos eandem ob cauſam collaudat[4]. Ergo quia de liberis (non vero de agnatis) agit, ſtatim addit, *hinc generandi amor.* Scilicet, Matres certæ erant, prolem tollendam eſſe. Porro de hoc ita fatur Statius[5]:

Infantem, linguaque ſimul ſalibusque protervum,
Dilexi, meus ille, meus, tellure cadentem
Excepi, atque unctum genitali carmine fovi.

Nam quem Pater pro ſuo Filio agnoverat, eum ſtatim reddebat obſtetrici, ut ablueret, ungeret; tonſoresque umbilicum ejus circumcidebant. Ad hanc rem pertinet locus graviſſimus Ezechiel.[6]: *Quo die genita es, non eſt præciſus umbilicus tuus, aquis non es lota, nec ſale ſalita: Non pepercit tibi oculus, ut faceret tibi unum ex iſtis, clementiâ utendo erga te, ſed projecta fueras in agrum cum faſtidio tui, transiens autem juxta te, vidite conculcari in ſanguine tuo, & dixi tibi, in ſanguine tuo vive.* Omnia fere dicit Propheta, quæ ad mores Veterum ſpectant. Præciditur umbilicus, nempe ab inteſtino illo, per quod infans in utero adhæret matri, alimentumque ſuum capit, uti docent *Andreas Laurentius*[7], *Joan. Sperling.*[8] Sale fricabantur Pueri, ut cor-

(1) *lib.* v. *Hiſtor.* (2) *Notis ad h. l. pag.* 55. (3) *Centur.* I. *num* 85. (4) *libro de Moribus Germanorum cap.* 19. (5) *lib.* v. *Silv.* 5. (6) XVI. 4. 5. 6. (7) *in Hiſtoriâ Anatomicâ lib.* VIII. *pag.* 314. (8) *de Formatione hominis in utero pag.* 119.

corpora tenella conſolidarentur, teſte *Galeno*[1]. Projiciebantur, quos nolebant alere. Porro Juvenalis[2]:

Tollis enim & libris actorum ſpargere gaudes
Argumenta viri; foribus ſuſpende coronas,
Jam pater es, dedimus quod famæ opponere poſſis.
Jura parentis habes, propter me ſcriberis hæres.

Tollebant, & eodem, quo Filium agnoverant die, ad Ærarii Curatores deferebant nomen Filii vel Filiæ, ut matriculæ adſcriberetur *, itaque jus Civitatis haberent, & in bona Parentum ſuccederent. *Briſſonius*[3]. (8) CUNINA, quæ Infantes tueretur in cunis. Puteolana *Inſcriptio:* CUNINÆ. FELICI. SACR. CLAUDIA. HESPIS. D. D. *Gruterus*[4]. Scilicet adverſus faſcinum vetularum, unde poterat damnum procurari, non tantum homini, ſed quoque pecori juvenculo. Virgilius[5]:

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinet agnos.

& adde *Plinium*[6], *Danielem Sennertum*[7], *Joh. Gerhardum Voſſium*[8]. (9) RUMINA, quæ mammis immulgeret parvulorum ori, ut carnem optimam aſſumerent. (10) NUNDINA, quæ boni ominis nomen adderet infanti. Nonus à partu dies erat *luſtricus*, ut vocant *Feſtus Pompeius*[9], *Suetonius*[10], quo dabatur fauſto omine nomen Filio, nam Filiæ quidem accipiebant Nomen die octavo. *Plutarchus*[11]. Et credebant, illo ipſo die Parcas vitæ tempora & eventa conſtituere novello homini. *Virgilius* de puero Salonino:

Talia ſæcla ſuis dixerunt currite fuſis
Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ.

Confer *Joſephum Scaligerum*[12], *Marcellum Donatum*[13], *Ber-*

* Servius ad Virg. *Georg.* II. 502. *populi tabularia.*

(1) *de Sanitate tuendâ cap.* 7. (2) *Sat.* IX. (3) *lib.* I. *Antiquitat. cap.* 5. (4) *in Volumine pag.* 96. (5) *Bucolic.* III. (6) *lib.* VII. *Hiſtor. natur. cap.* 2. (7) *in Medicinâ practicâ lib.* VI. *pag.* 375. (8) *in Lexico Etymologico pag.* 206. (9) *lib.* XI. *de Verbor. ſignif. pag.* 307. (10) *lib.* VI. *cap.* 6. (11) *in Quæſt Roman. ſect.* 102. (12) *lib.* II. *Lectionum Auſonianarum cap.* 22. (13) *Elucidationibus ad Suetonium pag.* 902.

Berneggerum [1], *Johannem Meurſium* [2], *Salmaſium* [3], (11.) FABULINA, quæ expeditam & ſanam loquelam inderet natis, ut belle fari poſſent. (12.) MATRONA, quæ heram in rebus domi gerendis regeret. (13.) SOSPITA, quæ actis omnibus eventum felicem tribueret. (14.) MANTURNA, quæ heram bono inſtinctu ita bearet, ut ne recederet a marito, ſed perpetuo cum eo manere vellet.

XI. Singulis hominibus aut Genium aut Junonem adjungebant, illum quidem maribus, hanc vero fœminis. Tibullus [4]: †

Natalis Juno ſanctos cape thuris acervos,
Quos tibi dat tenerâ ſancta puella manu.
Tota tibi eſt hodie, tibi ſe latiſſima compſit,
Staret ut ante tuos conſpicienda focos.

Poterat hinc forte exponi locus Virgilii [5]:

Nec Deus hunc menſa, Dea nec dignata cubili eſt.

Deus, id eſt, Genius, vitæ præſes, cui menſam veteres conſecrabant. Quod verò *Servius* [6] exponit *Deus, id eſt Jupiter*, peregrinum cenſeri debet, quia ſenſum optimum pervertit. *Dea*, id eſt, Juno, in cujus tutela ſunt lecti geniales. Senſus eſt: Infauſto omine alias natus eſſe videri poſſis, de quo vulgus cenſet, quod vix adoleſcere & cum Parentum gaudio provivere contingat. Confer *Angelum Politianum* [7], *Joſephum Scaligerum* [8], *Turnebum* [9].

XII. Junonis miniſtra IRIS eſt.* Virgilius [10]:

Tum Juno omnipotens longum miſerata dolorem
Difficileſque obitus, Irim demiſit Olympo.

Et

† c. 2, diſt. 3.
* Imo miniſtra Deorum Lucian. *de Sacrif.* 367. & *Dial. Deor.*

(1) *Notis ad Suetonii Auguſtum pag.* 23. (2) *in Exercitationibus criticis lib.* III. *cap.* 33. *& in Auctario Philologico p.* 119. (3) *Obſervationibus ad jus Atticum & Romanum pag.* 163. (4) *lib.* IV. *Eleg.* 6. (5) *Bucolic.* IV. (6) *Commentario h. l. pag.* 21. (7) *in Miſcellaneis cap.* 89. (8) *Caſtigationibus ad Catullum pag.* 50. (9) *in Adverſariis lib.* XVI. *cap.* 13. (10) *lib.* IV. *Æneid.*

Et [1]:

Irim de cælo misit Saturnia Juno.

Ovidius [2]:

Iri mea, dixit, fidissima nuncia vocis.

Est Hebræum עיר *Daniel.* [3], & ibidem *Hieronymus* [4], *Clemens Alexandrinus* [5]. De Iride scribunt Philosophi & Mathematici, *Aristoteles* [6], *Ernestus Sonerus* [7], *Johannes Fleischerus* & *Johannes Marci* [8], *Fridericus Risnerus* [9], *Ambrosius Rhodius* [10].

XIII. VESTA alia prisca, Saturni conjunx erat, alia minor & filia ejus. Et matrem quidem vocabant *Tellurem*. Ovidius [11]:

Stat vi terra suâ, vi stando Vesta vocatur.

Notatio fallit, (quanquam res vera sit, non obstante, quod *Calius Calcagninus* [12], docere velit, moveri terram,) ut mox dicam. Filia erat Ignis, ac proinde Juvenalis [13]:

Ignem Trojanum & Vestam colit Alba minorem.

Nomen est ab Oriente, ac sonat אש־יה *Ignis Domini*, ut rectè monent *Caspar Peucerus* [14], *Christ. Beemannus* [15], *Gerhard. Joh. Vossius* [16]. Itaque *Myrsilus Lesbius* autor est (teste *Lilio Gyraldo* [17]) quod veteres Tyrrheni vocaverint *Horchian*, id est, אור־יה. Virgilius [18]:

——— ——— *Vestaque mater*
Quæ Thuscum Tiberim & Romana palatia servas.

Celebrior multo est Vesta minor, domina ignis pervigi-

(1) *lib.* IX. *Æneid.* (2) *lib.* XI. *Metamorphos.* (3) IV. 10. (4) *in Commentario.* (5) *lib.* III. *Pædagog. cap.* 9. (6) *lib.* III. *de Meteor. cap.* 2. 3. 4. (7) *Philosoph. Altorff. pag.* 513. (8) *peculiaribus libris.* (9) *in Opticis pag.* 235. (10) *in Opticis pag.* 411. (11) *lib.* VI. *Fastor.* (12) *libro peculiari pag.* 388. *operum.* (13) *Sat.* I. (14) *de Divinat. fol* 151. (15) *de Originibus linguæ Latinæ pag.* 464. (16) *in Lexico Etymologico pag.* 553. (17) *in Histor. Deor. syntagm* IV. *pag.* 146. (18) *lib.* I. *Georgic.*

vigilis *, qui ab Oriente venit. VESTÆ. SACRATO. IGNE. eſt in Romana *Inſcriptione* apud *Gruterum* [1]. Chaldæi vocabant *Orimaſda*, ab eis Perſæ acceperunt, & ab his porro Aſiaticæ gentes, quas inter Phryges, & ab his ad Latinos & Romanos detulit Æneas. Qui ipſe etiam Palladium adduxiſſe putabatur, Latini Imperii incrementum futurum. In qua re non parvus error erat, quandoquidem Palladium Ilienſe in adyto Trojæ repoſitum inde aſportari non poterat, ſed aliud aliquod ad ejus imitationem confici licuit. *Dionyſius Halicarnaſ.* [2], *Plutarchus* [3]. Sinon fraudum compoſitor apud Virgilium [4]:

Vos æterni Ignes, & non violabile veſtrum
Teſtor numen, ait. ——— ———


Falſus eſt *Cornelius à Lapide* [5]. Stellas velut ignes animatos & divinos Deorum vice invocat & conteſtatur. Potuit ſenſum perverſum habere à *Servio* commentatore ſæpius ocioſo [6]: *Solem & Lunam ſignificat.* Et paulo poſt: *Secundum Philoſophos dicuntur Sidera elementa eſſe, & habere proprias poteſtates.* Sunt nugæ Planetariorum & Pyrrhonicorum, quibus ubique favet *Servius.* De Veſta loquitur fraudulentus, & æternis ignibus illi conſecratis. Virgilius [7]:

——— ——— *Priamumque per aras*
Sanguine fœdantem, quos ipſe ſacraverat ignes.

Symbolum erat Aſtrorum, quæ ignea eſſe veteres credebant, & provectis à terrâ vaporibus nutriri. Τὰς ἀναθυμιάσεις τῇ μεταρσίᾳ πιεῖπω πυρὸς ἀφ' ἑαυτῆς, ait in hunc ſenſum *Dionyſius Halicarnaſſaus* [8], & ante illum ita docuerant *Anacreon* [9], *Hippocrates* [10], nec aliter *Plinius* [11], & quæ differit *Johannes Brodæus* [12]. Cæterum hæc ſententia

* Quæ egregie cognoſcitur ex nummis appoſitis *cap.* 3. J. Lipſii *de Veſta & Veſtalibus.*

[1] *in Volumine pag.* 28. [2] *lib.* 11. [3] *in Vita Camilli.* [4] *lib.* 11. *Æneid.* [5] *Commentar. Epiſtol. ad Hebræos* XIX. *num.* 11. [6] *Notis ad h. l. pag.* 242. [7] *lib.* 11. *Æneid.* [8] *lib.* 11. [9] *Cantic.* XIX. [10] *de Flatibus.* [11] *lib.* 11. *Hiſtoriæ naturalis c.* 9. *&* 68. [12] *lib.* 11. *Miſcellaneorum cap.* 17.


VESTA. P. R. QVIRITIVM
R. Numi incertus.
QVIRITIVM VESTA. P. R.
Num. Argenti incertus
VESTALIS
Num. Argent.
S
A. 3 Argent. diuersorum Cons.
C. CLODIVS C. F.
VESTA
Caii Cal. A.
VES TA
Vespasiani A.

tia vera non eſt, adeoque Peripatetici eam ſemper averſati, negant Stellas indigere alimentis ullis, quatenus per ſe incorruptibiles & naturæ perfecte cœleſtis durant in ſtatu perfecto citra ſubſidium naturæ inferioris, *Ariſtoteles* [1], & *Johannes Ludovicus Havenreuterus* [2]. Attamen in eo peccant, quod ignem ſublunarem defendunt, *Scipio Ceſenas Claremontanus* [3], *Conimbricenſes* [4], *Scaliger* [5], *Keckermannus* [6], *Fortunius Licetus* [7]. Certe *Ariſtoteles* [8], proponit hoc illo ævo receptum, quo *Ignem* vocabant Platonici ſupremam & puriorem Aëris regionem Cœlo proximam, imo Cœlum ipſum dicebant eſſe Ignem, id eſt, puriſſimum corpus & à ſordibus liberum. Arabes & Latini deinde elementum Ignis loco illo poſuerunt, de quo tamen ipſe *Ariſtoteles* [9] multo aliter ſcripſerat, ὁ δὲ ἀὴρ πυρὸς πλήρης, *Aer vero Igne plenus eſt.* Hæc unice vera ſententia eſt de elemento Ignis, videlicet in regione Aëris inferiori quaquaverſus permiſtum, circa terram maxime agere, ut humanis uſibus præſto ſit, adeoque cum *Frid. Riſnero* [10], *Andreâ Argolo* [11], *Alberto Kypero* [12], *Antonio Deuſingio* [13], *Franciſco Valleſio* [14], *Johan Gerhardo Voſſio* [15], *Athanaſio Kirchero* [16], *Adriano Heereboord* [17], *Caſparo Bartholino* [18], negamus, Ignem eſſe ſub Lunæ concavo peculiari & ampliſſimo loco extenſum.

XIV. MINERVA, quæ & PALLAS, Jovis filia, e cujus cerebro nata eſſe fingitur. Catullus [19]:

-- -- O

(1) *lib.* II. *de Meteor. cap.* 2. (2) *Commentario ibid. pag.* 191. (3) *de Univerſo lib.* XV. *cap.* 2. 2. (4) *lib.* III. *de Cælo c.* 5. *queſt.* 1. (5) *Exercit.* 9. (6) *lib.* II. *Syſt. Phyſ. cap.* 10. (7) *de Lucernis ſubterraneis lib.* IV. *cap.* 20. 21. 34. (8) *libris de Cælo & Meteoris.* (9) *Problemat. ſect.* 25. *queſt.* 20. (10) *in Opticis pag.* 252. (11) *in Pandoſio Sphæriſo cap.* 38. *& lib.* 2. *Aſtron. cap.* 4. (12) *lib.* 2. *Inſtitut. Phyſicar. pag.* 488. (13) *de Mundi opificio diſputat.* V. *queſt.* 1. *&* 2. *& diſputat.* VI. *queſt.* 1. (14) *de Philoſophiâ ſacra cap.* 50. (15) *lib.* II. *Theologiæ Gentilium cap.* 83. (16) *lib.* 1. *Artis magnæ Lucis & Umbræ pag.* 18. (17) *Volum.* II. *Diſputat. Philoſophicar. pag.* 354. (18) *lib.* IV. *Enchiridii Phyſici cap.* 22. (19) *Epigram.* 2.

——— ——— *O Patrima virgo.*

Minervam compellat, & *patrimam* dicit, quod tantum haberet patrem Jovem & ſine matre eſſet. *Euripides* [1]: δῖα ἀμήτωρ & Παλλὰς & Φεραία. Expreſſum habes ſenſum, & proinde lectio altera,

——— ——— *O Patrona virgo*,

in *Catullo* eſt corrupta, rectèque emendavit *Scaliger* [2] quamvis repugnet *Joh. Gerhardus Voſſius* [3]: æſtuant vero præter cauſam *Muretus* [4], *Simon Abbes Gabbema* [5], *Lucas Fruterius* [6], *Marcus Antonius Sabellicus* [7], ut melius aliquid excogitent. Neque etiam credimus *Jano Meleagro* [8], ubi legendum contendit,

——— ——— *O Peranna Virgo*,

& de Annâ Perennâ exponit. Sane illa minorum gentium Diva obſcurior eſt, quam ut celebris operis initio tutelaris invocetur: *infra* [9]. Martialis [10]:

——— *Et ſummi filia tota Patris*

Minervam notat, quæ ἀμήτωρ fuiſſe cenſetur. Jovi perſimilis, bello egregia, Auſonius [11]:

——— *Præſes Tritonia bellis.*

ubi vide *Eliam Vinetum* [12]. Virgilius [13]:

——— *Diva armipotentis ad aram*
Procumbit. ——— ——— ———

Lanificorum magiſtra. Virgilius [14]:

Olli ſerva datur operum haut ignara Minervæ.

Tibullus [15]:

Atque aliqua aſſidue textrix operata Minervam
Cantat, & appulſo tela ſonant latere.

Horatius [16]:

Tibi telas, operoſaque Minervæ

(1) *in Phœniſſis.* (2) *Notis ad h. l. pag.* 6. (3) *lib.* I. *cap.* 23. *de Arte Grammaticâ.* (4) *in Commentario pag.* 10. (5) *in Commentario pag.* 3. (6) *lib.* II. *Veriſimilium cap.* 22. (7) *in Emendationibus ad Catullum pag.* 162. (8) *Spicilegio ad Catullum pag.* 12. (9) *cap.* 4. *diſt.* 3. (10) *lib.* XI. *Epigram.* 4. (11) *Epigram.* 5. (12) *in Commentariis num.* 5. (13) *lib.* II. *Æneid.* (14) *lib.* V. *Æneid.* (15) *lib.* II. *Eleg.* 1. (16) *lib.* III. *Carm.* 12.

Studium aufert. ——

Oppianus [1]:

Φάρεα τ' ἀσκήσας μήλων ἐλάνθει καρπῷ
Πάλλας ἀμφιχυτοῖσι ἐδιδάξατο. ——

Oleum eliquare docuit. Virgilius [2]:


—— *Oleaque Minerva*
Inventrix. —— ——

De eâdem verbis iisdem Rutilius Numantianus [3], *Inventrix oleæ.* Confer *Johannem Baptiſtam Portam* [4], *Joh. Meurſium* [5]. Ab Oriente profecta & Phœniſſa quidem, itaque Φοινίκλω θεὰν vocat *Lycophron* [6], idemque manifeſto arguit cognomen Ὄγκα, apud *Stephanum* [7], & *Heſychium* [8], unde proferunt illud *Lilius Gyraldus* [9], *Wilh. Canterus* [10], & porro addunt *Scholiaſten Pindari* [11], *Æſchylum* [12]. Expreſſit idem *Nonnus Panopolitanus* [13]:

Ἐκ βοὸς ὀγκηθμοῖο φερώνυμον. ——

Sed imperite ille nomini Syriaco dat Græcum ἔτυμον, uti notat *Petrus Cunæus* [14]. Rectius multo derivatur ab ענק, quæ eſt propria Gigantum familia, celebris in *Sacris Literis. Num.* [15], *Deut.* [16], *Joſu.* [17], *Judic.* [18], Seldenus queritur [19]: *quid ad rem* Onca *hic denotare poſſit, omnino me neſcire fateor.* Verum quid vel notet vel non notet, perinde eſt, ſufficit quod rei originem monſtret. Certe ab illis Enacim quos Joſua expulit, plurimi in Africam diſceſſerunt, inque agris Punicis conſederunt, vicos & pagos habitando, antequam eo novam coloniam deduceret Eliſſa Tyria, itaque veteres incolæ permixti cum advenis in civitatem unam con-

(1) *lib.* II. *de Venatione.* (2) *lib.* I. *Georgicor.* (3) *lib.* I. *Itinerarii num.* 73. (4) *in Villa lib.* VI. *cap.* I. (5) *in Arboreto Sacro lib.* I. *cap.* 6. (6) *in Caſſandrâ.* (7) περὶ Πόλεων. (8) *in Lexico.* (9) *in Hiſtoria Deor. ſyntagm.* XI. *pag.* 341. (10) *lib.* VI. *Lection. novar. cap.* I. (11) *ad Olympia.* (12) *in Thebanis.* (13) *lib.* V. *Dionyſiacorum.* (14) *Animadverſ. ad h. l. pag.* 70. (15) XIII. 23. 29. (16) II. 10. *cap.* IX. 2. (17) XI. 21. 24. *cap.* XIV. 12. 15. *cap.* XV. 14. (18) I. 20. (19) *Syntagm.* II. *pag.* 295.





conceſſerunt, quæ *Carthago* vocata eſt. Manifeſte indicat hoc antiquum nomen *Cadreanach*, uti *Plautus* refert [1], & indidem eſt Καρχηδών Græcorum, quod habet *Stephanus* [2]. Cadreanach eſt *vicus Anacim* חצרי-ענק, ut monet *Joſephus Scaliger* [3], ac probat *Samuel Petitus* [4]. Videlicet Enakei bello ſacro afflicti per Joſuam, deinde etiam a Davide Rege expulſi, petiverunt Africam, & popularium turbâ comitati littorales Regiones obtinuerunt, novam velut gentem condiderunt. Minervam *cuſtodem Urbis Romæ* laudat *Cicero* [5].

XV. CERES Jovis ſoror & pellex, nomen Syriacum habet à חרש *arare*. Nam quod *Varro* [6], *Cicero* [7], *Arnobius* [8], & ex illis *Taubmannus* [9] docent, *Ceres eſt quaſi Geres a gerendis frugibus*, * non eſt verum conſonum, neque etiam vera ſunt *Scaligeri* ad *Varronem* Conjectanea [10], *quod dicta ſit a* cereo, *verbo antiquo, id eſt, creo*. Potius Ceres, id eſt, Δήτω, quoniam Inſulanis monſtravit uſum præparandi terram aratro & ſemen injiciendi, metendi, commolendi, pinſendi. *Inſcriptio* Romana: CERERI. FRUGIFERAE. SACRUM. L. VEJANIUS. COSMUS. P. P. *Gruterus* [11]. Virgilius [12]:

Liber & alma Ceres, veſtro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit ariſtâ.

Hactenus erant illi βαλανόφαγοι. Virgilius [13]:

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Inſtituit, cum jam glandes atque arbuta ſacra
Deficerent ſilvæ, & victum Dodona negaret.

Et [14]:

Quercus ante data Cereris, quàm ſemina, vitæ.

* Qualis tamen apparet in hac Icone ſumpta ex *Theſauri Brandeburgici* principio.

(1) *in Pœnulo Act.* 5. *ſc.* 2. (2) περὶ Πόλεων. (3) *lib.* 11. *de Emendat. Temp.* (4) *lib.* 11. *Miſcellan. cap.* 2. (5) *lib.* XIII. *ad Familiar. epiſt.* 25. *lib.* VII. *ad Atticum epiſt.* 7. & *Oratione pro Domo ſuâ ad Pontifices.* (6) *lib.* IV. *de L. L. pag.* 18. (7) *lib.* III. *de Nat. Deor.* (8) *lib.* III. *Adverſ. Gentes pag.* 119. (9) *Commentario ad Georgica pag.* 108. (10) *pag.* 30. 31. 91. (11) *in Volumine pag.* 26. (12) *lib.* I. *Georg.* (13) *l. d.* (14) *in Culice.*

Claudianus[1], de Cerere:

Unde datæ populis fruges, & glande relictâ
Cesserit inventis Dodonia quercus aristis.

Hæc enim est communis & vera lectio, quam frustra sollicitat *Nicolaus Heinsius*[2], ut *Claverii* codice, & Barthii *Commentariis*[3] fretus substituat:

Unde datæ populis leges. ——

Leges & aristas conjunxerit, inquit ille. At quare hoc? *Utraque enim Cereris munus*, ait. Verum opus non est, ut utrumque exprimatur ubique scriptorum. Regerit: *Utrumque etiam conjunxit* Ovidius[4] *de Cerere.*

Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris,
Prima dedit leges. —— ——

At idem *fruges* ponit semel, *alimenta* repetito, sic & noster *Claudianus* utrumque expressit, unum quod instituit, alterum quod abolevit. Apulejus[5]: *Ceres alma, frugum parens originalis.* Et mox: *Vescula glandis ferino remoto pabulo miti commonstrato cibo, nunc Eleusiniam glebam percolis.* Comes ejus Triptolemus erat, nomine Syriaco; תלמי *Num.*[6], *Judic.*[7], *Samuel.*[8], Rutilius Numantianus[9]:

Et qui primus humo pressit aratra puer.

De illo ipso Virgilius[10]:

—— *Uncique puer monstrator aratri.*

Nam ad Triptolemum spectare, contendunt *Taubmannus*[11], & *Farnabius*[12]. Rursum[13]:

Illam Triptolemi sulcus mutavit aristis.

Filia erat Proserpina, quæ matre absente in venatum profecta, & ad Siciliæ lacum Pergum a latronum ductore Plutone comprehensa, ejus libidini paruit coacta, deinde etiam mersa lacu, ne facinus vulgaretur, Plutone ad Ætnæ fauces, ubi habitabat, regresso, ingen-

(1) *lib.* 1. *de Raptu Proserpinæ.* (2) *in Emendat. ad h. l. pag.* 201. (3) *pag.* 875. (4) *lib.* v. *Metamorph.* (5) *lib.* xi. *Metamorph. pag.* 257. (6) xiii. 22. *cap.* xv. 23. (7) i. 10. (8) *lib.* ii. *cap.* 3. 3. *cap.* 13. 37. (9) *lib.* i. *Itinerarii num.* 73. (10) *l. d.* (11) *in Comm. pag.* 110. (12) *in Notis pag.* 32. (13) *in Culice.*

gentem luctum concitavit matri, eaque ad Magicas artes converſa, fruſtra tentavit multa *Ovidius*[1]. Prolixe & eleganter *Claudianus*[2]. Virgilius[3]:

Nec repetita ſequi curet Proſerpina matrem,

ubi vide *Servium*[4].

XVI. DIANA, alio nomine PROSERPINA, Cereris filia, lacu merſa per impetum Plutonis, & per artes Magicas ſollicitata, ut ad vivos redire vellet, cum vero Dæmones ſpectris fallacibus matrem hominesque alios fallerent, ejus ſimulacrum, per nocturnas venationes inducerent quidem, ſed veram illam Cereris filiam vitæ reſtituere non poſſent, occaſionem dederunt fingendi, quod illa Plutoni, Diabolorum principi, copulata, imperium apud Inferos accepiſſet, mortis & vitæ peractæ arbitra facta. *Inſcriptio* Luſitanica. PROSERPINÆ. SERVATRICI. C. VETTIUS. SILVINUS. PRO EUNOIDE. PLAUTILLA, CONIUGE, SIBI, RESTITUTA. V. S. A. L. P. *Gruterus*[5]. Virgilius[6]:

Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.

Tibullus[7]:

At mihi Perſephone nigram denunciat horam,
Immerito juveni parce nocere, Dea.

Propertius[8]:

Sat ſit magna mei, ſi tres ſint pompa libelli,
Quos ego Perſephonæ maxima dona feram.

Horatius[9]:

Nullum ſæva fugit Proſerpina caput.

& adde *Wilhelm. Canterum*[10]. Lunæ ſideri illata eſt. Et ne ſtudium, quod viva ſectabatur, depoſuiſſe vi-

(1) *lib.* IV. *Faſtor. & lib.* VI. *Metamorph.* (2) *de Raptu Proſerpinæ.* (3) *lib.* I. *Georgic.* (4) *in Commentario pag.* 57. (5) *in Volumine pag.* 97. (6) *lib.* IV. *Æneid.* (7) *lib.* III. *Eleg.* 5. (8) *lib.* II. *Eleg.* 10. (9) *lib.* I. *Carm.* 28. (10) *lib.* IV. *Lection. novar. cap.* 20.

derctur, venationum Dea conſecrata eſt. * Virgilius [1]:



Exercet Diana choros, quam mille ſecuta
Hinc atque hinc glomerantur Oreades, illa pharetram
Fert humero, gradienſque Deas ſupereminet omnes.

Juvenalis [2]:

Per calamos Venatricis pharetramque puellæ.

Horatius [3]:

Savis inimica Virgo belluis.

Et [4]:

Celeris ſpicula Cynthiæ.

Et [5]:

Deliæ tutela Deæ, fugaces
Lyncas & cervos cohibentis arcu.

Et in partubus Junonis maximæ vicaria, itaque Orpheus [6] ὠδίνων ἐπαρωγὸν vocat. Apulejus [7]: *Seu Phœbi ſoror, quæ partu fœtarum medelis lenientibus recreato, populos tantos educaſti, præclariſque nunc veneraris delubris.* Horatius ad Dianam [8]:

Montium cuſtos, nemorumque virgo,
Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis, adimiſque letho,
Diva triformis. Et

* Cujus habitum formamque diſcere licet ex hoc nummo, quem præbuit J. Gutherius *de Vet. Jure Pontif. l.* IV. *c.* 19.

(1) *lib.* I. *Æneid.* (2) *Sat.* XIII. (3) *lib.* I. *Carm.* 12. (4) *lib.* III. *Carm.* 28. (5) *lib.* IV. *Carm.* 6. (6) *in Hymnis pag.* 145. (7) *lib.* XI. *Metamorph. pag.* 257. (8) *lib.* III. *Carm.* 22.

Et[1]:

—— *Silvarumque potens Diana,*
Lucidum cœli decus.

Sunt pleraque in præcedentibus expoſita. Quod parientes juvat, inde cognomen habet Εἰλείθυια, uti referunt *Plutarchus*[2], *Pauſanias*[3], *Theocritus*[4], *Oppianus*[5]. Nomen eſt Hebræum à radice ילד *genuit, peperit.* Quod enim *Lilius Gyraldus*[6], *Joachimus Camerarius*[7], *Eraſmus Schmidius*[8], *Joſephus Scaliger*[9], contendunt, *Ilithyiam* dictam eſſe ἀπὸ τὸ εἰς πικτῖνας ἐλθεῖν, hoc eſt *quod ad parturientes accedat*, alluſivum potius eſt quam genuinum. Porro vocata eſt JUNO LUCINA, Catullus[10]:

Tu Lucina dolentibus
Juno dicta puerperis.

Horatius[11]:

Sive tu Lucina probas vocari,
Seu genitalis Diva.

Genitalis Diva, perinde uti Juno, θεὰ γενέθλια. Nimirum Junonis vicaria in peragendis muniis ejus, cognomina quædam ejuſdem merito accipit, ut teſtantur *Inſcriptiones* plurimæ apud *Janum Gruterum*[12]. Horatius[13]:

Si vocata partubus
Lucina veris adfuit.

Ait, *veris*, quod cum Sagâ illi res ſit, quæ a Satanâ imprægnari vere non poſſet, forte molas quaſdam intra ipſius uterum moliebatur. De quâ re vide *Remigium*[14], *Johannem Wierum*[15], neque enim vero conſentaneum

(1) *in Carmine ſeculari.* (2) *lib.* III. *Convivial. quæſt. num.* 1. (3) *in Atticis.* (4) *Idyll.* 28. (5) *lib.* 1. *de Venatione.* (6) *in Hiſtor. Deor. ſyntagm.* XII. *p.* 351. (7) *in Quæſitis promiſcuis pag.* 98. (8) *Commentariis ad Pindari Pythia pag.* 115. & *ad ejuſdem Nemea pag.* 152. (9) *Notis ad Indigitamenta Orphei pag.* 181. (10) *Epigr.* 31. (11) *in Carmine ſeculari.* (12) *in Volumine pag.* 39. 40. 41. (13) *lib.* v. *Carmin.* 5. (14) *lib.* 1. *Dæmonolatriæ c.* 6. (15) *lib.* III. *de Præſtigiis Dæmonum cap.* 24. 25.

taneum eſt, quod *Cœlius Rhodiginus*[1], *Bodinus*[2], *Martinus Delrio*[3], *Caſpar. Schottus*[4], contendunt, poſſe Genios cum Sagis miſceri ac vivum hominem procreare. Pergit Catullus:

Tu potens Triviâ & notho es
Dicta lumine Luna.

Trivia τριοδῖτις, τρίμορφος, τριπρόσωπος, eſt apud *Athenæum*[5]. Hecate eadem: quoniam tres facies, totidem capita, dextrum equi, ſiniſtrum canis, medium hominis oſtendebat, ſpectra immittebat, & adventante illâ ſolum fremebat, curruumque fulgura cernebantur, (quæ *ſacros ignes* vocat *Seneca*) & canibus multis comitata accelerabat greſſum, ululatus & latratus audiebantur. Virgilius[6]:

——— —— *Hylax in limine latrat.*

De canibus iſtis ſonat, erantque ſacra illa Cocytia, quæ fiebant in honorem Lunæ ſive Proſerpinæ, uti eſt *infra*[7]. Rurſum[8]:

Voce vocans Hecatem, Cœloque Ereboque potentem.

Item[9]:

Ter centum tonat ore Deos, Erebumque Chaosque,
Ter geminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

Apulejus[10]: *Seu nocturnis ululatibus horrenda Proſerpina, triformi facie larvales impetus comprimens, terræque clauſtra cohibens, lucos diverſos inerrans, vario cultu propitiaris.* Reliqua pertinent eo quod in Lunæ ſidus relata fuerit. *Notho lumine*, ait, quod Luna omne lumen a Sole petat, & ad terram demittat, per refractionem, de quo breviter quædam proponit *Cœlius Rhodiginus*[11], prolixius vero declarant Mathematici, *Joh. Hevelius*[12], *Adrianus Metius*[13], *Andreas Argolus*

(1) *lib.* 11. *Antiquar. Lect. cap.* 6. (2) *lib.* 11. *Dæmonomaniæ cap.* 7. (3) *lib.* 11. *Diſquiſit. Magicar. cap.* 2. *quæſt.* 15. (4) *in Phyſicâ curioſa lib.* 1. *cap.* 21. 22. (5) *lib.* VII. *Dipnoſophiſt.* (6) *Bucolic.* VIII. (7) *cap.* 11. *num.* 8. (8) *lib.* VI. *Æneid.* (9) *lib.* IV. *Æneid.* (10) *lib.* XI. *Metamorph. pag.* 257. (11) *lib.* XI. *Lection. antiq. cap.* 4. 5. 6. 7. (12) *in Selenographicis pag.* 109. (13) *de primo Mobili pag.* 31.

lus[1]. Eandem ob cauſam dicit Lucretius[2]:

Luna notho fertur lumine:

Apulejus[3] de Proſerpina: *Solis ambagibus diſpenſans incerta lumina.* Quæ vero pro Lunæ propriâ & inſitâ luce adverſus experientiam manifeſtam diſputat *Scipio Ceſenas Claremontanus*[4], illa expendimus alio loco. Propterea quoque mulos vehiculo ejus appingebant, Soli equos tribuebant, ſcilicet ut mulus non ſuo genere, verum ab equis procreatur, ita fulgeat Luna luce Solis, non propriâ, *Feſto* referente. Variant tamen Poëtæ, & nota ſunt illa Propertii[5]:

Et mediis cœlo Luna ruberet equis.

XVII. VENUS Jovis filia, eaque formoſiſſima, Oceanum matrem habere dicitur. *Antipater Sidonius*[6]:

Τὴν ἀναδυομένην ἀπὸ μητέρος ἄρτι θαλάσσης
Κύπριν Ἀπελλαίης μόχθον ἔφη γραφίδος,
Ὡς χερὶ συμμάρψασα βαρύκομον ὕδατι χαίτην,
Ἐνθλίβει νοτερῶν ἀφρὸν ἀπὸ πλοκάμων.

Expreſſit Auſonius Burdegalenſis[7]:

Emerſam pelagi nuper genitalibus undis,
Cyprin Apellæi cerne laboris opus.
Ut complexa manu madidos ſalis æquore crines,
Humidulis ſpumas ſtringit utraque comis.

Atque ideo ſculpebatur, manu prehendens comam aquis madidam, eamque exprimens. Ovidius[8]:

Cum fieret, lapis aſper eram, nunc nobile ſignum,
Nuda Venus madidas exprimit imbre comas.

Horatius[9]:

Lævum marinæ qui Veneris latus
Cuſtodit.

Et[10]:

Qui dies menſem Veneris marinæ
Findit Aprilem.

Vir-

(1) *lib.* I. *Aſtronom. cap.* 9. & *in Tabulis ſecundorum Mobilium pag.* 25. & *in Pandoſio Sphærico cap.* 47. (2) *lib.* V. (3) *l. d.* (4) *de Univerſo lib.* VII. *cap.* 2. (5) *lib.* I. *Eleg.* 10. (6) *lib.* IV. *Anthолog. cap.* 12. *num.* 26. (7) *Epigram.* 104. (8) *lib.* III. *de Arte amandi* (9) *lib.* III. *Carm.* 26. (10) *lib.* IV. *Carm.* 11.

Virgilius[1]:

Tum Saturnius hæc domitor maris edidit alti,
Fas omne eſt Cytherea, meis te fidere regnis,
Unde genus ducis. —— ——

Cytherea eſt Venus, ἁλιγφής. De quo vide etiam *Joach. Camerarium*[2]. Aquæ ſenſu arcano populi ſunt *Numer.*[3], *Daniel.*[4], *Apocal.*[5]. Ros quoque eſt procreationis ſymbolum, *Pſal.*[6], & per στεμνὴν κρύψιν *Cantic.*[7]. Lavabant aquâ poſt congreſſum meretrices perinde & fœminæ honeſtæ. Ovidius[8]:

Dedecus hoc ſumpta diſſimulavit aqua.

Martialis[9]:

Quod fellas & aquam potas, nil Lesbia peccas,
Qua tibi parte opus eſt, Lesbia ſumis aquam.

Indidem exponas illud, *mulier ſcortum comedit & tergit os ſuum.* Proverb.[10]. (Diximus quædam *in Auctariis ad Epitomen Hiſtoriæ Pappi*[11].) Servuli cubicularii miniſtrabant aquam in vaſis, & *Baccariones* vocantur *in Gloſſis vetuſtis*, quas proferunt *Jacobus Stær*[12], *Ramirezius*[13], *Dionyſ. Gothofredus*[14]. *Aquariolus uxoris ſuæ*, eſt apud *Apulejum*[15], de ſervulo iſto, & *Lenones perductores aquarioli* dixit *Tertullianus*[16]. Nec non Lampridius *in Vita Heliogabali*[17]: *Aquam geſſit ut lenonum miniſter.* Ergo *Baccarion* eſt περιοδιάκονος. Cæterum Venus non ſolum ipſa ex aquis genita eſt, ſed quoque Dea procreationis eſſe laudatur. *Lucretius* ad Venerem[18]:

Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficis, ut cupide generatim ſecla propagent.

Et qui parentibus incertis orti erant, ut natalibus famam quærerent, Venere progenitos ſeſe jactabant, quo-

(1) *lib.* v. *Æneid.* (2) *in Quæſitis promiſcuis pag.* 98. (3) XXIV. 7. (4) VII. 3. (5) XVII. 15. (6) CX. 3. (7) V. 3. (8) *lib.* III. *Amorum eleg.* 7. (9) *lib.* II. *Epigram.* 50. (10) XXX. 20. (11) *pag.* 360. (12) *in Lexico Juris pag.* 108. (13) *Notis ad Martialem pag.* 121. (14) *Notis ad Feſtum pag.* 1700. (15) *Apolog.* II. (16) *in Apologet. cap.* 43. (17) *pag.* 465. *Hiſtoriæ Auguſtæ.* (18) *lib.* I.

modo Æneas Latinorum Regulus, Romanæ gentis conditor, credebatur fuiſſe Veneris & Anchiſæ filius. Virgilius[1]:

—— —— *Ille ubi matrem*
Agnovit, tali fugientem eſt voce ſecutus,
Quid gnatum toties crudelis tu quoque falſis
Ludis imaginibus? —— —

Romani colebant Venerem Genitricem. Lucretius[2]:

Æneadum genitrix. — ----

Imitatur Rutilius Numantianus[3]: *Æneadum matrem.* Horatius[4]:

--- --- *Et almæ*
Progeniem Veneris canemus.

Adde *Plinium*[5], *Macrobium*[6]. Cum primis venerabantur, qui a Julio Cæſare deſcendebant. Virgilius[7]:

--- *Cingens materna tempora myrto.*

De Auguſto loquitur, qui per Julium Cæſarem patruum magnum ducebat genus ab Julo Æneæ filio. Vellejus[8]: *Cæſar nobiliſſimâ Juliorum genitus familiâ, & quod inter omnes antiquiſſimos conſtabat, ab Anchiſe & Venere deducens genus.* Et vero myrtus ſacra Veneri erat. Virgilius[9]:

Formoſæ myrtus Veneri. --- ---

& confer *Johan. Meurſium*[10]. Myrtus linguâ Hebræâ eſt הדס *Nehem.*[11] *Eſai.*[12] *Zachar.*[13], unde eſt *Hadaſſa* proprium nomen virginis ejus, quæ copulabatur Xerxi Perſarum Regi. *Eſther.*[14] Nam poſt accepit nomen Perſicum, *Eſther*, cum in aulâ dominabatur Regina. סתר Perſis *aſtrum* eſt, itaque Eſther eſt *fulgida ſtella*, uti notat *Scaliger*[15], ac conſentit *Janus Druſius*[16].

XVIII. Lo-

[1] *lib.* I. *Æneid.* [2] *initio operis.* [3] *lib.* I. *Itinerarii num.* 68. [4] *lib.* IV. *Carm.* 15. [5] *lib.* VII. *c.* 38. *lib.* IX. *c.* 35. *lib.* XXV. *c.* 4. [6] *lib.* I. *Saturnal. c.* 12. [7] *lib.* VIII. *Georgic.* [8] *lib.* II. [9] *Bucolic.* VII. [10] *Arboreto ſacro lib.* II. *cap.* I. [11] VIII. 16. [12] XLI. 19. [13] I. 10. 11. [14] II. 7. [15] *ad Euſebium in Animadverſ. pag.* 15. [16] *Obſervationibus ad Eſtheram pag.* 76.

XVIII. Locus eſt in Epiſtolâ *Jeremiæ Barucho* annexa[1] : *Sedent mulieres funiculis accincta ad vias, ſuccendentes oſſa olivarum.* Pertinet ad rem præſentem. Funiculos ſolvebant quæcunque mulieres Veneri litare volebant, quam Babylonii μύλιτταν, id eſt, Genitricem, vocabant. Ità fieri conſueviſſe apud Babylonios & vicinas Gentes, narrant *Herodotus*[2], *Strabo*[3]. Quod dicitur, *ſuccendentes oſſa olivarum*, eſt in Græco, θυμιῶσιν τὰ πίτυρα. De accenſis furfuribus exponunt *Tigurini*, *Aria Montanus*, *Franciſcus Junius*, *Vatablus*[4]: Qui ità ſcribit, τὰ πίτυρα *ſunt ſordes & excrementa quædam ſive farinæ purgamenta, quæ meretrices Dis ſuis adolebant, hunc enim furfuraceum odorem illis gratiſſimum eſſe putabant.* Hæc vix probabilia ſunt. Rectius omnino *Grotius*, qui notat, πίτυρα *Hebræorum* פתורת & *aperturam ſignificare.* Refert *Athenæus*[5], quod Philadelphum Regem, cum ſororem Arſinoen matrimonio duxerat, reprehenderit amicus ejus Sotades, *nefas eſſe* dicens, *aculeum trudere in rimam ſanctam. Rimam* quoque vocat, Auſonius Burdegalenſis[6]:

Eſt in ſeceſſu tenuis quo ſemita ducit.
Ignea rima micans. —— ——

Porro lege illa quæ ſequuntur, ac noſces quid ſit θυμιῶσιν τὰ πίτυρα. *Suffire naturam* eodem ſenſu dicit *Plinius.* Vetabat hujuſmodi proſtibula in Lege ſuâ Deus *Levit.*[7], & confer *Johannem Seldenum*[8], *Johan. Michaelem Dilherr.*[9]

XIX. Veneris filius CUPIDO & in amore perſuadendo Matri ſuæ adjunctus, quem ſuſcepit illa e Mercurio peſſimo errone, ut decebat eſſe Deorum nuncium, & protectorem furum; Horatius[10]:

Sive tu mavis Erycina ridens,
Quam Jocus circumvolat & Cupido.

Erycina

[1] *verſ.* 42. [2] *lib.* I. [3] *lib.* XVI. [4] *in Notis.* [5] *lib.* VII. *Dipnoſophiſt.* [6] *in Feſcennino illo Centone.* [7] XIX. 29. [8] *de Diis Syris Syntagm.* II. *c.* 7. [9] *Tom.* I. *Diſput. Philologic. pag.* 166. [10] *lib.* I. *Carm.* 2.

Erycina Venus eſt ſic dicta ab Eryce monte Siciliæ, ubi habebat fanum opulentum. *Inſcriptio* Taurinenſis apud *Gruterum* [1]: VENERI. ERYCINÆ. V. S. L. M. Rurſum Horatius [2]:

—— —— *Veneremque & illi*
Semper hærentem puerum canebat.

Eum prolixe deſcribit *Propertius* [3]. Pulcritudinem Diuæ laudat Virgilius [4]:

—— —— *Venus aurea contra*
Pauca refert. —— ——

Χρυσὴ Ἀφροδίτη, *aurea*, id eſt, pulcerrima: *Aphrodite* eſt Venus, uti multis diſſerit *Cœlius Rhodiginus* [5]. Et ob pulcritudinem ſuam Lucifero inferri meruit, ſiderum pulcerrimo, *& quod bene poſitum formoſam, lepidam, ſuavem, affabilem, honeſtam uxorem Nato decernit*, ſecundum pronunciata Genethliacorum, *Joh. Garcæus* [6], *Joh. Schonerus* [7]. Examinent de Noſtradami ſodalitio conſcripti Planetarii thema ſuum, certe quod Venerem bene affectam habent, vel inde facile conſtat, quia ſunt petulci muliercularum contrectatores & nocturni aſſeſſores, uti notum eſt de Saturno acronycho, Nativitatum farcinatore famoſo: at vero, quomodo matrimonio acceperunt, Ambubajas pediculoſas? Nimirum fatuorum fatua fata ſunt. De Dardane refert Scaliger [8]. *Genethliacus in ſuis illuſtribus genituris multa præclara prædicebat cuidam ſummi ordinis viro tam ab ipſius, quam a liberorum fortuna: quo quidem homine poſt omnem memoriam nihil fuit infelicius, ſive ipſius, ſive uxoris, ſive liberorum exitum ſpectes. Idem Genethliacus cum multis annis diem & horam mortis ſuæ determinaſſet, & appetente tempore nihilominus bene valeret, quamquam octogenario major, ne artem contumeliæ exponeret, inediâ conſtituit mori, quod neſcio ſe-*

C

rius,

[1] *In Volumine pag.* 59. [2] *lib.* I. *Carm.* XXXII. [3] *lib.* II. *Eleg.* IX. [4] *lib.* X. *Æneid.* [5] *lib.* VI. *Lect. Antiq. cap.* 17. [6] *in Methodo Aſtrologiæ pag.* 214. [7] *lib.* I. *de Judiciis Nativitat. cap.* 12. [8] *Prolegomenis ad Manilii Aſtronomica.*

rius, an citius ante conſtitutum ab eo tempus contigerit. Res nota eſt. Et tamen ille tantus in eâ arte fuit, ut hodie ejus decreta ſint κύριαι δόξαι. Si illi qui familiam in hac arte ducunt, ita pueriliter decipiuntur, quid ab aliis exſpectes, qui illorum decretis inſiſtunt? Hæc Scaliger.

XX. MARS Jovis filius cum Venere concubuit, & propterea ab hujus marito Vulcano in vincula conjectus, liberavit ſeſe & in patriam reverſus eſt. Ovidius[1]:

Mars quoque deprenſus fabrilia vincula ſenſit.

Porro cum patruo ſuo Neptuno in Græciam profectus, cœptâ cum filio ejus rixâ, & congreſſus duello occidit juvenem, itaque apud Areopagitas cauſam dixit, abſolutus equidem cædis, verum perpetuo exilio damnatus, quâ cœperat viâ, cædibuſque non uno loco graſſatus, latrociniorum princeps & bellorum Deus habitus eſt. Rutilanti maxime ſideri terriſque inimico adſcriptus. Virgilius[2]:

Gradivumque patrem. —— ——

Nam hoc erat cognomen ejus eximium. Romuli pater eſſe creditus, veritate conſimili quâ Venus erat mater Æneæ Trojani. *Livius*[3], *Florus*[4]. Idem alias viris præclaris, ut natalium labem contegerent, uſu veniſſe, exemplis probant *Remigius*[5], *Gabriel Palæotus*[6]. Martis comes, lena, BELLONA, belli Dea. Virgilius[7]:

—— *Triſteſque ex æthere diræ*
Et ſciſſâ gaudens vadit Diſcordia pallâ
Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello.

Inſcriptio Romana: Q. CÆCILIO APOLLINARI. FANATICO. DE. ÆDE. BELLONÆ. PULVIN. CUJUS. MONITO. HASTA. IN. ÆDE. BELLONÆ. IN. LUCO. DICATA. EST. FIRMIA. TYCHE. CONJUNGI. SUO. BENE. MERENTI. SIBI. POSTERISQUE. SUIS. FECIT. ET. FIRMIÆ.

[1] *lib.* II. *Amor. Eleg.* IX. [2] *lib.* III. *Æneid.* [3] *lib.* I. [4] *lib.* X. *cap.* I. [5] *lib.* I. *Dæmonolatr. cap.* 6. [6] *de Spuriis cap.* 66. [7] *lib.* VIII. *Æneid.*

MIÆ. EURESINI. LIB. B. M. *Gruterus* [1]:

XXI. MERCURIUS Jovis e Majâ filius erat. Virgilius [2]:

Hæc ait, & Majâ genitum demittit ab alto.

Et [3]:

Materno veniens ab avo Cyllenia proles.

Et [4]:

Vobis Mercurius pater eſt, quem candida Maja
Cyllenes gelido conceptum in vertice ſudit.

Agyrta, Mercator, Literator, Vates, Medicus, Aſtrologus, Impoſtor, & omnia! *Inſcriptio* Meteriſis: MERCURIO. NEGOCIATORI. SACRUM. NUMISIUS. ALBINUS. EX. VOTO. *Gruterus* [5], Manilius [6]:

Tu princeps auctorque ſacri Cyllenie tanti,
Per te jam cælum in terris, jam ſidera nota.

Fuerit ille apud Græcos excultor Sideralis diſciplinæ, apud alias Gentes non fuit. Nam Chaldæi illam profeſſi dudum, teſtibus *Joſepho* [7], *Diodoro Siculo* [8], *Plinio* [9], & ab illis pervenit ad Ægyptios, quibus propterea ingens teſtimonium perhibent *Plato* [10], *Cicero* [11]. Mercurii vero diſcipulus fuit Prometheus, Caucaſi incola, qui de ſe ipſo refert apud Æſchylum [12]:

——— ——— *Ortum ego*
Oſtendi aſtrorum primus & occaſum.

Plura videris apud *Joh. Baptiſtam Ricciolum* [13]. De Mercurio ſcripſit Lucianus elegantem *Dialogum*. Et quæ munia ejus fuerint, canit Horatius [14]:

Mercuri facunde, nepos Atlantis
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formaſti catus, & decoræ
More palæſtræ:

[1] *in Volumine pag.* 313. [2] *lib.* II. *Æneid.* [3] *lib.* IV. [4] *lib.* VIII. [5] *in Volumine pag.* 55. [6] *lib.* I. *Aſtronom. pag.* 2. [7] *lib.* I. *Antiq. cap.* 15. [8] *lib.* II. *cap.* 8. [9] *lib.* VII. *cap.* 56. [10] *in Epinomide.* [11] *lib.* I. *de Divinat.* [12] *in Prometheo.* [13] *part.* I. *Almageſti novi præfat. pag.* 8. [14] *libro* I. *Carm.* 10.

Te canam magni Jovis & Deorum
Nuncium, curvaque lyræ parentem,
Callidum quicquid placuit jocoso
Condere furto.
Te boveis olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minacî
Voce dum terret, viduus pharetrâ
Risit Apollo:
Quin & Atridas duce te superbos
Ilio dives Priamus relicto,
Thessalosque ignes & iniqua Trojæ
Castra fefellit.
Tu pias lætis animas reponis
Sedibus: virgâque levem coherces
Aureâ turbam, superis Deorum
Gratus & imis.

Deorum Interpres, unde est ὁ ἡγεμὼν τοῦ λόγου. *Act. Apost.*[1] mercatorum patronus, furum protector, ut est in *Inscriptione* Patavina, de quâ videris *infrâ*[2]. Agyrtarum promotor, inferorum diribitor, literatorum fautor, bellorum disturbator, pacis autor, viarum publicarum indigitator †, palæstræ inventor. Ergo ver-

sa-



† Talis exprimitur in nummo Gentis Mamiliæ apud H. C. Henninium *in Notis ad Bergierii l.* IV. 43. §. 5.

[1] XIV. 12. [2] *lib.* IV. *cap.* 6. *num.* 14.





ſatili maxime Sideri virum deſultoriæ profeſſionis addiderunt. Virgilius[1]:

Quos ignis cœli Cyllenius erret in orbes.

Depingunt ut habeat alatos pedes.* Virgilius[2]:

Ut primum alatis tetigit magalia pennis.

Manibus protendit Caduceum, virgam ſacram quâ colligati duo ſerpentes, nodiſque ſuis involuti mutuo, ut ſeſe ex adverſim intueantur. Eſtque *caduceum*, uti vocat *Apulejus*[3], κηρυκίνη ῥάβδος, teſte *Julio Polluce*[4], atque inde proferunt *Cœlius Rhodiginus*[5], *Carolus Paſchalius*[6]. Nimirum inſigne quod gerebant *Caduceatores*, id eſt, pacis præcones, itaque Pacis & Concordiæ ſymbolum eſt in Scalpturis Gemmarum apud *Gorlæum*[7]. Κήρυξ *præco* eſt, & invenitur vox Græca in contextu Chaldaico כרון, *Daniel.*[8], quod monet *Pagninus*[9]. Æolum Ionumque coloniæ per Aſiam ſparſæ voces aliquas Græcas in plûrimis locis invexerunt, adeoque in contextu eodem occurrunt קיתרא / שבכא / פסנתרין / quæ certe ſunt Græcorum κιθάρα, σαμβύκη, ψαλτήριον, & quartum additur סמפניא / συμφωνία *Daniel.*[10]. Græci per Aſiam & voces & concentus Muſicos docuerant, quas illi a Phœnicibus acceperant, cum quibus Græci frequentia commercia exercebant, Ezech.[11]. Caduceum deſcribit Virgilius[12]:

Tum virgam capit, hac animas illo evocat Orco,
Pallentes, alias ſubtriſtia Tartara mittit,
Dat ſomnos, adimitque & lumina morte reſignat.

Ergo Satelles Orci & manium ductor eſt. Ψυχόπομπον ideo vocat *Artemidorus*[13]. Eodem ſenſu dicit Apule-

* Ut videre licet in hac ſtatua quæ eſt apud Octav. Ferrarium *l.* III. *de Re veſt.* c. 1.

[1] *lib.* I. *Georgic.* [2] *lib.* IV. *Æneid.* [3] *lib.* II. *Mileſiar. p.* 262. [4] *lib.* VIII. *Onomaſtici.* [5] *lib.* II. *Antiq. Lect. cap.* 49. [6] *de Legato cap.* 4. 5. [7] *in Dactyliotheçâ n.* 76. [8] III. 4. *cap.* 5. 29. [9] *in Epitome Theſauri Linguæ ſanctæ p.* 462. [10] III. 5. [11] XXVII. 13. [12] *lib.* IV. *Æneid.* [13] *lib.* I. *Onirocritic.*

jus[1]. *Mercurius animarum vector.* Quod enim vulgo ibi legitur, *carminum vector*, recte abolendum censent *Johannes a Wower*, *Scipio Gentilis*, *Johannes Pricæus*, *Brantius*, *Elmenhorſtius*. Inde Ajax apud *Sophoclem* incubiturus gladio ſuo καλῶ δέ ἅμα πομπαίον Ἑρμῆν χθόνιον, εὖ με κοιμήσειν, & confer *Inſcriptionem* Romanam apud *Johan. Jac. Boiſſardum*[2]. Porro Mercurius eſt procurator mortis. Nam hoc eſt,

——— *& lumina morte reſignat,*

itaque exponas, *oculos morte occludit*, cum *Joſepho Caſtalione*[3], *Hieronymo Magio*[4]. Diſerte Horatius

Num vanæ redeat ſanguis imagini,
Quam virga ſemel horrida
Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi?

Niger grex eſt manium cætus. Valerius Maximus[5]. *Defuſis Mercurio delibamentis, & invocato numine ejus, ut ſe placido itinere in meliorem ſedis infernæ deduceret partem, cupido hauſtu mortiferam traxit potionem.* Nec hoc tantum, ſed quoque animarum deſignator, quando per nova corpora eundum erat. Petronius[6]. *Mercurius qui animas ducere & reducere ſolet.* Reducere videlicet ab Orco, ut in corpora nova immigrent. Virgilius[7]:

Has omnes, ubi mille rotam volvêre per annos,
Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno,
Scilicet immemores ſupera ut convexa reviſant,
Rurſus & incipiant in corpora velle reverti.

Deus, ſcilicet Mercurius, & quæ de τῇ μετακυλίσει τῶν ψυχῶν fabulantur Pagani, vide apud *Servium*[8], & adde *Auctaria noſtra*[9]. Denique ut ſciretur. eſſe viarum indigitator, erigebant Hermas. Juvenalis[10]:

--- *Trun-*

(1) *in Apologia pag.* 295. (2) *part.* III. *Antiquitat. Romanar. fol.* 126. (3) *Decade* 4. *Obſervation. cap.* 4. (4) *lib.* IV. *Miſcellan. c.* 11. (5) *lib.* II. *cap.* 6. *num.* 1. (6) *in Satyro pag.* 198. (7) *lib.* VI. *Æneid.* (8) *Commentar. ad h. l. pag.* 439. (9) *ad Pappi epitomen Hiſtoriæ Eccleſiaſt. pag.* 158. (10) *Satyra* VIII.

——— *Truncoque ſimillimus Hermæ.*

Erant ſtatuæ ita efformatæ, ut caput ſolum appareret diſtinctum pro requiſitis partibus, reliquum corpus quadratum ſtabat rude & informe, cum notis adſcriptis quo viæ concurrentes ducerent in triviis & quadriviis. Colligebantur penes illas acervi lapidum, jactis ex tempore a viatoribus, ut ſenſim cumularentur. Λιθίνας σωρὸς vocat *Anytas* [1], λίθων συγχώσματα ſunt *in Sibyllarum centonibus*, λίθοι σεσωρευμένοι εἰς πυλῶ ἕ Ἑρμῆ, apud *Scholiaſten Nicandri* [2]. Romanus interpres *ad Proverb.* [3] legit: *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii.* Res nota eſt, eamque multis illuſtrat *Ferdinandus de Salazar* [4]. Hebræus textus alium ſenſum inducit, de quo vide *Tremellium* [5]. Receptum morem in conſtruendis ἑρμαῖοις λόφοις (uti vocat *Homerus* loco quodam) & cumulandis ibi lapidibus, commemorant etiam Thalmudiſtæ *in codice* אבודרה זרא, ubi vocatur אבן לטר קולים: Plurima vide apud *Buxtorfium* [6], *Caſparum Barthium* [7], *Joh. Cunradum Ditericum* [8], *Johannem Seldenum* [9], *Johannem Schildium* [10]. Arcades deprehenſum Mercurium, & quod multa furto abſtuliſſet, in judicio accuſatum, manibuſque detruncatum expulerunt, inde *Cyllenius* vocatus eſt ut refert *Servius* [11], κυλλὸς *mancus* eſt. Arnobius [12]: *Furem Mercurium publicavimus.* Cæterum Mercurii filius erat *Autolycus*, hujus filius erat *Siſyphus*, & Siſyphi filius *Sinon* fuit, ille qui Trojano equo appoſitus verba & fraudes compoſuit ad perdendum urbem hactenus invictam. Ita *Servius* [13], & ex illo *Taubmannus* [14].

(1) *in Epigrammatis Græcis.* (2) *in Theriacis.* (3) XXVI. 8. (4) *Comment. h. l.* (5) *in Notis.* (6) *in Lexico Thalmudico num.* 1263. (7) *lib.* IX. *Adverſarior. cap.* 5. (8) *part.* III. *Antiquit. Biblicar. pag.* 21. (9) *in Syntagm. de Diis Syris pag.* 351. (10) *lib.* II. *de Caucis cap.* 3. (11) *Commentario ad lib.* VIII. *Æneid.* (12) *lib.* IV. *Adverſ. Gentes pag.* 143. (13) *Commentario ad lib.* II. *Æneid. pag.* 237. (14) *Commentar. ibid. pag.* 434.

XXII. JUPITER * Saturni & Rheæ filius, ſic dictus eſt *quaſi juvans pater*, uti ſcribunt *Cicero*, *Aulus Gellius*, *Macrobius*, quos ſequuntur *Angelus Decembrius* [1], *Joſephus Scaliger* [2], *Philippus Beroaldus* [3], *Ludovicus Cappellus* [4]. Ab Hebræorum יהוה ſoli Deo proprio nomine deducunt *Johannes Seldenus* [5], *Fullerus* [6], *Joh. Gerhard. Voſſius* [7], *Melchior Goldaſtus* [8], *Chriſt. Becmannus* [9], *Samuel Petitus* [10], *Wilh. Stuckius* [11], *Peucerus* [12]. Et conſentit Grotius. *Tyrrheni qui ab Oriente in Italiam cum cæteris ſacris nomen hoc attulerunt, ita legiſſe videntur, uti nunc ſcribitur*. Jehovah. *Nam inde Latinum* Jovis *eſſe non dubito: ſed & Afri, ni fallor, ab iiſdem Tyriis Carthaginis conditoribus nomen idem eodem ſenſu acceperunt, nam apud illos quoque Deus vocabatur* Ἰοβας, *quod Latinis corruptè Juba ſcribitur, quo nomine & Reges Afrorum ſunt appellati* [13]. At neutra derivatio vera eſt, cum *Jupiter* origine Græcum, uſu Latinum ſit, uti mox dicemus. Cres patria eſt: Virgilius [14].

Creta Jovis magni medio jacet inſula ponto.

Ovidius [15]:

Cretes erunt teſtes, nec fingunt omnia Cretes,
Cretes nutrito terra ſuperba Jove.

Vetuſtiſſimum fanum habebat in oppido Aſſo, unde eſt Ἄσιος Ζεὺς apud *Stephanum*, de quo meminit *Lilius Gyraldus* [16]. Eſtque oppidum hoc Ἄσσον *Act. Apoſt.* [17] pro

* Hunc cum cognominibus *Ultoris*, *Propugnatoris*, & *Conſervatoris* conſpicimus in appoſitis nummis ex J. Gutherii *l.* 1. *de Jure Manium c.* 2.

(1) *lib.* v. *de re Literariâ cap.* 63. (2) *Notis ad Orphei Indigitamenta pag.* 181. (3) *in Annotatis variis pag.* 287. (4) *Oratione de Nomine DEI tetragrammato pag.* 325. (5) *Syntagm. de Diis Syrorum pag.* 203. (6) *lib.* II. *Miſcellan. cap.* 6. (7) *in Lexico Etymolog. pag.* 274. (8) *Notatis ad Columbani Abbatis carmina pag.* 90. (9) *de Originibus Ling. Lat. pag.* 552. (10) *lib.* II. *Miſcellan. cap.* 2. (11) *de Sacris Gentilium pag.* 16. & 33. (12) *de Divinatione pag.* 89. (13) *in Notis Euangelicis pag.* 379. (14) *lib.* III. *Æneid.* (15) *lib.* III. *Amor. eleg.* 10. (16) *in Hiſtor. Deor. lib.* II. *pag.* 107. (17) XXVII. 13.


IOVI CONSERVATORI.
IOVI PROPAGNATORI.
IOVI VLTORI.

pro cujus loci vero ſenſu adverſus *Bezam* diſputavimus *Auctariis ad Pappi Epitomen* [1], quibus adde *Danielem Heinſium* [2], *Balduinum Walæum* [3]. Scilicet Cretes, apud quos primus vixit ac obiit Deorum ille maximus Jupiter, Διὸς vocarunt Regem in ſidera perlatum, quod erat corruptum Θεὸς. Nomen & cultum ab illis acceperunt Aborigines, & *Dioſpiter* vocaverunt, ubi *Dios* eſt Cretenſium, *Piter* vero eſt Latinorum veterum, pro quo noviſſimi *Pater* dixerunt. Corrupèrunt ſenſim & omiſſa prima litera (d) factum eſt *Ioſpiter*, *Iovis piter*, *Iupiter*, vocali (o) in viciniorem (u) mutata & pro vaf inſerendo literam cognatam alteram (p) nam antiqui ſcribebant *Iuppiter*, uti ex *Ennio* retulit *Varro* [4]. Veteres Chriſtiani adhibuerunt citra ſuperſtitionem, ut docet *Inſcriptio* Romana: D M. AURELIO. BALBO. VITA. INTEGERRIMO. MORIBUSQUE. ORNATO. QUI. SE. QUIETIORIS. PERFECTIORISQUE. VITÆ. DESIDERIO. EX. NEGOCIIS. CIVILIBUS. IN. QUIBUS. FUERAT. CUM. LAUDE. VERSATUS. JOVIS. OPT. MAX. BENEFICIO. DUCTO. HIC. IN. SPE. RESURRECTIONIS. QUIESCENTI. LOCUS. PUBLICE. DATUS. EST. *Gruterus* [5]. Matris cura provida ſervatur, atque inter paſtorum conventicula ad montem Idam habitantium educatus, (quos *Curetas* appellant) melle victitavit, patrisque manus effugit, ne interficeretur. Virgilius [6]:

Nunc age, naturas apibus quas Jupiter ipſe
Addidit, expediam: pro quâ mercede canoros
Curetum ſonitus, crepitantiaque æra ſecutæ
Dictæo cœli Regem pavêre ſub antro.

Lucretius [7]:

Dictæos referunt Curetas, qui Jovis illum
Vagitum in Cretâ quondam occultaſſe feruntur:
Cum pueri circum puerum pernice choreâ

Armatæ

(1) *pag.* 9. (2) *lib.* v. *Exercit. ſacrar. cap.* 15. (3) *Commentario perpetuo ad Euangelia & Acta pag.* 1218. (4) *lib.* IV. *de Ling. Lat. pag.* 18. (5) *in Volumine pag.* 1050. (6) *lib.* IV. *Georgic.* (7) *lib.* II.

Armati numerum pulſarent æribus æra,
Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus,
Æternumque daret matri ſub pectore vulnus.

Juvenalis [1]:

Et privatus adhuc Idæis Jupiter annis.

Pater ab Oriente in terras illas profectus & Phœnicum moribus imbutus, ut Deorum gratiam mereri poſſet, quod cumprimis per humana ſacrificia fieri, gentibus illis perſuaſum erat [2], filios hactenus a ſe genitos immolaverat, & incompoſitos rudesque populos libere vivere, legibusque ſuis quanquam peſſimis, uti permiſerat. Rem deſcribunt *Strabo* [3], *Ovidius* [4]. Jupiter adultus expulit ſenem Tyrannum, uſus fideli ope & conſilio Promethei, qui apud *Æſchylum* refert, ἐμαῖς δὲ βουλαῖς ταρτάρου μελαμβάθης κόλπων καλύπτῃ τ' παλαιγενῆ Κρόνον αὐτοῖσι συμμάχοισι. Porro validiorum legum ope conſtrictis Inſulanis velut dominus imperavit, opificia & agriculturam injunxit. Navicullariam honeſtam per mercimonia inſtituit, judicia publica ordinavit, bellis etiam contra Titanes (qui montana incolebant & latrocinia in vicinos exercebant) implicitus, vaſtæ proceritatis homines de latibulis eductos occidit, caſtella eorum ſaxis arduis inædificata admotis machinis fortiter expugnavit. Hæc eſt celebris illa Gigantum pugna, quam victor Jupiter toto orbe celebrem fecit, ut eam Poëtæ omnes decantarent. Virgilius [5]:

Cœumque, Japetumque creat, ſævumque Typhœa,
Et conjuratos cœlum reſcindere fratres.
Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam
Scilicet, atque Oſſa frondoſum involvere Olympum;
Ter Pater exſtructos disjecit fulmine montes.

Et [6]:

Hic genus antiquum terræ Titania pubes,
Fulmine dejecti fundo volvuntur in imo.

Hic

(1) *Satyrâ* XIII. (2) *Micheæ.* V. 7. (3) *lib.* X. *Geograph.* (4) *lib.* IV. *Faſtor.* (5) *lib.* I. *Georgic.* (6) *lib.* VI. *Æneid.*

Hic & Aloidas geminos, immania vidi
Corpora, qui manibus magnum reſcindere cœlum
Aggreſſi, ſuperisque Jovem detrudere regnis.

Similia narrant *Apollonius* [1], *Ovidius* [2], *Horatius* [3], & confer *Johannem Goropium Becanum* [4], *Natalem Comitem* [5], *Johannem Chaſſanionem* [6]. Non male quidem iſta, ſed hoc minus bene, quod Saturni tempora commendent velut meliora bonisque omnibus commodiora præ ſeculo Jovis. Virgilius [7]:

Ante Jovem nulli ſubigebant arva coloni,
Nec ſignare quidem aut partiri limite campum
Fas erat, in medium quærebant, ipſaque tellus
Omnia liberius, nullo poſcente, ferebat.

Hactenus de Saturni ævo: nunc de Jovis:

Tum variæ venere artes, labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.

Et [8]:

Ante etiam ſceptrum Dictæi Regis, & ante
Impia quam cæſis gens eſt epulata juvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

Dictæus Rex Jupiter eſt, quia educatus fuerat in partibus montium Cretæ, quos vocabant Dicte. Ergo in ſeculo aureo, cum Saturnus agebat in terris, non licebat carne veſci, ac contenti erant homines ſponte natis frugibus. *Bovem tunc occidiſſe, capitale erat*, ait *Varro* [9], & confer *Auctaria noſtra ſæpius allegata* [10]. Tibullus [11]:

Nunc Jove ſub domino cædes & vulnera ſemper:
Nunc mare, nunc leti mille repente viæ.

Latrocinari & impune graſſari, beſtiarum more vagari, rapere & occidere impune, non eſt ita eximium aliquid. Neque hoc verius dicitur, quam quod *Albertus*

(1) *lib.* II. *Argonautic.* (2) *lib.* I. & V. *Metamorph.* (3) *lib.* III. *Carm.* 4. (4) *in Originibus Antverpianis lib.* I. *pag.* 137. (5) *lib.* II. *Mythologiæ cap.* I. & 2, *lib.* VI. *cap.* 20. 21. 22. (6) *de Gigantibus cap.* 7. (7) *lib.* I. *Georg.* (8) *lib.* II. *Georgicor.* (9) *lib.* II. *de re Ruſtica cap.* 5. (10) *pag.* 190. 307. 308. (11) *lib.* I. *Eleg.* 2.

bertus Bolognetus[1] ſcribit: *aureum ſeculum fuiſſe apud Americanos, antequam eo advenirent Hiſpani.* Scilicet conjugia ignorare, obvios ſpoliare, occidere innocentes, rapto vivere, humanis carnibus veſci erant præclara iſtorum facinora! hæc aureum nomen integræque juſtitiæ laudem vix obtinebunt apud æquos rerum judices, qui potius negabunt in illo σκυθισμῷ ullas virtutes emicuiſſe. Beneficia, quibus Jupiter humanum genus ornavit, effecerunt, ut Deorum ſummus prædicaretur. Juno affatur:

——— *Non hoc mihi namque negares*
Omnipotens, ——— ———

Virgilius[2]. Eminenti cognomine, quod eſt אל שדי *Geneſ.*[3] Πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε ait *Homerus*[4]. Eodem ſenſu Horatius[5]:

Gentis humanæ pater atque cuſtos
Orte Saturno. ———

Et porro illatus ſideribus, ſplendidiſſimum Jovem denominavit terris amiciſſimum & fortunatum. Magnificis laudibus Regem hunc effert *Diodorus Siculus*[6]. Adulteria ejus non excuſamus, adeoque illa illisque ſimilia cum opprobrio Paganiſmi recte voluit inculcare *Arnobius*[7], ut Chriſtianis objecta crimina domeſticis teſtimoniis refelleret. Juvenalis[8]:

Viderunt primos argentea ſecula mœchos.

Quod plurium uxorum maritus erat, ab Oriente eſt, ubi Reges habebant ampliſſima uxorum & pellicum contubernia 2. *Samuel.*[9] 1. *Reg.*[10] Τὰ ψευδεγὰ Poëtarum ſunt, quibus non eſt temere credendum. Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται. Statius[11]:

——— *Neque enim ipſe Deorum*
Arbiter Argolidum flammis novus.

Jupi-

(1) *de Jure & Legibus.* (2) *lib.* 1. *Æneid.* (3) XVII. 1. (4) *lib.* 1. *Odyſſ.* (5) *lib.* 1. *Carm.* 12. (6) *lib.* III. *cap.* 61. (7) *lib.* IV. *Adverſ. Gentes.* (8) *Satyra* VI. (9) III. 2. *cap.* XII. 8. *cap.* XVI. 21. (10) XI. 3. (11) *lib.* IV. *Thebaid.*

Jupiter haud novus amator eſt apud Argivas. Varia accepit cognomina. Eſtque dictus: (1) FERETRIUS, *



σκυλόφορος quem ara poſita dedicavit Romulus, poſtquam Regem Ceninenſium profligabat, & ſpolia opima hoſtibus adempta, inque pompæ triumphalis feretro appenſa deferebat ſecum in urbem. *Livius*[1], *Dionyſius Halicarnaſſ.*[2] *Propertius*[3], *Florus*[4]. (2) STATOR, ab eodem Romulo conſecratus, qui Sabinorum armis preſſus, cum milites ſuos fugientes videret, precibus a Deo impetravit, ut ſiſterent fugam, ſtarentque animis receptis; *Livius* & *Florus*[5]. Meminerunt *Inſcriptiones* Trajani: IOVI. STATORI. HERCULI. VICTORI. M. ULP. NERVA. TRAJANUS. CÆSAR. VICTO. DECEBALO. DOMITA. DACIA. VOTUM. SOLVIT. ASPICE. ROMULE. PATER. GAUDETE. QUIRITES. VESTRA. EST. GLORIA. *Gruterus*[6]. Et[7], alia ad Iſaram fluvium Bavariæ: I. O. M. STATORI. FL. VETURIANUS. LEG. IIII. REVERSUS. AB. EXPEDIT. BURICA. EX. VOTO. POSUIT. Habet eandem *Marcus Velſerus*[8], & vero pertinet ad tempora Antonini Imperatoris, qui bellum Marcomanno-

* Cujus templum cum ſpoliis opimis nitide apparet in nummo Marcellorum, cujus ectypum hic dedimus *ex Tomo* III. *Theſ. Antiquit. Græcar.*

(1) *lib.* 1. (2) *lib.* II. *cap.* 36. (3) *lib.* IV. *Eleg.* 11. (4) *lib.* 1. *Hiſtor. Roman. cap.* 1. (5) *l. d.* (6) *in Volumine pag.* 23. (7) *ibidem.* (8) *in Monumentis peregrinis fol.* 233.

mannicum, in quo præter alias gentes etiam Burii militabant teſte *Capitolino*[1], & ibidem Schrevelio[2], feliciter confecit. (3) ELICIUS, quem Numa Pompilius artium omnium Magicarum peritiſſimus inſtituit fulminum procuratorem, ac proinde ſævum, malignum, nocentem. Sacra ejus arripiebat Tullus Hoſtilius, cumque non rite operabatur, fulmine ictus deflagrabat in Palatio. *Livius*[3], *Florus*[4], *Plutarchus*[5]. (4) SPONSOR & ULTOR, qui fœderibus pangendis & votis faciendis adeſſet, præmiator eorum qui fidem ſervarent: ultor, ſi contra egiſſent. Autor numinis fuit Tarquinius Superbus, *Dionyſ. Halicarn.*[6] (5) LUCETIUS, quod lucis autor ſummus & unicus vitam largiretur hominibus, teſte *Feſto Pompejo*[7]. (6) TONANS & PLUVIUS, quod tonitrua & pluvias cieret, ac ſublunarium bono moderaretur, ne illa nocerent, utque hæ prodeſſent. *Inſcriptio* Romana: JOVI FULGURATORI. Nec non Hiſpanica: DEO. FULGURATORI ARA. Et alia Interamnenſis, JOVI. FULMIN. FULG. TONANTI. apud *Gruterum*[8]. Alia: JOVI. SANCTO. BRONTONTI. AUR. POPLIUS. *Gruterus*[9], *Jacobus Boiſſardus*[10]. Ubi *Brontonti* eſt idem quod *Tonanti*, & confer *Elmenhorſtium*[11]. Virgilius[12]:

——— *O qui res hominumque Deûmque*
Æternis regis imperiis, & fulmine terres.

Horatius[13]:

At cum Tonantis annus hibernus Jovis
Imbres niveſque comparat.

Utrumque eſt a Græcis, ubi colebantur Ζεὺς βροντεύς, Ζεὺς ὕέτιος, ἰκμαῖος, ὄμβριος, uti ex *Apollonio*, *Pauſaniâ*, *Strabone*, *Plutarcho*, *Arriano*, *Luciano*, *Heſychio*,

D refe-

(1) *cap.* 22. (2) *in Annotatis pag.* 200. (3) *lib.* 1. (4) *lib.* 1. *Hiſtor. Rom. cap.* 2. 3. (5) *in Vitis illuſtribus pag.* 37. (6) *lib.* 9. (7) *lib.* XI. *de Verborum ſignificationibus pag.* 307. (8) *pag.* 21. (9) *pag.* 17. (10) *part.* 5. *Antiquitat. Romanar. fol.* 83. (11) *Notatis ad Arnobium pag.* 137. (12) *lib.* 1. *Æneid.* (13) *lib.* V. *Carm.* 2.

referunt *Joh. Brodæus* [1], *Janus Gebhardus* [2], *Melchior Goldaſtus* [3]. Eodem pertinent illa Statii [4]:

—— Tu nunc ventis Pluvioque rogaris
Pro Jove, tu refugas vires & pectora bello
Exanimata reple. — ——

Jovem Tonantem venerabatur Auguſtus *Dion* [5]. Pluvium columna erecta orbi commendavit Antoninus Philoſophus Imperator, de qua re notavimus lectu digna *in Auctariis noſtris* [6], & confer *Onufrium Panvinium*. [7] Tibullus [8]:

Arida nec Pluvio ſupplicat herba Jovi.

& ibidem *Simon Abbes Gabbema* [9], *Johannes Goropius Becanus* [10]. Martialis [11]:

Ecce negas, juraſque mihi per templa Tonantis,
Non credo: jura Verpe per Anchialum.

Per templa Tonantis, id eſt, Jovem Capitolinum juramento ſacro obligabantur Romani, at Judæorum conceptum jusjurandum erat *per Deum viventem*. De Anchialo quædam tentat *Johan. Brodæus* [12], ſed deficit in conatu. Vera ſententia eſt, quam ex Hebræorum conſuetudine eruunt *Scaliger* [13], *Scriverius* [14], *Farnabius* [15], *Schrevelius* [16], adeoque juramentum eſt illud, אם חי אלה *ſi vivit Dominus*, *Jerem.* [17] Poëta convaſavit, ut vocabuli unius rationem ſortirentur, metroque includi poſſent. Aliorum divinationes afferunt *Petitus* [18], *Johan. Seldenus* [19]. Cæterum Jovi Tonanti opponebatur Jupiter Serenus, a quo ſudum & tempeſtas amabilis proveni-

(1) *lib.* 11. *Miſcellan. cap.* 21. (2) *Animadverſ. ad Tibullum pag.* 54. (3) *Notis ad Columbani Carmina pag.* 91. (4) *lib.* 1v. *Thebaid.* (5) *lib.* LIV. (6) *pag.* 110. (7) *Commentariis ad lib.* 11. *Faſtorum pag.* 232. (8) *lib.* 1. *Eleg.* 8. (9) *in Notis variis pag.* 271. (10) *in Originibus Antwerpianis lib.* 111. *pag.* 233. (11) *lib.* 11. *Epigram.* 95. (12) *lib.* x. *Miſcellan. cap.* 33. (13) *Præfat. ad libros de Emendat. Tempor.* (14) *Notis ad Martialem.* (15) *Notis ibid. pag.* 368. (16) *Notis ibid. pag.* 651. (17) v. 2. (18) *lib.* 1. *Var. Lect. cap.* 16. (19) *Prolegomenis libri de Succeſſione ad Leges Ebræorum.*

veniret. *Inſcriptio* Romana: IOVI. SERENO. NUMISIUS. ALBINUS. EX. VOTO. *Jacobus Boiſſardus*[1]: FORTUNÆ. REDUCI. ET. IOVI. SERENO. DIIS. DEABUSQUE. SUB. QUORUM. TUTELA. AUGG. MILITANT. C. STATIUS. PLAUTIANUS. D. D. *Petrus Appianus*[2], *Gruterus*[3].

XXIII. Apud Barbaros celebris erat Jupiter Ammonius, id eſt, arenarius, ἄμμος *arena* eſt, & ſitientes Libyes illi ἐν τόποις ἀνύδροις habitabant. Catullus[4]:

Oraculum Jovis inter æſtuoſi.

Propertius[5]:

Hac neque arenoſum Libyci Jovis explicet antrum.

Ager in medio arenoſus, ait de locis illis *Saluſtius*[6], & ſimilia referunt *Juſtinus*[7], *Herodotus*[8], *Arrianus*[9], *Pomponius Mela*[10]. Templum Jovis Ammonii, & viam ad illud periculoſam ob arenas maximas, prolixe commemorat *Curtius*[11]. *Inſcriptio* Romana: IOVI. HAMMONI. ET. SILVANO. P. STERTINIUS. QUARTUS. D. D. *Gruterus*[12]. Oraculo nobile erat, & lucerna perpetua ibi ardebat. Virgilius[13]:

Hic Ammone ſatus raptâ Garamantide Nymphâ,
Templa Jovi centum, latis immania regnis,
Centum aras poſuit, vigilemque ſacraverat ignem.

Jovem Arietinum vocat *Aulus Gellius*[14] ſcilicet, quia ſpecie arietis cornigeri non nunquam apparebat. Lucanus[15]:

Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus unum,
Inculti Garamantes habent, ſtat corniger illic
Jupiter, ut memorant, ſed non ut fulmina vibrans,
Aut ſimilis noſtro, ſed tortis cornibus Ammon.

Corrupte legitur in Silio Italico[16]:

(1) *part.* III. *Antiquitat. Romanar. fol.* 24. *& part.* III. *fol.* 123. (2) *in Collectaneis pag.* 221. 320. (3) *in Volumine pag.* 22. *num.* 1. (4) *Epigram.* VII. (5) *lib.* IV. *Eleg.* 1. (6) *in Jugurthina.* (7) *lib.* I. (8) *lib.* II. (9) *lib.* III. (10) *lib.* I. *cap.* 8. (11) *lib.* IV. *Hiſtor.* (12) *in Volumine pag.* 21. *num.* 7. (13) *lib.* IV. *Æneid.* (14) *lib.* III. *cap.* 3. (15) *lib.* IX. *Pharſal.* (16) *lib.* III. *de Bello Punico ſecundo.*

Exin clavigeri veneratus Numinis aras
Captivis onerat donis. —— ——

Emendari debet :

Exin cornigeri veneratus, ——

uti monet *Franciſcus Modius*[1], quanquam hoc non approbet *Daniel Heinſius*[2]. Hodie quoque Dæmon conventiculis Sagarum præſens eſt formâ hirci vaſta cornua protendentis, ut prodit *Nicolaus Remigius*[3]. Jovem Hammonem fuiſſe *Chamum* pietatis & honeſtatis deſertorem uti legitur *Geneſ.*[4] contendunt *Caſpar Peucerus*[5], *Fullerus*[6], *Hugo Grotius*[7], *Nicolaus Blancardus*[8], *Bochartus*[9], *Johan. Micrælius*[10]. Certum eſt, quod ille in Africam profectus, vaſtam hanc Orbis partem incolis impleverit, proinde veroſimile eſt, voluiſſe poſteros magnum progenitorem ſuum cultu aliquo proſequi, exemplo Gentium aliarum. Reliquiæ ſunt plurimæ. Apud Ægyptios *No-ammon*, urbs populoſa & magna in Pharo condita, quam Sennacheribus evertit tempore illo, quo Sabacus Æthiopiæ Rex ſimul Ægypto præerat, *Eſai.*[11], *Nahum.*[12], נא אמון eſt Διόσπολις. *Inſcriptio* Romana : JOVI. HAMMONI. ET. SILVANO. P. STERTINIUS. QUARTUS. D. D. *Petrus Appianus*[13].

XXIV. NEPTUNUS* Jovis frater. Virgilius[14] :

Tum Saturnius hæc domitor maris edidit alti.

Plautus[15] : *Salſipotenti & multipotenti Jovis fratri Tænario Neptuno.* Sic enim locum in vulgatis editionibus corruptum (& *Nerei Neptuni*, ubi vide *Taubmannum*[16]) reſti-

* Eum cum inſignibus depictum exhibet nummus, quem dedit Al. Donatus *l.* III. *de Urbe Roma c.* 17.

(1) *in Lectionibus novantiquis Epiſt.* 34. (2) *in Notis ad Silium pag.* 37. (3) *lib.* I. *Dæmonolatriæ cap.* 23. (4) IX. 22. (5) *de Divinat. fol.* 88. (6) *lib.* II. *Miſcell. ſacror. cap.* 4. (7) *Notatis ad lib.* I. *de Verit. Relig. Chriſt. pag.* 199. (8) *Notatis ad Curtium, pag.* 304. (9) *lib.* I. *Geograph. ſacræ cap.* I. (10) *in Deſcriptione Pomeraniæ lib.* I. *cap.* 25. (11) XX. 2. 3. 4. (12) III. 8. (13) *pag.* 316. *Collectaneorum.* (14) *lib.* V. *Æneid.* (15) *in Trinummo Act.* IV. *ſc.* I. (16) *in Commentario pag.* 110.



reſtituit *Samuel Petitus* [1]. In Tænaro Laconicæ promontorio erat ſacra Neptuno ædes, uti refert *Thucydides* [2], & meminit *Lilius Gyraldus* [3]. Huc pertinent illa Propertii [4]:

Non ſic Æmonio Salmonida mixtus Enipeo,
Tænarius facili preſſit amore Deus.

Celebris pyrata; atque ævo illo pyratica non erat flagitium. Scholiaſtes *Homeri* [5]: τὸ λῃςεύειν οὐκ ἄδοξον ἀλλ' ἔνδοξον καὶ τοῖς παλαιοῖς, & conſentiunt *Thucydides* [6], *Plutarchus* [7]. Scilicet, quia victus cauſâ exercebant eam, & in Barbaros, uti putabant, licebat, velut a Gentium jure excluſos. (Quem prætextum habere poterant David quoque, & Jephtah, cum prædas a vicinis agerent ſuo ductu & periculo, 1. *Samuel.* [8], *Judic.* [9]) Ac porro quod ſtipe exigua contenti diſcederent, neque alia incommoda navigantibus procurarent. Ita Neptunus maris Deus nuncupatus eſt.

—— *Suſpendiſſe potenti*
Veſtimenta maris Deo,

ait *Horatius* [10]. Eique ſacra fecerunt mercatores & nautæ per Oceanum vagantes. *Inſcriptio* Badenſis, IN. H. D. D. D. NEPTUNO. CONTUBERNIO. NAUTARUM. CORNELIUS. ALIQUANDUS. D. S. D. *Gruterus* [11]. Præterea

 miles

(1) *lib.* 11. *Miſcellan. cap.* 7. (2) *lib.* 1. *Hiſtor.* (3) *in Hiſtoriâ Deor. Syntagm.* 4. *pag.* 154. (4) *lib.* 1. *Eleg.* 13. (5) *ad Hymnum Apollinis.* (6) *lib.* 1. (7) *in Vitâ Alcibiadis pag.* 76. (8) XXVII. 8. (9) XI. 3. (10) *lib.* 1. *Carm.* 5. (11) *in Volumine pag.* 62. *n.* 4.

miles fuit, & rei equeſtris magiſter optimus, domuit equos, itaque Ἵππιος dictus eſt, *Diodorus* [1]. *Feſtus Pompeius* [2], *Pauſanias* [3]. Equum prolicuiſſe ajunt de terra, poſtquam eam fuſcina ſua (τελούχῳ δορὶ, uti vocat *Lycophron* [4]) percuſſerat. Virgilius [5]:

Fudit equum magno tellus percuſſa tridenti
Neptuno. ——— ———

Lucanus [6]:

Primus ab æquoreâ percuſſis cuſpide ſaxis
Theſſalicus ſonipes bellis feralibus omen,
Emicuit. ——— ———

Proinde quia primus equos domare & aurigationibus addere docuerat, in honorem ejus Delphinos ſeptem locaverunt Romani prope metas in ſpina Circi maximi, velut Neptuni indices, uti pingunt *Onufrius Panvinius* [7], *Jacobus Laurus* [8], & vide quæ dicemus *infra* [9], nec non *Bulengerum* [10]. Neptunus & Apollo ſtruxerunt mœnia Trojæ, itaque culti pro Divis, & hi ſunt Dii Penates illi, quos Æneas de flammis ereptos in Italiam deportavit, exemplum ejus quod legitur *Sapient.* [11], Horatius [12]:

Gens quæ cremato fortis ab Ilio
Jactata Thuſcis æquoribus ſacra
Natosque maturosque patres
Pertulit Auſonias ad urbes.

Eum ſub nomine *Melicartæ* venerabantur Phœnices, Tyrii, Sidonii, ut autumat *Nicol. Fullerus* [13], adeoque nomine alio vocabatur *Hercules Tyrius*, *Euſebius* [14]. Nomen eſt Phœnicium מלך־קרתא *Rex urbis*, ὁ πολιοῦχος Θεός. Quare *Seldenus* [15] ſcribat, *quid ſit ἄρσ in*

(1) *lib.* VII. *cap.* 15. (2) *lib.* VIII. *de Verborum Significat. pag.* 296. (3) *in Achaicis.* (4) *in Caſſandrâ.* (5) *lib.* I. *Georg.* (6) *lib.* VI. (7) *lib.* I. *de Ludis Circenſibus pag.* 15. 18. 32. 41. 49. 50. 56. 62. (8) *part.* I. *Antiquitat. Romanar. num.* 14. 21. (9) *lib.* II. *cap.* 6. *num.* 2. (10) *de Ludis Circenſibus cap.* 9. 19. (11) XIV. 1. (12) *lib.* IV. *Carm.* 4. (13) *lib.* III. *Miſcellan. ſacr. cap.* 16. (14) *lib.* I. *Præparat. Euangel.* (15) *Syntagm.* I. *pag.* 182.

in dictione μέλκαρθος, non ſatis intelligo, cauſa nulla eſt evidens, utpote quod eum latere non poſſet manifeſta vocis compoſitio ſecundum dialectum Syrienſem. Gentes illæ dabant ſedulam mercaturæ operam, erantque nautæ ab omni memoria celebres, quod laudant Scriptores ſacri *Eſai.* [1] *Ezech.* [2] Ab hoc Neptuno ſunt coloniæ Indorum aliquæ, de quibus Alexandro Macedoni retulerunt incolæ, adductas eas eſſe ab Hercule Tyrio. *Curtius* [3], *Arrianus* [4]. Efficias inde, Neptunum eundem fuiſſe cum Dagone Phœnicum tutelari. De quo eſt *infra* [5].

XXV. VULCANUS Junonis filius, citra viri congreſſum progenitus, uti *Heſiodus* autor eſt. Jovis iram fugiens Lemnum vicinasque maris Tyrrhenii Inſulas occupavit, ubi fabricas ferrarias conſtruxit, & varia inſtrumenta pro humanis uſibus præparare docuit. Virgilius [6]:

Inſula Sicanium juxta latus Æoliamque
Erigitur Liparem, fumantibus ardua ſaxis,
Quam ſubter ſpecus, & Cyclopum exeſa caminis
Antra Ætnæa tonant, validisque incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, ſtriduntque cavernis.
Strictura Chalybum & fornacibus ignis anhelat,
Vulcani domus & Vulcania nomine tellus.

Juvenalis [7]:

— Æoliis vicinum rupibus antrum
Vulcani. —— ——

Nomen haut diſſimile illi quod eſt *Thubalcain*, ſed & faber uterque, *Geneſ.* [8] *Samuel Bochartus* [9]. Primus invenit & percoluit Alchymiam, uti diſſerit *Sennertus* [10].

XXVI. APOLLO Jovis & Latonæ filius. Horatius [11]:

(1) XXIII. 1. (2) XXVI. 2. *cap.* XXVII. 1. (3) *lib.* VIII. (4) *lib.* IV. (5) *cap.* 6. *num.* 7. (6) *lib.* VIII. *Æneid.* (7) *Sat.* 1. (8) IV. 22. (9) *lib.* 1. *Geograph. ſacr. cap.* 12. (10) *de Conſenſu & Diſſenſu Chymicorum cum Ariſtotele pag.* 39. (11) *lib.* IV. *Carm.* 4.

Rite Latonæ puerum canentes.

Per Arcadiam inclaruit Muſicam docendo, & vivendi leges promulgando inde νομίων dictus. Vaticinia & præſagiorum artes excoluit Delphis, in Delo, & apud Inſulanos alios, uti referunt *Cicero*[1], *Plutarchus*[2]. Hinc illud:

—— *Et eris mihi magnus Apollo.*

Virgilius[3]. Nimirum quia ſoli Apollini conceſſum erat, ut divinaret. Laurum arborem ei propriam fecerunt, & qui vaticinari volebant, laurum comedebant, aut cum vera ſomnia cuperent, dormientes capiti ſubſternebant, uti *ex Serapione Aſcalonita* monet *Fulgentius*[4], ac porro notant *Cœlius Rhodiginus*[5], *Bernhardus Realinus Carpenſis*[6], *Lilius Gyraldus*[7], *Johannes Meurſius*[8]. Inde eſt hoc Tibulli[9]:

Vera cano ſic uſque ſacras innoxia lauros Veſcar. ----

Claudianus[10]:

—— *Venturi præſcia laurus.*

Ἐνεργεῖ πρὸς ἐνθουσιασμούς, ait Scholiaſtes *Homeri*. Nam & ipſe *Heſiodus* poſt laurum deguſtatam factum ſe Poëtam refert[11]. *Theophraſtus*[12], Δάφνης εἰς τὸ στόμα λαβών. Lucretius[13]:

Pythia quæ tripode ex Phœbi lauroque profatur.

Laurus ergo μαντικὸν φυτὸν, & vates apud *Lycophronem*[14], Δαφνήφαγος. *Augur Apollo* eſt apud *Virgilium*[15], *Horatium*[16]. Inde eſt quod *Hippocrates*[17] ſcribit: Ἡ τελικὴ καὶ μαντικὴ πάνυ συγγενεῖς εἰσιν, ἐπεὶ δὴ ἐκ τῶν δύο πεχνέων παλαιὸς εἷς Ἀπόλλων. Præterea erat maris vicini præfectus. ἱερὸς θεὸς Ἀκτίῳ Ἀπόλλωνι eſt in Orphei *Carminibus*. Virgilius[8]:

Mox & Leucatæ nimboſa cacumina montis

Et

(1) *Orat. 3. Verrinar.* (2) *in Vitâ Pelopidæ pag. 118.* (3) *111. Bucol.* (4) *lib. 1. Mythолog.* (5) *lib. 111. Lection. antiq. cap. 7.* (6) *in Annotatis variis cap. 1.* (7) *in Dialogis variis cap. 16.* (8) *in Arboreto ſacro lib. 1 cap. 4.* (9) *lib. 11. Eleg. 5.* (10) *lib. 11. de Raptu Proſerp.* (11) *lib. 1. Theogon.* (12) *in Characteribus.* (13) *lib. 1.* (14) *in Caſſandrâ.* (15) *lib. 1v. Æneid.* (16) *lib. 1. Carm. 2. & lib. v. in Carm. ſecul.* (17) *Epiſt. ad Philopœm.* (18) *lib. 11. Æneid.*

Et formidatus nautis aperitur Apollo.

Ubi *formidatus* exponit Servius, *propter aſperitatem locorum quæ ſaxoſa ſunt* [1]. Melius vero Jacobus Nicolaus Löenſis [2]: *formidatus, id eſt, veneratione cultus ut averteret naufragia, quæ ibi propter importunitatem littoris crebro fiebant. Actius Phœbus* eſt apud *Propertium* [3], ſcilicet, littus Actium vel Epiroticum eſt pars aliqua maris Ægei. Architecti munia ſubiit, cum Trojæ urbis mœnia ſtruebantur, ſumptus faciente Laomedonte Rege. Virgilius [4]:

——— *Trojæ Cynthius author.*

Horatius [5]:

Ter ſi reſurgat murus aheneus,
Autore Phœbo.

Medicinam & pecuariam apud Theſſalos & Græcos reliquos profeſſus. Ἀπόλλων ἰητρὸν vocat *Hippocrates* Medicinæ parens [6], ubi multa erudite monet *Johan. Henricus Meibomius* [7]. Ovidius [8]:

Inventum medicina meum eſt, opiferque per orbem
Dicor, & herbarum eſt ſubjecta potentia nobis.

Virgilius [9]:

——— *Et te memorande canemus*
Paſtor ab Amphryſo. ———

Tibullus [10]:

Pavit & Admeti tauros formoſus Apollo.

Porro venator & jaculandi peritus. Juvenalis [11]:

——— *Et Cyrrhæi ſpicula vatis.*

Cyrrhæus vates Apollo eſt, qui in urbe Cyrrhâ ad radices montis Parnaſſi in Phocide colebatur. Et Parnaſſi alterum faſtigium Cyrrha erat ſacrum Apollini. Perſius [12]:

Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo
Memini, ut repente ſic Poëta prodirem.

(1) *Commentar. h. l. pag.* 291. (2) *lib.* III. *Miſcellan. cap.* 15. (3) *lib.* IV. *Eleg.* 6. (4) *lib.* III. *Georg.* (5) *lib.* III. *Carm.* 3. (6) *in* Ἔρχῳ. (7) *in Commentario pag.* 26. (8) *lib.* I. *Metamorph.* (9) *lib.* III. *Georg.* (10) *lib.* II. *Eleg.* 3. (11) *Sat.* 13. (12) *in Prologo.*

Lucanus [1]:

—— Quantum ſemotus Eoo
Cardine, Parnaſſus gemino petit æthera colle,
Mons Phœbo Bromioque ſacer. ——

Nam Baccho ſacrum erat faſtigium alterum, Niſa. Cæterum volunt Parnaſſum dictum eſſe quaſi *Larnaſſum*, & creditum vulgo, appuliſſe ibi τὴν Λάρνακα ſive arcam Deucalionis per diluvii aquas enavigantis. *Ovidius* [2]. Atqui certæ veritatis eſt, Bœotiæ & vicinæ Phocidos pleraque loca a Cadmo & Syris fuiſſe condita, idque arguit nomen urbis Thebarum, Syriacum prorſus, uti diſſerit *Joſephus Scaliger* [3]. Ab eâ origine eſt monti huic nomen. Syris פרנס eſt idem quod νέμειν, & פרנסין ſunt *paſtores*, ergo παρνασὸς valet πὰς νομὰς, montem ubi greges ſuos paſcebant. Horatius [4]:

—— Nec te metuende certâ
Phœbe ſagitta.

Mellis uſum docuit per Ariſtæum filium ſuum è Calliope Nymphâ, ex quâ ſuſcepit alterum quoque filium, Orpheum. *Juſtinus* [5], *Ovidius* [6], *Virgilius* [7], *Apollonius* [8]. Plurima horum ediſſerit Virgilius [9]:

Jamque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapis
Jaſides: acri quondam cui captus amore
Ipſe ſuas artes ſua munera lætus Apollo
Augurium citharamque dabat, celeresque ſagittas.
Ille ut depoſiti proferret fata parentis,
Scire poteſtates herbarum, uſumque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

Habes Auguria, Citharam, Sagittas, uſum medendi. Et ipſam Medicinam vocat *mutas artes*, uti *Servius* exponit [10], ἐμπειρίαν ἰατρικὴν. Tota enim vis artis ejus in facto potius eſt, quam in verbis. De quo plura etiam tra-

(1) *lib.* v. (2) *lib.* I. *Metamorph.* (3) *Conjectaneis ad Varronem pag.* 232. (4) *lib.* I. *Carm.* 12. (5) *lib.* XIII. (6) *lib.* I. *Metam.* (7) *lib.* IV. *Georg.* (8) *lib.* II. *Argonautic.* (9) *lib.* XII. *Æneid.* (10) *in Comment. b. l. pag.* 685.

tradunt *Hieron. Mercurialis* [1], *Andreas Tiraquellus* [2], *Joh. Henr. Meibomius* [3], *Gronovius* [4]. Addit *inglorius*, quod a ſervis & libertis fere tractaretur, donec Cæſar primus decus addidit arti præſtantiſſimæ ad ſalutem generis humani inventæ, uti probant *Laurentius Pignorius* [5]. Inde *Artorius Medicus & amicus Auguſti*, Suetonius [6], nec non *Charicles Medicus & amicus Tiberii* apud *Tacitum* [7], & confer *Hugonem Grotium* [8]. *Inſcriptio* Aſſiſiana: P. DECIMIUS. P. L. EROS. MERULA. MEDICUS. CLINICUS. CHIRURGUS. OCULARIUS. VI. VIR. HIC. PRO. LIBERTATE. DEDIT. H. S. IↃↃ. HIC. PRO. SEVIRATU. IN. REM. P. DEDIT. HS. M. M. HIC. IN. STATUAS. PONENDAS. IN. ÆDEM. HERCULIS. DEDIT. HS. M. HIC. IN. VIAS. STERNENDAS. IN. PUBLICUM. DEDIT. HS. M. M. IↃↃ. HIC. PRIDIE. QUAM. MORTUUS. EST. RELIQUIT. PATRIMONII. HS. M. &c. Libertatem precio redemit qui ſervus hactenus fuerat, ut honores adire poſſet, *Gruterus* [9], *Joh. Jac. Boiſſardus* [10]. Erat denique Magicarum artium patronus. Virgilius [11]:

Summe Deûm, ſancti cuſtos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
Paſcitur, & medium freti pietate per ignem
Cultores multâ premimus veſtigia prunâ.

De eodem ritu egit Silius Italicus [1].

——— *Patrio qui ritus in arvo*
Cum pius Arcitenens accenſis gaudet acervis,
Exta ter innocuos late portare per ignes:
Sic in Apollineâ ſemper veſtigia prunâ
Inviolata teras, victorque vaporis ad aras
Dona ſerenato referas ſollennia Phœbo.

Arcitenens eſt Apollo. *Pineus ardor* ſunt acervi accenſi. Fami-

(1) *lib.* III. *Variar. Lect. cap.* 13. (2) *de Nobilitate cap.* 38. (3) *Comment. ad Jusjurandum Hippocratis pag.* 192. (4) *Notis ad Statii Thebaida pag.* 385. (5) *de Servis pag.* 94. (6) *lib.* II. *cap.* 91. (7) *lib.* VI. *Annal.* (8) *in Annotatis Euangelicis pag.* 593. (9) *in Volumine pag.* 400. (10) *part.* 3. *Antiquit. fol.* 148. (11) *lib.* II. *Æneid.* (12) *lib.* V.

Familiæ Hirpiorum ſuper incenſam lignorum ſtruem ambulabant incolumes, poſt annuum ſacrificium ad Soracten montem in Flaminiâ peractum, *Strabo*[1], *Plinius*[2], *Solinus*[3]. Erat hoc φοιβάζειν, luſtrare corpora, quod in Molochi ſacrificiis olim etiam faciebant Phœnices, uti dicemus *infra*[4]. Oraculum Delphicum ab eo inſtitutum eſt; Δελφικὲ μαντὶ, ait *Orpheus*[5]. Et Tibullus[6]:

Delos ubi nunc Phœbe tua eſt, ubi Delphica Pytho?

Πύθων, id eſt, vates quæ per obſcœna corporis reddebat oracula, ut exponunt *Origenes*[7], *Jamblichus*[8], & quæ nos *infra*[9], ἐγγαστρίμυθος ideo vocant *Plutarchus* & *Heſychius*. Nam *Hermolaus Barbarus*[10] & *Dionyſius Voſſius*[11], in manifeſto quidem errore ſunt, cum γαστέρα accipiunt pro vaſe aliquo divinationum inſtrumento peculiari. De qua re dubitare non ſinunt nos *Origenis* & *Jamblichi* teſtimonia aperta. Hoc templum immenſis Regum donariis honoratum, ſummo precio fuit, *Diodorus Siculus*[12], *Juſtinus*[13], *Pauſanias*[14], *Strabo*[15]. Maxime inclytum in terris Oraculum, vocat *Livius*[16]. Deſiit una cum aliis eo fere tempore quod propius aberat ab adventu Meſſiæ in carnem, uti prædictum erat, *Zephan.*[17]. Teſtatur Cicero[18]. *Oracula Delphis non eduntur, non modo noſtra ætate, ſed jamdiu.* Et *Lucanus* eodem tenore[19]:

——— *Quid ſpes, ait, improba veri*
Te Romane trahit? muto Parnaſſus hiatu
Conticuit preſſitque Deum: ſeu ſpiritus iſtas
Deſtituit fauces, mundique in devia verſum

Duxit

(1) *lib.* v. *Geograph.* (2) *lib.* VII. *Hiſtor. natur. cap.* 2. (3) *in Polybiſtor. cap.* 7. 10. 22. 35. (4) *cap.* 6. *num.* 11. (5) *in Hymnis pag.* 143. (6) *lib.* II. *Eleg.* 3. (7) *lib.* VII. *contra Celſum.* (8) *de Myſteriis Ægyptiorum.* (9) *cap.* 12. *diſt.* 15. (10) *in Caſtigationibus Plinianis.* (11) *Notatis ad Maimonidem de Idololatriâ pag.* 151. (12) *lib.* II. (13) *lib.* XXIV. *Hiſtor.* (14) *in Atticis & Phocicis.* (15) *lib.* IX. *Geograph.* (16) *lib.* I. (17) III. 9. (18) *lib.* II. *de Divinat.* (19) *lib.* V.

Duxit iter: ſeu barbarica cum lampade Pytho
Arſit, in immenſas cineres abiêre cavernas,
Et Phœbi tenuêre viam: ſeu ſponte Deorum
Cirrha ſilet, fatique ſat eſt arcana futuri
Carmine longævæ vobis commiſſa Sibyllæ:
Seu Pæan ſolitus templis arcere nocentes,
Ora quibus ſolvat noſtro non invenit ævo.

Cauſas quærit ceſſantis Oraculi, & non invenit. Statius[1]:

——— *Mutiſque diu plorabere Delphis.*

Cur defecerint Oracula, diſquirunt *Ariſtoteles*[2], *Cicero*[3], *Plutarchus*[4], *Petrus Pomponatius*[5], *Levinus Lemnius*[6], *Henricus Nollius*[7]. Sed veram non produnt, quando Oraculorum effata adſcribunt vaporibus è telluris penetralibus eductis. Nam oſtendant illi, quomodo res vitæ & rationis expers, qualis terræ ſpiracula omnia ſunt, præſentium aut futurorum cognitionem habere poſſit? Recurrit ſemper quæſitum de Oraculis illis, quare loco uno ita potenter affecerint animos Dæmonicolarum, non vero etiam loco alio? Et quare ſimul gentium ubique evanuerint, ut non in locis aliis nova proruperint? Dicit Cicero: *Poteſt vis illa terræ, quæ mentem Pythiæ divino afflatu concitabat, evanuiſſe vetuſtate, ut quoſdam videmus exaruiſſe amnes.* Atqui non eſt a vetuſtate, nec enim ab hac patitur quod viciſſitudini temporum haud obnoxium eſt. De amnibus eſt manifeſta cauſa, quando illi neceſſario mutant curſum, perrumpendo littora alia, vel obſtructis cuniculis impediuntur per labes fortuitas, ut reſtagnent & aliovorſum decurrant. Multis hoc proſequuntur *Joach. Camerarius*[8], *Caſpar Peucerus*[9]. Recte ſcribit Prudentius[10]: *Ex*

(1) *lib.* VIII. *Thebaid.* (2) *de Mundo cap.* 4. (3) *lib.* 1. *de Divinatione.* (4) *libro peculiari.* (5) *de Incantationibus pag.* 298. (6) *lib.* II. *de Occultis Naturæ Miraculis cap.* 2. (7) *in Phyſ. Hermet. lib.* III. *pag.* 171. (8) *Præfatione ad libros de Natura & effectis Dæmonum.* (9) *de Divinatione fol.* 100. (10) *in Apotheoſi pag.* 281.

Ex quo mortalem præſtrinxit ſpiritus alvum
Spiritus ille DEI, DEUS & ſe corpore matris
Induit, atque hominem de virginitate creavit,
Delphica damnatis tacuerunt ſortibus antra.

Cæſar *Julianus* mittebat *Paulum Oribaſium* Medicum, ut reſtauraret, ſed fruſtra ille operam navabat, ut Dæmonem inſeſſorem introduceret, de qua re notavimus *in Auctariis* [1] & confer *Petrum Crinitum* [2]. Quod enim *Claudianus* [3] narrat

——— *Tibi corniger Ammon,*
Et dudum taciti rupêre ſilentia Delphi.

veritate nimis abuſus eſt, licet ingenio non pepercerit nobilis Poëta. Fatetur ipſe Oraculi ſilentium, vocando *dudum tacitos Delphos*, neque ſacrilegia illa curabat Theodoſius everſor fanorum & idolorum de majori Orbis terrarum parte. Confer *Barthium* [4]. Fatetur impietatis aſſertor Symmachus [5]: *Non vides Oracula olim locuta deſiiſſe, nec ullas in antro Cumano literas legi, nec Dodonam loqui fontibus, nec de ſpiraculis Delphicis ullum carmen audiri?* Neque tamen inficiamur, ſæpius eſſe in vulgus ſparſa dicteria quædam Apollinis, ſed ficta. Planetarii, Satanæ vates ſortilegi vice Oraculi in Delphis erant. Ad hos referri debet illud Suetonii [6]. *Conſulto Delphis Apolline, ſeptuageſimum ac tertium annum cavendum ſibi exiſtimavit.* Delphicus certe Dæmon exceſſerat ante annos multos, atque conſulente ibi Nerone, Planetarii & nativitatum Stelliones quidam, Satanæ inſtrumenta, Dæmonis ruinas utcunque loco illo ſuſtinuerunt.

CAP.

(1) *pag.* 3. & *pag.* 126. (2) *lib.* XIV. *de Honeſtâ Diſciplinâ cap.* 3. (3) *de Quarto conſulatu Honorii.* (4) *Animadverſionibus ad h. l. pag.* 589. (5) *lib.* IV. *Paræneſeos ad Theodoſium cap.* 33. (6) *lib.* VI. *cap.* 40.

CAP. II.

De Selectis Diis popularibus.

I. SECUNDO loco veniunt *Dii Selecti populares*, & inter eos primus JANUS, filius Cœli, id eſt, ab Oriente. Nam *Cœlus* Græcorum ſermone eſt οὐρανὸς, hujuſque vocis derivationem fruſtra domi ſuæ quærunt Græci, ut bene monet *Nicolaus Fullerus*[1]. Non eſt ab ὅρος, vel ab ὁράω, ſed a Phœnicibus devenit ad Græcos, ac proprie cœlum ſiderum notat, perennem illum puri luminis fontem, itaque ab אור eſt אורן / id eſt, *lucidum*, & cum paragoga Græcorum οὐρανός. Ei ſimillimum eſt vocabulum vere Græcum, ſive domeſticum, ὄλυμπος videlicet, quaſi dicas ὁλόλαμπος, quia totus fulget clariſſimâ luce. *Uranus* idiomate Phœnicio refertur Phœnicum Regulus, apud *Euſebium*[2] ex *Sanchuniatonis* hiſtoriâ. Sive ergo ipſe Noach alter Orbis parens in Italiam profectus ibi obiit, quod *Beroſus* fabulator prodit; ſive quod acta ejus per traditionem cognoverint Aborigines, hoc certum eſt, Janum eſſe, quem Noam vocant *Literæ Sacræ*, eumque laudant agriculturæ & vindemiæ repertorem, aut ſaltem inſtauratorem, *Gen.* 3. Dicit Lilius Gyraldus[4]. *Quis Noachum exiſtimet fuiſſe Janum, aut quis Janum putet ſignificare vitiſerum?* At quis neget, fuiſſe Noam, ubi accuratius expenduntur circumſtantiæ omnes? *Primo* quidem arguit hoc viri nomen, quod Syriacum eſt, יין *vinum*, inde Janus eſt *vinitor*, qui primus omnium ab exacto diluvio Noah fuit, Phœnicibus coram notus. Græci Οἰνότριον vocabant, ſenſu eodem, atque inde Latini acceperunt *Oenotrium*, à quo Italiæ melior pars dicta fuit priſcis *Oenotria*,

(1) *lib.* 1. *Miſcell. cap.* 13. (2) *lib.* 1. *de Præparat. Euangel.* (3) v. 29. *cap.* IX. 20. (4) *Syntagm.* IV. *hiſtor. Deor. pag.* 151.

notria, teſtibus *Strabone*[1] & *Pauſania*[2]. Neque aliter Virgilius[3]:

Eſt locus, Heſperiam Graji cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ,
Oenotrii coluêre viri, nunc fama, minores
Italiam dixiſſe Ducis de nomine gentem.

ubi *Servius*[4] annotat: *Oenotria dicta eſt a vino optimo, quod in Italia naſcitur.* Neſcio quare hoc reprehendat *Adrianus Junius*[5]. Porro etiam Sabinus ab Oenotriis ortum cepit. Virgilius[6]:

—— —— *Paterque Sabinus*
Vitiſator ſervans curvam ſub imagine falcem.

Prima horum ſedes fuit in Meſopotamia, ubi Oenotrios olim habitaviſſe, *ex Hecatæo Abderita* docet *Stephanus*[7]. Ac vere tradidit *Dionyſius Halicarnaſſ.*[8] fuiſſe *Pelaſgos*, id eſt, advenas è Syriâ, פלגש. Dicemus *infra*[9], & confer *Philippum Cluverum*[10]. *Secundo* probat idem circumſtantia accurata, quod pingebatur bifrons. Virgilius[11]:

—— *Janique bifrontis imago.*

Veteres Nummi ærei parte una habebant Janum laureatum bifrontem, altera navem. Refert *Macrobius*[12], & ante illum monuit *Athenæus*[13]. Ἰανὸν δὲ λόγῳ ἔχει δισπρόσωπον γεγονέναι τὸ μὲν ὀπίσω. Et deinde, ὅτι δὲ νομίσμασιν ἐχαράττετο πρόσωπον δικέφαλον, καὶ ἐκ θατέρας μέρους ἢ χεδίαν ἢ στέφανον ἢ πλοῖον, Ovidius[14]:

—— *Sed cur navalis in ære*
Altera ſignata eſt, altera forma biceps?
Cauſa ratis ſupereſt: Tuſcum rate venit in amnem,
Ante pererrato falcifer orbe Deus.

Adde *Plutarchum*[15]. Nummi effigiem a *Johanne Sambuco*

(1) *lib.* III. *Geograph.* (2) *in Arcadicis.* (3) *lib.* I. *Æneid.* (4) *pag.* 216. (5) *lib.* I. *Animadverſ. cap.* 13. (6) *lib.* VII. *Æneid.* (7) περὶ πολεων. (8) *lib.* I. *Antiquit.* (9) *cap.* 12. *num.* 1. 2. (10) *lib.* I. *Italiæ antiquæ cap.* 1. (11) *lib.* VII. *Æneid.* (12) *lib.* I. *Saturnal. cap.* 9. (13) *lib.* XV. *Dipnoſoph.* (14) *lib.* I. *Faſtor.* (15) *in Quæſt. Roman. num.* 22.

buco acceptam expreſſit *Theodorus Canterus* [1], & alius eſt apud *Abrahamum Gorlæum* [2]. * Eſtque navicula



λάρναξ illa, qua incluſus effugit diluvium; bifrons a Phœnicibus atque Ægyptiis depictus, quia πρὸ ἧς ὀπίσω vidit, id eſt, primum ac ſecundum inhabitavit Orbem, interprete *Arnobio* [3], aſſentiturque poſthabitis fabulis Advaticis *Johannes Goropius Becanus* [4]. Quod enim *Ovidius* [5] exponit:

Omnis habet geminas hinc atque hinc Janua frontes,
E quibus hæc populum ſpectat, & illa Larem,

frivolum eſt, & melioris antiquitatis imperitiam prodit. Alia quæ hîc conatur *Paulus Voht* [6], illa nec laudamus, nec improbamus.

II. SATURNUS filius Cœli, de quo *Lipſius* [7] ſecutus *Feſtum* & *Macrobium* ait, *Saturnum dictum eſſe à ſatu, itaque Saturnus erat nomen antiquum in carmine Saliari.* An hæc vere dicantur, paulo poſt videbimus. Ab Oriente per mare profectus (itaque πᾶς Ὠκεανῆ τε ἧς Τηθυὸς dictus a *Platone* [8] adiit Cretam deducta in

E agros

* Similem hic adjecimus ex M. Lipenii *Strenarum Hiſtoria* c. III. §. 22.

(1) *lib.* II. *Var. Lect. cap.* 23. (2) *in Theſauro Numiſmatum tab.* XXVI. *num.* 1. (3) *lib.* VI. *adv. Gentes.* (4) *lib.* IV. *Origin. pag.* 380. (5) *l. d.* (6) *Notatis ad Herodianum pag.* 195. (7) *lib.* I. *Saturnal. pag.* 7. (8) *in Timæo.*

agros Insulæ ejus nova colonia, ubi *comedo filiorum suorum exstitit*, id est, victimas humanas non parce, sed affatim obtulit, filios quoque suos mactavit, secundum tradita Phœnicum, apud quos sacrificia Molochi erant ex hominum genere. Quod è Phœnicibus fuerit, nomen prodit. Virgilius[1]:

Primus ab atherio venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens & regnis exul ademptis.
Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris,
Aureaque (ut perhibent) illo sub Rege fuerunt
Secula, sic placida populos in pace regebat.

Ergo Saturnus est *Latius*, a סתר *latuit*, adeoque optime interpretatur Virgilius, *latuisset in oris*. Locus est Sapientiæ[2]. *Et viscerum carniumque humanarum voratores, epulumque sanguinarium.* De Phœnicibus agitur, & verba in sensu literali accipit *Johan. Henricus Ursinus*[3], ut dicatur *vere illos devorasse homines*. Atqui de vivis comestis nihil occurrit apud veteres, de vivis pro victimâ crematis plena sunt omnia. Figurate ergo interpretari debent, & *sanguinarium epulum* vocat convivium post sacra oblata celebratum, humano sanguine deturpatum adeoque maxime nefarium. Quod sacrificia illa cupide nimis adhiberet Saturnus, alias quoque multa barbare ageret, latrocinia in vicinos exercendo, solio dejecit eum filius Jupiter optimæ indolis princeps, virtutumque industrius cultor, inde profugus venit in Italiam, & Jani Regis familiaritatem nactus, exul provixit, donec Jano defuncto succederet. *Saturnia tellus*, est de Italia apud *Virgilium*[4], & *Saturnia arva*, apud eundem[5]. Propter austeros mores siderum nocentissimo & hominum saluti infestissimo illatus. *Virgilius*[6]:

Fri-

(1) *lib.* VIII. *Æneid.* (2) XII. 5. (3) *lib.* II. *Analector. sacror. quæst.* 27. (4) *lib.* II. *Georgic.* (5) *lib.* I. *Æneid.* (6) *lib.* I. *Georg.*

Frigida Saturni ſeſe quo ſtella receptet.

Hic *frigida* eſt *nocens*, uti declarant *Servius*[1], *Angelus Decembrius*[2]. Eodem ſenſu Juvenalis[3]:

Hæc tamen ignorat, quid ſidus triſte minetur
Saturni, quo læta Venus ſe proferat aſtro.

Adde *Marſilium Ficinum*[4], *Jovianum Pontanum*[5], *Tholoſanum*[6], *Davidem Origanum*[7], & cumprimis *Andream Argolum*[8], *Johannem Garceum*[9], locis ſexcentis, præſtigiarum vaniſſimarum deſcriptores curioſos, adverſus quas erudite diſputat *Claudius Salmaſius*[10]. Tanti viri doctiſſimum opus, ſi refutaverunt, ut jactant agyrtæ, edant, & vindicias noſtras expectent ſecuri. Habemus per Dei gratiam & vires & ocium; ut ſubſidio bonarum artium *(Genethliacorum verò pars maxima omnium bonarum literarum & imperita & hoſtis eſt*, ait divinus *Scaliger*[11]. *)* Viri maximi hujus famam defendamus adverſum *ſceleſtiſſimos vates Genethliacos*, quo titulo eos ornat *Paulus Merula*[12] inſignis mathematum Doctor. Plura diximus *Auctariis ad Pappi Epitomen*[13]. Ea vix edita orbi innotuerant, cum obſtrepebat Faunus ſcævus, *me rem non intelligere*. Ergo vero illi repono libere, quod agyrtarum fraudes non exerceam, hactenus enim Ambubajam non adduxi in thorum, quæ Satanicarum divinationum quæſtus peſſime acquiſitos malè profundat: cœterum orbi literato & ingenuo coram demonſtrabo, quantum temporis obtrectator, in ſugendis agyrtarum venenis perdidit, tantum nos, per Dei gratiam, operæ adhibuiſſe in pervolvendis Scripturis, veterum Patrum monumentis,

(1) *Comment. b. l. p.* 79. (2) *lib.* IV. *de Re Literariâ pag.* 325. (3) *Sat.* VI. (4) *lib.* III. *de Vitâ cœleſti comparandâ cap.* 22. (5) *lib.* II. *de Rebus Cœleſtibus cap* 8. (6) *lib.* VIII. *Syntaxeos Artis mirabilis cap.* 30. (7) *Introductione ad Ephemerides pag.* 537. (8) *in Ptolemæo parvo pag.* 8. 15. 16. 18. 21. 23. 24. 25. 90. 137. 174. (9) *in Methodo Aſtrologiæ judiciariæ.* (10) *de Annis climactericis.* (11) *Notis ad Manilii Aſtronomica pag.* 183. (12) *part.* I. *Coſmog. lib.* II. *cap.* 16. (13) *pag.* 166.

Philoſophorum, Hiſtoricorum, Poëtarum, Mathematicorum, Jureconſultorum libris, Theologorum voluminibus. Quæſivi patronos agyrtarum, ſed qui eſſe vellent, niſi ipſi etiam agyrtæ eſſent, non inveni, adeoque Satanicas nugas abominor, Lucanus[1]:

Stella nocens nigros Saturni accenderat ignes.

Nigros, id eſt, infauſtos: nam *Hortenſii* gloſſa (quam *Schrevelius*[2] adfert) minime placet. Atque indidem eſt, quod omnes herbas venenoſas tribuunt illi, qui de Planetarum ſignaturis ſcribere auſi, nativitatiſtarum impoſturas novis corollariis augere voluerunt, *Oſwaldus Crollius*[3], *Robertus Flud.*[4], *Auguſtus Ezlerus Albimontanus*[5]. De Saturno ſcribit Juſtinus[6]: *Italiæ cultores primi Aborigines fuerunt, quorum Rex Saturnus tantæ juſtitiæ fuiſſe traditur, ut neque ſervierit ſub illo quiſquam, neque quicquam privatæ rei habuerit: ſed omnia communia & indiviſa omnibus fuerint, veluti unum cunctis patrimonium eſſet.* Nimirum poſt toleratos exilii labores melius ſapere didicit, & Jano ſuffectus cum laude præfuit. Virgilius:

Tum Rex Euandrus Romanæ conditor arcis,
Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphaque tenebant,
Genſque virum truncis & duro robore nata,
Queis neque mos neque cultus erat, nec jungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto,
Sed rami atque aſper victu venatus alebat,
Primus ab atherio venit Saturnus Olympo, &c.

Memoriam Regis hujus priſci ſolenniter colebant Romani in Saturnalibus, quod Saturni ævum crederent fuiſſe aureum ſeculum, otii plenum, rerumque omnium copiâ affluens. *Saturnia regna* laudat Virgilius[7]:

O fortunatæ gentes, Saturnia regna
Antiqui Auſonii. —— ——

aiſ

(1) *lib.* 1. (2) *Notatis ad h. l. pag.* 48. (3) *in Baſilicâ chymicâ.* (4) *Apologiâ pro Roſecruciariis ad Libavium part.* 1. *cap.* 4. 5. (5) *in Iſagogâ Phyſico Magico Medicâ pag.* 5. (6) *lib.* XLIII. *Hiſtor.* (7) *Bucolicor.* IV. & VI.

ait idem [1]. Juvenalis [2].

Credo pudicitiam Saturno Rege moratam,
In terris viſamque diu, cum frigida parvas
Præberet ſpelunca domos, ignemque laremque,
Et pecus & dominos communi clauderet umbrâ.
Silveſtrem montana torum cum ſterneret uxor
Frondibus & culmo, vicinarumque ferarum
Pellibus. —— —— ——

& porro [3]:

Credebant hoc grande nefas & morte piandum.
Si juvenis vetulo non aſſurrexerat, & ſi
Barbato cuicunque puer, licet ipſe videret
Plura domi fraga & majores glandis acervos.

Vitioſa eſt lectio, *plura domi farra*, quanquam tueri velit *Farnabius* [4]. Certe Saturni ævo vix notæ ſegetes erant, pomis ſilveſtribus, fragis, glandibus victitabant, atque hæc talia eorum divitiæ erant. Affirmat Lucretius [5]:

Nec robuſtus erat curvi moderator aratri
Quiſquam: nec ſcibat ferro molirier arva,
Quod Sol atque imbres dederant, quod terra crearat,
Sponte ſuâ, ſatis id placabat pectora donum.

Primi homines veſcebantur ſponte natis terræ frugibus, ut diximus *in Auctariis* [6]. Adde *Stephanum Curcellæum* [7], *Hottingerum* [8], Martialis [9]:

Antiqui Rex magne poli mundique prioris,
Sub quo pigra quies, nec labor ullus erat.

Veteres imitatur Marcellus Palingenius [10]:

Aurea Saturno fluerent cum ſecula Rege.

III. GENIUS eſt Deus naturalis ille, quem ſtatim cum primâ nativitate homini adjungebant. *Qui cum homine gignitur quodammodo*, Apulejo dicente [11],

(1) *lib.* XI. *Æneid.* (2) *Satyra* VI. (3) *Satyra* XIII. (4) *Notis adh. l. pag.* 117. (5) *lib.* V. (6) *pag.* 190. & *pag.* 307. (7) *in Diatribâ de uſu Sanguinis cap.* 1. 2. 3. (8) *in Hiſtoriâ Creationis pag.* 307. (9) *lib.* XII. *Epigram.* 63. (10) *in Geminis.* (11) *de Deo Socratis pag.* 50.

Naturæ Deus humanæ,

ait *Horatius*[1]. De maſculis debet intelligi, nam fœminis adjungebant Junones, adeoque jurabant illæ, *Junonem meam iratam habeam*, teſte *Petronio Arbitro*[2]. Genius obſervabat, comitabatur, tantum a morte deſerebat hominem ſibi fidelem, cuſtos vitæ, perpetuus actionum cenſor, defenſor adverſus pericula, quæ forte imminerent a Manibus, id eſt, malignis & feris Numinibus humano generi inſidiantibus, ut *Servius* exponit[3]. Vetus certe & antiquitate ſuâ nobilis opinio, quæ Populorum omnium animis alte inſedit, eſt, hominibus ſingulis cuſtodem Genium a Deo addi.

Ἄπαντι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γινομένῳ,
Ἄπαντί ἐϛι μυϛαγώγ ϛ βίϐ,

ajunt Græci, *Clemens Alexandrinus*[4], *Origenes*[5], *Chryſoſtomus* & *Hieronymus*[6], *Marcilius Ficinus*[7], *Jacobus Hautinus*[8], *Jacobus Pontanus*[9]. Hinc manavit illud Bernhardi[10]: *In quovis angulo reverentiam exhibe tuo Angelo, nec illo præſente facias, quod me præſente erubeſceres.* Sacræ Literæ eo nos ducunt, *Eccleſiaſt.*[11], ubi ſerio inculcatur pietatis accuratum ſtudium coram Angelo cuſtode operum noſtrorum inſpectore. Confer *Johannem Mercerum*[12]. Et *Intellectum agentem* Ariſtotelis, quem interpretes Peripatetici diſtractis opinionibus explicant, (quod videris apud *Jacobum Zabarellam* & *Franciſcum Piccolomineum*[13], de Genio cuſtode exponunt Magiſtri Hebræorum, *Aben Esdras*, *Levi Ben Gerſom*, *Manaſſeh Ben Iſrael*[14]. Die natali res ſacra fiebat Genio. Perſius[15]:

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo,

Qui

(1) *lib.* II. *Epiſt.* 2. (2) *in Satyrico pag.* 71. (3) *Comment. ad lib.* VI. *Æneid. pag.* 442. (4) *lib.* VI. *Stromar.* (5) *Homil.* I. *in Numeros.* (6) *in cap* XVIII. *Matth.* (7) *lib.* III. *de Vitâ cœleſti comparandâ cap.* 23. (8) *libro de Angelo cuſtode.* (9) *in Atticis bellariis pag.* 311. (10) *Homil. in Pſalm.* 91. (11) V. 5. (12) *Comment. h. l. pag.* 113. (13) *de Mente agente.* (14) *Conciliatore ad Geneſin pag.* 86. (15) *Sat.* II.

Qui tibi labentes apponit candidus annos,
Funde merum Genio. —— ——

Tibullus[1]:

Dicamus bona verba, venit natalis ad aras,
Quiſquis ades, linguâ vir mulierque fave.
Urantur pia thura focis, urantur odores,
Quos tener è terrâ divite mittit Arabs.
Ipſe ſuos adſit Genius viſurus honores,
Cui decorant ſanctas mollia ſerta comas.
Illius puro deſtillent tempora nardo,
Atque ſatur libo ſit, madeatque mero.

Et[2]:

Natalis Juno ſanctos cape thuris acervos
Quos tibi dat tenerâ docta puella manu,
Tota tibi eſt hodiè, tibi ſe lætiſſima compſit,
Staret ut ante tuos conſpicienda focos.

Florea ſerta erant ex foliis platani, quæ arbor genialis habebatur. Addebant hoſtiam animalem, porcum. Horatius[3]:

—— *Cras Genium mero*
Curabis, & porco bimeſtri.

Lege quæ ibi monet *Lambinus*[4]. Nec ſolum hominibus ſingulis adjungebant Genios, ſed quoque per Gentes & Civitates, atque ibidem per montes, valles, convalles, lucos, ſilvas, lacus, paludes, fontes diſtribuebant. Hinc illi tot & tantum multiplicati Dii Topici, Tutelini & Tutanei, quorum hiſtoriam proſequuntur *Macrobius*[5], *Cenſorinus*[6], *Lilius Gyraldus*[7], *Paulus Merula*[8], *Dan. Heinſius*[9], *Caſpar Barthius*[10], πλατυχῶς Θεὸς vocat *Julius Pollux*[11], GENIO, LOCI.

(1) *lib.* II. *Eleg.* 2. (2) *lib.* IV. *Eleg.* 6. (3) *lib.* III. *carm.* 17. (4) *in Commentario pag.* 235. (5) *lib.* III. *Saturnal. cap.* 4. (6) *de Die natali.* (7) *in Syntagmatis Deorum pag.* 58. (8) *lib.* V. *Memorabil. cap.* 10. (9) *Notis ad Silium Italicum pag.* 120. (10) *Notatis ad Rutilii Itinerarium pag.* 110. (11) *in Onomaſtico lib.* I. *cap.* 1. 23.

eſt in plurimis *Inſcriptionibus*, quas refert *Gruterus*[1]; Virgilius ait[2]:

——— *Frondenti tempora ramo*
Implicat, & geniumque loci, primamque Deorum
Tellurem; Nymphas & adhuc ignota precatur
Numina. ——— ———

Curtius[3]. *Patrio more ſacrificium Diis præſidibus loci fecit* Vocabant alio nomine *Lares publicos*, ut dicemus *infra*[4], attamen ſacra illis peracta non erant publica. *Ulpiani* verba ſunt[5]: *Solent qui liberare locum religione volunt ſacra inde evocare.* Ad evocationem Tutelarium Deorum pertinet, ut monet *Gothofredus*[6], & confer *Boxhornium*[7], ac quæ nos adducemus *infra*[8]. Indidem factum eſt, ut cum primum ingrederentur Regionem aliquam, ad eamve ex intervallo reverterentur, religioſe eam ſalutarent. Ovidius[9]:

Cadmus agit grates, peregrinaque oſcula terræ
Figit, & ignotos montes, agroſque ſalutat.

Servus Plauti *in Bacchidibus:*

Herilis patria ſalve, quam ego biennio,
Poſtquam hinc in Epheſum abii, conſpicio libens.

IV. SOL idem eſt qui Apollo, princeps Siderum & ſupremus apud Gentes omnes Deus. *Mithræ* nomine colebant Perſæ, ut teſtantur *Strabo*[10], *Curtius*[11], & *Inſcriptiones* Romanæ, quas adferunt *Gruterus*[12], *Petrus Appianus*[13]. Ægyptii vocabant *Horum*, quod Ebræorum אור & Phœnices *Beelſamen* Statius[14]:

——— *Seu te roſeum Titana vocari,*
Gentis Achemeniæ ritu, ſeu præſtat Oſirim
Frugiferum, ſeu Perſæi ſub nubibus antri

In-

(1) *in Volumine pag.* 4. 5. 6. 8. 9. (2) *lib.* VII. *Æneid.* (3) *lib.* III. *cap.* 15. (4) *cap.* IV. *num.* 3 (5) *lib.* VIII. *diſt.* 2. *de Rerum Diviſion. lib.* 1. *D.* (6) *in Notis pag.* 23. (7) *Commentariis ad Plutarchi Quæſtiones Romanas pag.* 116. (8) *lib.* III. *cap.* 4. *diſtinct.* 6. (9) *lib.* V. *Metamorph.* (10) *lib.* XV. *Geograph.* (11) *lib.* IV. *Hiſtor.* (12) *in Volumine pag.* 33. 34. (13) *in Collectaneis pag.* 123. 299. (14) *lib.* 1. *Thebaid.*

Indignata ſequi torquentem cornua Mithram,

Atque ille eſt, a quo cognomen accepit Heliogabalus Cæſar, & in cujus honorem fanum condidit in monte Palatino, ut retuli *in Auctariis* [1]. *Inſcriptio* Romana: SOLI. ALAGABALO. JULIUS. BALBILLUS. AQUILA. *Gruterus* [2]. Plura non addo, cum de Sole omnia planiſſima ſint, veterumque de illo traditiones aſſervaverit *Diodorus Siculus* [3]. Novorum obſervationes collegit ſtudioſe *Johan. Ricciolus* [4].

V. ORCUS ab *urgendo* eſt dictus, ut putat *Varro* [5]. Rectius derivatur ab Hebræo ארקא *terra*, *Jerem.* [6], uti cenſet *Joh. Gerh. Voſſius* [7]. Eſt alio nomine *Pluto*, filius Saturni, cum fratribus ſuis univerſi imperium ita obtinuit diviſum, ut Jupiter in cœlis regeret omnia, Neptunus vero in aquis, & Pluto receſſus terræ, nec non Tartara, id eſt, ſeparatas a terris manſiones, acciperet. *Fuſca Deus aula*, eſt apud *Propertium* [8], Tibullus [9]:

Parcite pallentes umbras quicunque tenetis,
Duraque ſortiti tertia regna Dei.

Divitiarum potens, quæ de receſſibus ſubterraneis effodiuntur, malorum irritamenta. Tibullus [10]:

Dives in ignavâ luridus Orcus aquâ.

Inſcriptio ad Danubium: JOVI. INVENTORI. DITI. PATRI. TERRÆ. MATRI. DETECTIS. DAC. THESAURIS. CÆSAR. NERVA. TRAJANUS. AUG. SAC. P. *Gruterus* [11]. Inferorum rector, qui vel campos Elyſios, vel Acherontem petebant, ubi præmia haberent recte factorum, vel ſupplicia exantlarent prave commiſſorum. Necromantes præſtigiis illis nefariis decepit mortales multos, uti hodienum Diabolus allicit Sagas, oſtenſis opibus quas nunquam largitur ſeductis. Quod Ma-

(1) *pag.* 118. (2) *in Volumine pag.* 32. (3) *lib.* IV. *Biblioth. hiſtor.* (4) *Tom.* I. *Almageſti novi part.* I. *lib.* III. (5) *lib.* IV. *de LL.* (6) X. 11. (7) *in Lexico Etymologico pag.* 358. (8) *lib.* IV. *Eleg.* 12. (9) *lib.* IV. *Eleg.* 5. (10) *lib.* III. *Eleg.* 3. (11) *in Volumine pag.* 21. *num.* 8.

nes evocare poſſet fallacibus ſpectris & tempeſtatibus concitis, *Summanus* vocatus eſt, eique fulgura nocturna adſcripſerunt. * Nomen illud eſt apud *Varronem* [1], *Ciceronem* [2], *Ovidium* [3]. In Siciliâ plurimum verſatus, & fumantis Ætnæ cavernis ſpectra educere ſolitus, perſuaſit incolis, eſſe ibi ἓξ ἄδου πύλας, & quoddam ad inferos oſtium, perinde uti ſeculis Chriſtianis aditum inferni panderunt ad montem Islandiæ ignivomum Heclam, de quo vide *Saxonem Grammaticum* [4], & *Stephanum Johannis* [5]. Conatus ad vitam revocare Proſerpinam filiam Cereris, lacu merſam, fruſtra occepit multa, fecitque fidem fabulæ, quod ipſe virginem raptam in poteſtate ſuâ haberet, neque eam vellet matri reſtituere. Atque idem ille eſt Jupiter Stygius. *Inſcriptio* Romæ in viâ Flaminiâ: JOVI. STYGIO. SANCTO. SACRUM. SEXT. POMPEJUS. SEX. FIL OCRIC. CIVICA. MIL. COH. VIII. PRÆT. Gruterus [6]:

Sacra Jovi Stygio quæ rite incepta paravi,
Perficere eſt animus, ——— ———

ait Dido, *Virgilius* [7]. Vel Jupiter Magicus:

Hinc magico Jovi geminat Stygialia ſacra.

eſt apud *Virgilium* [8]. Quod rapuiſſe crederetur Proſerpinam & virginis animum ita ſibi devinxiſſe, ut ad matrem redire nollet, factum eſt, ut haberetur conciliator amoris ejus, quem modis illicitis ſectabantur meretricum pararii. *Virgilius* artium Magicarum peritiſſimus *locis dictis* refert prolixe ſacra illa non ſacra, eſtque de eodem negotio Bucolicorum pars, *Pharmaceutria*, ingenioſe conſcripta. Habet quoque nonnulla *Silius Italicus* [9]. Sacra illa faciebant Sagæ ad ingenerandum amorem eis, quos deperibant. *Cocytia ſacra* dicuntur ab *Horatio* [10], ubi *Cotyttia ſacra* vult ſupponere

* Livius *l.* XXXII. *c.* 29.

(1) *lib.* IV. *de L. L.* (2) *lib.* I. *de Divinat.* (3) *lib.* VI. *Faſtor.* (4) *præfat. ad Hiſtor. pag.* 4. (5) *Notis ad h. l. pag.* 24. (6) *in Volumine pag.* 23. (7) *lib.* IV. *Æneid.* (8) *in Civi.* (9) *lib.* VIII. & XIII. (10) *lib.* V. *Carm.* 17.

nere *Angelus Politianus*[1], ac ſequitur *Lambinus*[2]. Verum illi pervertunt ſenſum, qui ad ſacra Magica pro amore conciliando facta pertinet, non etiam ad nocturnas commeſſationes, quibus ludicra Dea *Cotytto* præeſſe fingebatur, ut teſtis eſt *Juvenalis*[3]. Cœterum Epicureus iſte (& ſic quidem animi melioris) ſpernebat inſaniæ labores. In ſacris illis effigies cerea ſimilis ei, quem devovebant, ponebatur. Virgilius[4]:

——— —— *Terque hæc altaria circum*
Effigiem duco. ——— ——

Et *paulo poſt*:

——— *Hæc ut cera liqueſcit.*

Et[5]:

Effigiemque thoro locat. ———

Horatius[6]:

An quæ movere cereas imagines
(Ut ipſe noſti curioſus) & polo
Deripere Lunam vocibus poſſim meis.

Et[7]:

Laneaque effigies erat, altera cerea. ———

Propertius[8], *Ovidius*[9], *Theocritus*[10], & exempla recentiſſima apud *Simonem Majolum*[11], *Mart. Delrionem*[12]. Ubi effigies nulla adhibebatur, ſupponebant laminas notis quibuſdam informibus appictas. Eas *Feſtus*[13], & *Gothofredus*[14], vocat *Ipſiplices*, atque ἴυγγες ſunt apud *Syneſium* locis multis. Sunt a Plutone inventæ etiam laminæ notis Magicis inſculptæ, *Teraphim* vocabant Chaldæi & Syri, eaſque *Sacræ Literæ* tribuunt Idolorum cultoribus, Planetariis, Magis, *Gen.*[15]. *Judic.*

(1) *libro Obſervationum & Emendationum cap.* 10. (2) *Commentario ad h. l. pag.* 403. (3) *Satyrâ* 11. (4) *Bucol.* VII. (5) *lib.* IV. *Æneid.* (6) *lib.* V. *Carm.* 17. (7) *lib.* I. *Satyrâ* 8. (8) *lib.* III. *Eleg.* 4. (9) *Epiſtola Hypſipyles ad Jaſonem, & lib.* III. *Amor. eleg.* 6. (10) *Idyll.* 2. (11) *tom.* II. *Dier. caniculär. dialog.* 3. (12) *lib.* III. *Diſquiſition. Magic. part.* I. *quæſt.* 4. (13) *lib.* IX. *de Verborum ſignificat. pag.* 302. (14) *Annotatis ibidem pag.* 1745. [15] XXXI. 19.

Judic. [1], *Hoſea* [2]. *Johannes Seldenus* prolixe [3]. Erant Vernacula, Genii παρέδρα ſacramenta, unde miſeri credebant, quod mira efficere poſſent, arcana perquirendo, futura prædicendo, morbos pellendo, corporis robur adipiſcendo, gratiam hominum ſibi conciliando. Prolixe commemoravimus illa *in Auctariis ad Epitomen* [4], & denuo confer *Johannem Seldenum* [5], *Johannem Bodinum* [6], *Johannem Henricum Urſinum* [7], *Dilherrum* [8]. Noverat Arnobius [9]: *Adverſus ictus noxios & venenatos colubrorum morſus remedia ſæpe conquirimus & protegimus nos laminis, Pſyllis Marſisve vendentibus, aliiſque inſtitoribus ac planis.* Huc facit illud proverbium Ἀϊδος κυνῆ, *Orci galea*, quod adhibet *Plato* [10], & exponit *Zenobius* [11], de illis præſtigiatoribus, qui ope annulorum Magicorum inviſibiles evadebant, ut præſentia quidem ipſi accurate viderent, ſed tamen a nemine viderentur. Exemplo eſt Giges Lydus apud eundem *Platonem* [12], unde referunt *Cicero* [13], *Lucianus* [14], *Cœlius Rhodiginus* [15]. Eodem contendit labor omnis *Cornelii Agrippæ* [16], quo continetur univerſa Theurgia ſacris infernalibus operata, ac deſcribuntur characteres, notæ, figuræ, lituræ, adjurationes, ſtricturæ, ſpiræ, circuli, è Planetarum concurſu deducti, nec non preculæ, cantica, ſacrificia in honorem Saturni & Diabolorum aliorum. Dii Gentium utique Dæmonia ſunt, *Pſalm.* [17]. Nec melior eſt *Paracelſus* [18]. Porro ſunt a Plutone αἱ νεκυομαντεῖαι, quam ſectatur Æneas, *Virgilio* autore [19], ac proinde ille initio operis deſperatæ impietatis pleni: *Tum*

[1] XVIII. 18. [2] IV. 3. [3] *Syntagm.* I. *de Diis Syrorum pag.* 96. [4] *pag.* 153. [5] *Syntagm.* I. *de Diis Syrorum cap.* I. [6] *in Dæmonomaniâ lib.* III. *c.* 3. [7] *Exercitationibus de Zoroaſtre & Hermete pag.* 56. *& pag.* 125. [8] *in Diſputat. Philolog. tom.* II. *pag.* 345. [9] *lib.* II. *adverſ. Gentes pag.* 66. [10] *lib.* X. *de Republ.* [11] *in Collectaneis Adagiorum.* [12] *lib.* II. *de Republ.* [13] *lib.* III. *de Officiis.* [14] *in Navigio & Votis.* [15] *lib.* III. *Antiq. Lect. cap.* 24. 25. [16] *de Occulta Philoſophia.* [17] XCVI. 5. [18] *libris de Philoſophia occulta & de Philoſophiâ magna.* [19] *lib.* VI. *Æneid.*

Tum Stygio Regi nocturnas inchoat aras,
Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis.

ψυχαγωγίαν a Pompejo ſuſceptam enarrant *Lucanus*[1]: Uterque multa accepit ab *Homero*, qui olim Græca fide Ulyſſis deſcenſum ad inferos deſcripſerat[2]. Nec aliter Horatius[3]:

Nec prohibere modo, ſimulac vaga Luna decorum
Protulit os, quin oſſa legant, herbaſque nocentes.
Vidi egomet nigrâ ſuccinctam vadere pallâ
Canidiam pedibus nudis paſſoque capillo,
Cum Saganâ majore ululantem (pallor utraſque
Fecerat horrendas aſpectu) ſcalpere terram
Unguibus & pullam divellere mordicus agnam
Cœperunt, cruor in foſſam confuſus, ut inde
Manes elicerent, animas reſponſa daturas.
Lanea & effigies erat, altera cerea: major
Lanea, quæ pœnis compeſceret inferiorem:
Cerea ſuppliciter ſtabat, ſervilibus utque
Jam peritura modis. Hecatem vocat altera, ſævam
Altera Tiſiphonem, ſerpentes atque videres
Infernos errare canes, Lunamque rubentem
Ne foret his teſtis, poſt magna latere ſepulchra.

Hic plurima obſervabis. Dicit, *ſimulac vaga Luna*, Sacra horrenda illa fiebant nocte, exemplo Regis Saulis, 1. *Samuel.*[4], de quo mox plura dicemus. Rurſum Horatius[5]:

Nox & Diana quæ ſilentium regis,
Arcana cum fiunt ſacra.

Pergit. *oſſa legant.* Nimirum de ſepulchris, ut loco ſuo monebitur, *infra*[6]. Sequitur, *herbaſque nocentes:* Nimirum, ad Lunæ radios. Itaque Virgilius[7]:

Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena
Ipſe dedit Mœris. ——— ———

Lunæ

[1] *lib.* VI. *Pharſal.* [2] *lib.* XI. *Odyſſ.* [3] *Sat.* 8. [4] XXVIII. 9. 29. [5] *lib.* V. *Carm.* 5. [6] *lib.* IV. *c.* 6. *num.* 15. [7] *Bucolicor.* VIII.

Lunæ radios putabant addere poſſe herbis vim aliquam efficaciæ operoſæ, *infra*[1]. *Nigra palla*, *nudi pedes*, *capillus ſparſus* ſunt habitus competens ad Deos Inferos conciliandos. Pro iiſdem ſunt, *in terrâ foſſam ſcalpere*, *furvam agnam cædere*, *cruorem derivare in foſſam*. Hoſtiæ quæ Inferis Diis offerebantur, omnes erant atræ *infra*[2]. Et in Necromantia ſanguis tepidus imprimis adhibebatur, lacte & melle commixtus. Nam & Ulyſſes erro ita agit, docente *Homero*[3], ubi Tireſiam evocat orco, & de Æneа luculenter *Virgilius*[4]. Fingebant Dæmones, quod ſanguine miſtas dapes illas manderent, atque inde rogati de futuris reſponſa dabant. Quod præterea, *lanea & cerea effigies erat*, in præcedentibus expoſitum eſt. Hecate eſt Dæmonum princeps fœmina, Tiſiphone ejuſdem ſocia Diabola. Aderant ſpectra canum, *infra*[5]. Certe etiam hodie ita vagantur terricula ſilveſtria. Illud verò notabile eſt, quod poſt interjecta nonnulla dicit:

——— *Quo pacto alterna loquentes*
Umbræ cum Sagana reſonarent triſte & acutum.

Stridebant potius quam loquebantur Dæmones, τρύζειν vocant Græci, ut productis autorum locis oſtendit *Joh. Scapula*[6]. *Suetonius* de Nerone Cæſare[7]. *Neque tamen ſceleris conſcientiam, quanquam & militum & Senatus Populique gratulationibus confirmaretur, aut ſtatim aut nunquam poſtea ferre potuit, ſæpe confeſſus exagitari ſe materna ſpecie, verberibus Furiarum ac tædis ardentibus. Quin & facto per magos ſacro Manes exorare tentavit.* Saulis Necromantia eodem referri debet. Nam fuiſſe Diabolum, qui Samuelis externam ſpeciem aſſumendo reſponſum dedit, recte affirmant *Tertullianus*[8], *Auguſtinus*[9]. Adverſus quos fruſtra pertendunt

[1] *num.* 8. [2] *cap.* 11. *num.* 21. [3] *lib.* XI. *Odyſſ.* [4] *l. d.* [5] *num.* 8. [6] *in Lexico Græco pag.* 1671. [7] *lib.* VI. *cap.* 34. [8] *de Animâ cap.* 57. [9] *de Octo Quæſtionibus ad Dulcitium ſect.* 6.

dunt *Martinus Delrio* [1], *Caſpar Scottus* [2], fuiſſe animam ſancti Viri evocatam per artes Magicas. Dicit Scottus: (1.) *Affirmat* Syracides [3] *quod verus Samuel poſt mortem ſuam vaticinia ediderit.* RESPONDEO: Scriptor, Vir quidem bonus & eruditus, non vero Propheta aberravit a recto judicio (2) *Ad literam appellatur Samuel, neque a litera diſcedendum eſt, cum non ſequitur abſurdum.* RESPONDEO: Samuel vocatur ex opinione Regis, qui talem putabat eſſe: vere accipi non poteſt, quia ſequitur abſurdum, reſpondiſſe Deum per Vates ſuos impuræ Sagæ incantamentis perpulſum, cum tamen negetur, voluiſſe Deum reſpondere modo iſto, 1. Samuel. [4] (3) *Impleta ſunt prædicta omnia, nec vero Satanas poterat noviſſe res futuras.* RESPONDEO: Noverat omnino, quatenus ſæpiſſime prænotionem habet de illis, quæ Deus ſecundum judicia ſua deciſa propediem in rebus humanis exſequi vult, uti exempla manifeſta oſtendunt, 1. Reg. [5] Jobi [6]. (4) *Anima illa prodivit ex imperio Dei, non etiam ad Sagæ juſſum.* RESPONDEO: Negant *Literæ Sacræ*, & præmuniunt hanc relationem, *non reſpondebat ei Dominus per Prophetas*, 1. Samuel. [7]. (5) *Alias factum eſſe legimus, ut Deus præveniret Magorum incantamenta, videlicet in geſtis Bileami.* Numer. [8] RESPONDEO: Tunc vero nuſquam indicaverat præmittendo quædam, unde ſciri poſſet, velle Deum ab iſto negocio abeſſe. (6) *Noluit Deus per Vatem reſpondere, unde Rex ſolatium haberet, voluit reſpondere, ut pœnam ſuam noviſſet.* RESPONDEO: Rex inſtanti prope fato angebatur, & in pœnam delictorum a Deo ſpernebatur. Hoc eſt, quod Græci dicunt νεκυομαντεῖαν, evocare manes, & de futuris eventis conſulere: vetat Deus in lege Moſis, *Levit.* [9] *Deut.*

[1] *lib.* 11. *Diſquiſition. Magic. quæſt.* 26. [2] *in Phyſica curioſa lib.* 11. *cap.* 25. [3] *cap.* 46. [4] XVIII. 3. 6. 7. 14. 15. 19. 25. [5] XXII. 21. [6] 1. 6. [7] XXVIII. 8. [8] XXII. [9] XX. 27.

Deut.[1] & repetita interdicta ſunt *Eſai.*[2]. Saulo denique capite conſtitit, 1. *Chron.* 3. De quo plura legantur in *Diſputatione noſtrâ Wittebergenſi de Reſurrectione Mortuorum*[4], & confer *Bernhardum Waldſmid*[5], *Johannem Rainoldum*[6]. Multa jactabant veteres Magi, quod Lunam ut deſcenderet, Stellas ut deciderent, Terram ut moveretur, Cœlum ut quieſceret, Solem ut obſcuraretur, Mortuos ut reſurgerent, Beſtias ut furorem deponerent, cogere poſſent, quodque Imbres, Tempeſtates, Procellas commoverent pro lubitu. Tibullus[7]:

Hanc ego de Cœlo ducentem Sidera vidi,
Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter.
Hæc cantu finditque Solum, Manesque ſepulchris
Elicit, & tepido devocat Oſſa rogo.
Jam ciet infernas Magico ſtridore Catervas;
Jam jubet aſperſas lacte referre pedem.
Cum libet, hæc triſti depellit nubila Cœlo:
Cum lubet, æſtivo convocat orbe Nives.

De Orpheo * prodit Horatius[8]:

Unde vocalem temere inſecuta
Orphea Silva,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapſus, celeresque Ventos.
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere Quercus.

Et de eodem Propertius[9]:

Orphea detinuiſſe Feras, & concita dicunt
Flumina Threiciâ detinuiſſe lyrâ.

Atqui Orpheus ille Magus fuit, ut refert *Pauſanias*[10]. Nam quod eum *Gabriel Naudæus*[11], ab hoc crimine liber-

* De eo hanc Poetarum deſcriptionem exprimunt & gemma apud *Leonard. Auguſtinum*, & duo ſepulcrorum ornamenta *ex Roma ſubterranea.*

(1) XVIII. 10. 11. (2) VIII. 19. *cap.* LXV. 4. (3) X. 13. 14. (4) *diſt.* 31. 32. (5) *de Pythoniſſâ Endoreâ.* (6) *in Cenſura prælect.* 75. (7) *lib.* II. *Eleg.* 2. (8) *lib.* I. *Carm.* 12. (9) *lib.* III. *Eleg.* 1. (10) *in Eliacis* (11) *Apologia pro Viris Magia vitio infectis.*



liberare vult, fruſtra ſane eſt. Magum fuiſſe compro-
bat Necromantia, quam peragit apud *Virgilium* [1], &
Ovidium [2]. De imbribus & procellis, Sagarum ope,
(quæ in Norvegiâ, Biarmiâ, Finnoniâ, Lappiâ plu-
rimæ ſemper fuerunt) eductis teſtantur *Saxo Gramma-
ticus* [3], & *Stephanus Johannis* [4]. Sed in his quædam ve-
re Magica, id eſt deceptoria ſunt. Cœlo devocare Si-
dera, Fluminis curſum retroagere, Mortuos excitare,
Terram convellere, nec in Diaboli poteſtate eſt, nec

F in

(1) *lib.* IV. *Georgic.* (2) *lib.* X. *Metamorph.* (3) *lib.* I. *Hiſtor. pag.* 37. (4) *in Notis pag.* 57.

in Sagæ. Eludunt oculos fallaci ſpecie, & ſpectra pro mortuis obtrudunt. Ventos & imbres producit cogendo aërem in nubes, quia Princeps aëris, *Epheſ.* [1]. De negocio toto prolixius docent *Pererius* [2], *Delrio* [3], *Bodinus* [4], *Remigius* [5], *Albericus Gentilis* [6], *Caſpar. Schottus* [7]. Poſtremo Lemures ſunt a Plutone Manium Domino, quos efficere terricula nocturna, credebant Veteres. Tantum quod Epicurei negabant, Lemures ſive Genios eſſe, quorum rationes aſſervavit *Lucretius* [8], Brutus Academicus non ſine præſenti angore animi exponebat Caſſio Epicureo, amico ſuo, quod Lemures vidiſſet, ac Caſſius quidem volebat ei hunc mentis ſcrupulum eximere, vanos perterriti animi conceptus eſſe dictitans, ut refert *Plutarchus* [9], & confer *Florum* [10].

VI. LIBER Pater dictus honorario cognomine apud *Gruterum* [11]. Horatius [12]:

Ornatus viridi tempora pampino
Liber. ——— ———

Nomen Siculum eſt, τὸ λιβερὸν vero eſt idem quod σκοτεινὸν, *filius Noctis ac Erebi*, uti exponit *Heinſius* [13]. Rectius multo, quam cum *Angelus Decembrius* [14], vult Latinum nomen eſſe, *quod Bacchi ſacra liberarent animas a peccatis.* Erat Jovis filius è Semele. *Thebanæque Semelæ puer*, eſt apud *Horatium* [15]. Eratque illa filia Cadmi Phœnicis Thebarum conditoris, & qui literas Orientalium per Ioniam & Græciam docuit. *Bacchum* alias vocabant, & *Iacchum.* Vero nomine eſt *Dionyſius*, a Patre, qui erat ὁ Διὸς, & quoque a matre, quæ erat ἡ Νύσα. Nam quod *Plato* [16], hoc ἔτυμον affert, ὁ Διό-

(1) VI. 12. (2) *Diſputat.* 4. *ad Exod.* VII. (3) *lib.* II. *Diſquiſition. Magicar. quæſt.* 10. (4) *lib.* II. *Dæmonom. cap.* 8. (5) *in Dæmonolatria lib.* I. *cap.* 22. (6) *Commentario ad Titulum de Mathematicis & Maleficis pag.* 51. (7) *in Phyſica curioſa lib.* I. *cap.* 19. 20. *itemque cap.* 34. 35. (8) *lib.* IV. *de Natura rerum.* (9) *in Vita Bruti pag.* 400. (10) *lib.* IV. *Hiſtor. Rom. cap.* 7. (11) *in Volum. Inſcription. pag.* 66. 67. (12) *lib.* IV. *Carm.* 8. (13) *in Crepundiis Silianis pag.* 4. (14) *lib.* IV. *de re Literaria pag.* 341. (15) *lib.* I. *Carm.* 19. (16) *in Cratylo.*

Διόνυσ@· εἰη ἂν διδὸς τ̃ οἶνον allusivum est. Navibus a patre acceptis & cum exercitu ingressus Ægyptum, Principem ejus gentis sese constituit, bellisque progressus Asiæ & Africæ partes meliores domuit, ut *peculiari opere* τ̃ Διονυσιακῶν prosequitur *Nonnus Panopolitanus*. Virgilius [1]:

Nec qui pampineis victor juga flectit habenis
Liber, agens celso Nysæ de vertice tigres.

Devicit Indos, itaque memoria Regis ejus celebris erat in Gentibus illis, cum Alexander Macedo adesset Orientis triumphator, *Curtius* [2]. Vineas excolere docuit & cerivisiam coquere. Tibullus [3]:

At tu Bacche tener, jucundæ consitor uvæ.

Uvæ commentorem appellat *Ovidius* [4], & *Vini repertorem* Rutilius Numantianus [5]. Similiter Virgilius [6]:

Huc Pater o Lenæe veni. ———

Lenæus ideò, quod τ̃ λῳῶν @ρεσάτης, torcularium inventor esset. Virgilius [7]:

——— *Lenæum libat honorem.*

Vinum @ιφερ@ζῆ, eodemque sensu *munera Liberi* dixit *Horatius* [8]. Vitis sacra Baccho, uti probant *Johan. Meursius* [9], *Johan. Baptista Porta* [10]. Cæterum non bellator solum, verum etiam Magus ac præstigiator, uti omnes fere Dii Gentilium *Horatius* [11], recenset Bacchi laudes & miracula:

Vinique fontem, lactis & uberes
Cantare rivos: atque truncis
Lapsa cavis iterare mella.

Similia prodit *Euripides* [12], ficta vero esse, dubitat nemo; aut saltem expressa de Mosis rebus gestis, *Numer.* [13] *Deuter.* [14] *Ezech.* [15]. Ejusdem sunt generis, quæ sequuntur:

(1) *lib.* VI. *Æneid.* (2) *lib.* VII. VIII. IX. (3) *lib.* II. *Eleg.* 3. (4) *lib.* III. *Fastor.* (5) *lib.* I. *Itinerarii num.* 69. (6) *lib.* II. *Georgic.* (7) *lib.* IV. *Æneid.* (8) *lib.* I. *Carm.* 18. (9) *in Arboreto sacro lib.* II. *cap.* 3. (10) *in Villa lib.* VII. *cap.* I. (11) *lib.* II. *Carm.* 19. (12) *in Bacchis.* (13) XIII. 18. 19. (14) VIII. 7. *cap.* XI. 10. (15) XX. 6.

Tu flectis amnes, tu mare Barbarum.

Nam hoc quoque alludit ad Moſis tranſitum per mare Erythræum, *Exodi* [1]. Et indidem ſunt, quæ ſequuntur:

Tu ſeparatis uvidus in jugis,
Nodo coherces viperino
Biſtonidum ſine fraude crines.

De ſerpentibus ignitis pœnæ loco immiſſis, & horum depulſore, ſerpente æneo in haſtili appenſo, omnia illa valent, *Numer.* [2]. Nec aliunde iſta:

Tu cum parentis regna per arduum
Cohors Gigantum ſcanderet impia,
Rhœcum retorſiſti leonis
Unguibus, horribilique mala.

Cæſos Gigantes a Moſe novimus & inter eos Ogum Baſanis Principem familiæ Giganteæ, *Deut.* [3]. Denique:

Te vidit inſons Cerberus aureo
Cornu decorum.

Forte, quod radii in facie Moſis relucentes, fabulam de cornuto Moſe extulerint, uti eſt *infra* [4], ταυρόκερως & κεραοφόρος Bacchus celebratur ab *Euripide* [5], & *Orpheo* [6]. De ebriorum conceptis moraliter exponunt *Joach. Camerarius* [7], *Philip. Camerarius* [8]. Multa in hunc ſenſum adfert *Horatius* [9], ubi ſunt vini laudes:

Et addis cornua pauperi.

Ovidius [10]:

—— *Tunc pauper cornua ſumit.*

Sacra ejus temulenta apud Thraces promulgavit Orpheus Ægyptiorum annis multis domeſticus, ipſe demum victima in ſacris illis factus eſt, ab inſeſſis a Dæmone fœminis diſcerptus, ut narrant *Virgilius* [11], *Ovidius* [12], & adde *Cœlium Rhodiginum* [13], *Lilium Gyraldum*

(1) XIV. 16. (2) XXI. 6. (3) III. 11. (4) *cap.* VII. *num.* 12. (5) *in Bacchis.* (6) *in Hymnis pag.* 140. (7) *in Quæſtiis promiſcuis pag.* 133. (8) *lib.* I. *Horar. ſuciſiv. cap.* 93. (9) *lib.* III. *Carm.* 21. (10) *lib.* I. *de Arte amandi.* (11) *lib.* IV. *Georg.* (12) *lib.* XI. *Metamorph.* (13) *lib.* X. *Lect. antiq. cap.* 23.










MATRI DEVM
MARTIA OTACILIA AVG


MATRI DEVM SALVTARE



dum [1], *Johan. Meurſium* [2]. Hic idem eſt Jupiter Sabazius, de quo meminerunt *Valerius Maximus* [3], & Romanæ *Inſcriptiones*, quas allegant *Stephanus Pighius* [4], *Gruterus* [5], *P. Appianus* [6], *Ludovicus Carrion* [7], *Elmenhorſtius* [8]. Σαβάζειν barbarum eſt, *cum ululatu graſſari*, ut exponit *Ariſtophanes* [9], & ſequitur *Johan. Scapula* [10]. Erat hoc perpetuum in inſanis & minus ſobriis ſacris Bacchi, teſte vel uno *Horatio* [11]. Noverat *Plutarchus* [12], ſed minus vere auguratur, quod Judæi cultores Bacchi eſſent, colendo Sabbatha. Nec enim σαβάζειν eſt *feriari Sabbathum*, de cujus ortu uſuque multo aliter nos informant *Sacræ Literæ*, *Geneſ.* [13] *Exodi* [14]. Aberrant illi etiam, qui *Sabazium* deducunt ab Hebræorum *Sabaoth*, cum *Antonio Thyſio* [15], *Johanne Seldeno* [16], *Eliâ Schedio* [17].

VII. TELLUS * (alio nomine *Veſta priſca*, *Rhea*, *Opis*, *Cybele*, *Bona Dea*, *Magna Deorum Mater*, ut plurimæ *Inſcriptiones* teſtantur apud *Janum Gruterum* [18].) Saturni uxor erat, cum quo ab Oriente profecta, in Cretam venit. Virgilius [19]:

Hinc Mater cultrix Cybele, Corybantiaque æra;
Idæumque nemus: hinc fida ſilentia ſacris,
Et junctî currum dominæ ſubiêre leones.

Venit quoque in Latium, & paſſim inſtituit raucos tubarum, tympanorum, nolarum, cymbalorum, ac tibiarum ſonitus. Virgilius [20]:

* Hæc optimè apparet in antiquis monumentis hic inſertis, adjuncto etiam amaſio ejus Atye, vel ſolo, vel Deam ſuam leonibus inſidentem comitante.

(1) *in Hiſtor. Deor. dial.* 2. (2) *in Græcia feriatâ.* (3) *lib.* I. *cap.* 3. *num.* 2. (4) *Notis ad h. l. pag.* 6. (5) *in Volumine pag.* 22. (6) *in Collectaneis pag.* 174. 247. (7) *lib.* II. *Emendationum cap.* II. (8) *Notis ad Arnobium lib.* V. *pag.* 167. (9) *in Lyſiſtratâ.* (10) *in Lexico Græco pag.* 1441. (11) *lib.* III. *Carm.* 25. (12) *lib.* IV. Συμποσιακ. *num.* 5. (13) II. 2. (14) XII. 2. (15) *Notis ad Valer. Max. pag.* 41. (16) *de Diis Syrorum Syntagm. prolegom. pag.* 32. (17) *libro de Diis Germanorum pag.* 233. (18) *in Volumine pag.* 27. 28. 29. 30. 31. (19) *lib.* III. *Æneid.* (20) *lib.* IV. *Georg.*

Tinnitusque cie, & Matris quate cymbala circum.

Et [1]:

Tympana vos buxusque vocat Berecynthia Matris
Idææ. —— ——

Et [2]:

Ista ve barbarico Cybeles antistita buxo
Infelix virgo totâ bacchatur in urbe.

Propertius [3]:

—— —— *Dea magna Cybele*
Tundet ad Idæos cymbala rauca choros.

Adjunxit choreas, cum in sacris, tum in conventibus promiscuis ad recreandos animos collectis. De choreis diligenter pertractavit *Cœlius Rhodiginus* [4]. *Ambubajarum collegia* vocat *Horatius* [5], ubi *Acron* vetus Scholiastes: *Ambubajæ dicuntur mulieres tibicinæ lingua Syrorum, etenim Syris tibia vel Symphonia dicitur Ambubaja*, Syri אנבוביא appellant σὺν αὐλητρίς. Juvenalis [6]:

Jam pridem Syrus Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit. —— ——

Hæc vocis originatio unica vera est, licet negare velint *Turnebus* [7], *Torrentius* [8], ubi contendunt, quod sit Latinum vocabulum, *circum Bajas*, ambu *valet circum, in Bajis conversabantur lasciviæ mulierculæ, aderantque ibi frequentes in lavacris homines delicati, unde Romam adductæ nomen a primo originis loco acceperunt.* Alia quædam convectat *Lambinus* [9]. Sed non est opus ambagibus ullis. אנבוביא de Musicis organis adhibet *Targum Genes.* [10], *Jobi* [11]. Et vero quemadmodum Syri vocabulum eo sensu ad Tyrrhenos & vicinos Latinos

(1) *lib.* IX. *Æneid.* (2) *in Ciri.* (3) *lib.* III. *Eleg.* 15. (4) *lib.* III. *Antiq. lect. cap.* 3. 4 (5) *lib.* I. *Sat.* 2. (6) *Satyrâ* 3. (7) *lib.* XI. *Adversarior. cap.* 23. (8) *Notis ad Suetonium l. d.* (9) *Commentar. ad b. l. pag.* 24. (10) IV. 21. (11) XXI. 12.

tinos communicaverunt, ita ipſi a Græcis acceperunt re & verbo *Peſanterim*, de quo eſt *ſuprà* [1]. Virgilius [2]:

Non arguta ſonant tenui pſalteria chordâ.

Et adde *Caſaubonum* [3]. Miniſteria Ambubajarum narrat *Suetonius* [4], ubi vide eundem *Caſaubonum* [5], & confer *Johan. Gerh. Voſſium* [6]. Sane hæc talia dudum in Oriente, etiam ante priſci Ogygis diluvium exſtiterunt, cum Jubale & Jabale, *Geneſ.* [7]. Phryges cumprimis eam honoribus affecerunt, apud quos nobilis juvenis Atys dementatus veneficiis, amore ejus exarſit, nec tamen potitus & in furorem prorſus actus virilia ſibi exſecuit, uti produnt *Catullus* [8], *Ovidius* [9], *Plinius* [10]. Ejus exemplo deinceps uſi Rheæ Sacerdotes omnes (quos *Corybantas* & *Gallantes* vocabant) caſtrabant ſeipſos, inſaniente fere Diabolo circa ſacra profana. Silius Italicus [11]:

Circum arguta cavis tinnitibus æra, ſimulque
Certabant rauco reſonantia tympana pulſu,
Semivirique chori. —— ——

Claudianus [12]:

Vel ſi ſacra placent, habeas pro Marte Cybelen,
Rauca Celenæos ad tympana diſce furores,
Cymbala ferre licet, pectuſque illidere pinu,
Sanguineoſque rotat crines. ——

Sanguineos, id eſt, cruentos. Perinde uti Lucanus [13]:

—— *Cecinere Deos, crinemque rotantes*
Sanguinei populis ululârunt triſtia Galli.

Ita emendat *Grotius* [14]. Cruentabant ſemet, ferro anciſiti ſecando brachiâ †, teſte *Apulejo* [15]. Et flagris incuſſis

† Vide Lucianum *Dial. Vener. & Cupid.* item *in p.* 102. ubi de Sacerdotibus Deæ Syriæ. De capitis jactatione vide apud Briſſonium 2. *Select. Antiq. c.* 13.

(1) *cap.* I. *num.* 21. (2) *in Ciri.* (3) *Notis ad Athenæum lib.* IV. *pag.* 315. (4) *lib.* VI. *cap.* 27. (5) *in Notis pag.* 591. (6) *in Lexico Etymologico pag.* 23. & 455. (7) IV. 21. (8) *Epigram.* 59. (9) *lib.* X. *Metamorph.* (10) *lib.* XXXV. *cap.* 12. (11) *lib.* XVII. (12) *lib.* I. *in Eutropium.* (13) *lib.* I. (14) *Notis ad h. l. pag.* 42. (15) *lib.* VIII. *de Aſino aureo.*

cuſſis deſtringebant cutem, ut vulneribus ſaucia ac tumoribus obſita eſſet. Martialis[1]:

Juro per Syrios tibi tumores,
Juro per Berecynthios furores.

(& ibidem *Ramireſius*[2], *Schrevelius*[3], *Philippus Beroaldus*[4]. Rurſum[5]:

Alba minus ſævis lacerantur brachia cultris,
Cum furit ad Phrygios enthea turba modos.

Inde eſt, quod *ſemivirum comitatum* probroſo nomine appellat Jarbas apud *Virgilium*[6], & *eviratos* Arnobius[7]. Diſertè Valerius Maximus[8]: *Genucius quidam Matris magnæ Gallus.* Et deinde: *Quod diceret Genucium amputatis ſui ipſius ſponte genitalibus corporis partibus neque virorum neque mulierum loco haberi debere. Inſcriptio* Romana: C. CAMERIUS. CRESCENS. ARCHIGALLUS. MATRIS. DEÛM. MAGNÆ. IDEÆ. ET. ATTIS. POPULI. ROMANI. VIVUS. SIBI. FECIT. ET. C. CAMERIO. EUCRATIANO. LIB. SUO. CETERIS. AUTEM. LIBERTIS. UTRIUSQUE. SEXUS. LOCA. SINGULA. SEPULTURÆ. CAUSA. H. M. H. E. N. S. *Gruterus*[9], *Petrus Appianus*[10], Juvenalis[11]:

——— ——— *Ecce furentis*
Bellonæ, Matriſque Deûm chorus intrat, & ingens
Semivir obſcœno facies reverenda minori,
Mollia qui rupta ſecuit genitalia teſtâ.

Semivir, id eſt, exſectus. Cætera σατυρικῶς. Nam ſolam habebant caudam eamque flaccidam, teſtibus ablatis. Et quod dicit, *ſecuit genitalia teſtâ*, eo referri debet, quod ſilices inveniantur locis illis adinſtar cultri ſecantes. *Samia teſta*, *Martialis*[12], ait, ubi ad negocium præſens allufit. Expreſſe *Catullus:*

Devolvit ipſe acuto ſibi pondera ſilice.

Pon-

(1) *lib.* IV. *Epigram.* 43. (2) *in Commentario pag.* 336. (3) *in Notis pag.* 239. 240. (4) *in Annotatis variis pag.* 205. (5) *lib.* XI. *Epigram.* 85. (6) *lib.* IV. *Æneid.* (7) *lib.* V. *adv. Gentes.* (8) *lib.* VII. *cap.* 7. *num.* 6. (9) *in Volumine pag.* 308. (10) *in Collectaneis pag.* 263. (11) *Sat.* VI. (12) *lib.* III. *Epigram.* 81.

Pondera ſunt teſtes cum ſacco, & apte *ſilice*, ut paulo ante diximus. Ejuſmodi ſilices apud Indos Occidentales viderunt Hiſpani, teſte *Simone Majolo* [1]. Nam Gens iſta ferri uſum ignorabat, lapidibus vero illis ſcindebat & ſecabat. Variant tamen Poëtæ, & *ferrum* obtrudunt. Juvenalis [2]:

——— *Phrygio quos tempus erat jam*
More ſupervacuam cultris abſcindere carnem.

Ferrum eſt apud *Martialem* [3], & *acuta falce*, apud eundem [4]. Conſtat, quod utroque modo fieri potuerit. Judæi novaculam hodie adhibent in circumciſione, ut notat *Munſterus* [5]. De iiſdem Petronius [6]:

Ni tamen & ferro ſucciderit inguinis oram.

Olim erat culter lapideus, *Exod.* [7], *Joſuæ* [8], & *Andreas Maſius* [9]. Quanquam refragentur *Chriſt. Becmannus* [10], *Maldonatus* [11].

VIII. LUNA eadem eſt quæ Diana & Proſerpina, itaque Diana pingebatur manu ferens ardentes faces, matris Cereris exemplo, & Lunam vel infra vel ſupra ſe habens, uti oſtendunt *Abrahamus Gorlaus* [12], *Joh. Jac. Chiffletius* [13]. Sæpe etiam Juno erat. Virgilius [14]:

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuêre coloni,
Carthago, Italiam contra, Tiberinaque longe
Oſtia, dives opum, ſtudiiſque aſperrima belli,
Quam Juno fertur terris magis omnibus unam,
Poſthabita coluiſſe Samo. ——— ———

Inſcriptio Veronenſis: JUNONI. LUNÆ. REGINÆ. SACRUM. P. VITULLIUS. PHILOLOGUS. *Gruterus* [15]. Tyriorum & Phœnicum aliorum Numina erant Beelſa-

(1) *Tom.* 1. *Dierum canicular. fol.* 581. (2) *Sat.* 2. (3) *lib.* 11. *Epigram.* 45. (4) *lib.* 111. *Epigram.* 24. (5) *ad cap.* 1v. *Exod.* (6) *in Satyrico pag.* 248. (7) 1v. 25. (8) v 2. (9) *Commentario ad h. l.* (10) *libro de Originibus L. L. pag.* 590. (11) *Tom.* 1. *Controverſiar. Theolog. pag.* 35. (12) *in Theſauro Numiſmatum tab.* 39. *num.* 3. 4. 5. (13) *in Deſcriptione Veſontionis part.* 1. *cap.* 23. (14) *lib.* 1. *Æneid.* (15) *in Volumine Inſcriptionum pag.* 25.

men, (qui eſt Sol vel Jupiter Aſſyrius) & Aſtarthe, (quæ eſt Juno vel Luna.) Tyrii enim ſunt a Sidoniis, autore *Juſtino* [1]. Sidon vero Chanaanis filius Phœnicum progenitoris, *Geneſ.* [2], *Chronic.* [3]. Ut hoc addam, *Juſtinus* diligenter Phœnicum origines prodidit, quocum confer *Strabonem* [4], *Pomponium Melam* [5]. Quod dicit, *illos primum habitaviſſe ad ſtagnum Aſſyrium*, de lacu Geneſareth intelligi debet. Pergit, *conditam urbem ab ubertate piſcium Sidona appellatam eſſe, nam piſcem Phœnices* Sidona *vocant*. Atque in Phœnicum lingua tale aliquid eſt, nam ציד eſt *piſcis*, unde celebris ad Galilæum mare ſita urbs *Bethſaida* habet nomen, quod ibi copioſa eſſet piſcatio בית-צידה. Non ſatis bene Georgius Hornius [6]: *Sidonis urbem* Juſtinus *a piſcium copia dictam eſſe vult, ignarus ſcilicet, a primogenito Chananæi filio, cui hoc nomen erat, conditam*. Utrumque ſane verum eſt, quia etiam Zidon erat proprium nomen conditoris, ut *Sacræ Literæ* affirmant. Subjungit, *poſt multos deinde annos a Rege Aſcaloniorum expugnati, navibus appulſi, Tyron urbem ante annum Trojanæ cladis condiderunt*. Aſcalonii ſunt Palæſtini, vel Allophyli in maritimis Phœniciæ locis ſemper potentes. *Joſu.* [7], *Judic.* [8]. Denique, *Perſarum bellis diu varieque fatigati, victores quidem fuerunt*. Hoc referri debet ad Salmanaſſaris & Nebucadneſaris expeditiones, de quibus prædicta continentur in *Sacris Literis*, *Eſaiæ* [9], *Jerem.* [10], *Ezechiel.* [11], & meminit *Joſephus* [12]. Redeamus ad Lunam & Proſerpinam, quæ a Necromantâ Plutone ſollicitata poſt mortem, ut redire vellet, cumque labor ille fruſtra eſſet, ut matris dolor allevaretur, in Sidus terris proximum relata eſt. Lunam in ordine Planetarum eſſe viciniſſimam terris, conſtat per confeſſionem Aſtronomorum omni-

(1) *lib.* XVIII. (2) X. 15. (3) I. 13. (4) *lib.* XVI. *Geograph.* (5) *lib.* I. (6) *Notis ad Sulpicium Severum pag.* 220. (7) XIII. 3. (8) III. 1. (9) XXIII. 1. (10) XXV. 22. *cap.* XXVII. 3. *cap.* XLVII. 4. (11) XXVI. 2. *cap.* XXVII. 1. (12) *lib.* IX. & X. *Antiquitat.*

omnium, uti docent *Phil. Lansbergius*[1], *Hevelius*[2], *Andreas Argolus*[3], *Paulus Merula*[4]. Adeoque tempus illud ei attributum eſt, quo liberius vagantur ſpectra, & Veratrices, Sagæ, Maniumque evocatores illuſionibus operam navant. Lunæ perinde ut Plutoni ſacra Cocytia fiebant. Horatius[5]:

Nox & Diana quæ ſilentium regis,
Arcana cum ſiunt ſacra.

Tibullus[6]:

Vota novem Triviæ nocte ſilente dedi.

Ita emendat *Scaliger*[7]. Quod enim vulgo cum *Jano Gebhardo* legitur, *vota novem Veneri*, impertinens eſt; nec enim Veneria, ſed Cocytia ſacra ſint, quorum ritum ac cauſam vide in iis quæ deſcripſimus *ſupra*[8]. Et in ſacris Acherunticis capiebantur herbæ ad Lunæ radios deſectæ, quia credebant Lunam præeſſe veneficiis, ac ſpumâ quadam, cumprimis deliquiorum tempore, ita herbas inficere, ut eo magis nocere poſſent. Virgilius[9]:

Falcibus & meſſæ ad Lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ, nigri cum lacte veneni.

De quâ re hinc inde obſerves plurima, cumprimis quod prædicarent Sagæ, tantam eſſe vim carminum feralium, ut cœlo poſſent detrahere Lunam, involvere nubibus, inducere lucis defectum. *Tibulli* & *Horatii* verba adducta vide *ſupra*[10]. Enothea apud Petronium Arbitrum[11]:

—— *Lunæ deſcendit imago*
Carminibus deducta meis. ——

Ovidius[12]:

Mater erat Mycale, quam deduxiſſe canendo
Sæpe reluctantis conſtabat cornua Lunæ.

Pro-

(1) *in Uranometriâ lib.* 1. *cap.* 1. (2) *Selenographicis pag.* 202. (3) *lib.* 1. *Aſtronom. cap.* 9. (4) *in Coſmographia part.* 1. *lib.* 11. *cap.* 27. (5) *lib.* v. *Carm.* 5. (6) *lib.* 1. *Eleg.* 3. (7) *in Notis pag.* 116. (8) *num.* 5. (9) *lib.* IV. *Æneid.* (10) *num.* 5. (11) *pag.* 187. *Satyrici.* (12) *lib.* XII. *Metamorph.*

Propertius [1]:

Audax cantatæ leges imponere Lunæ.

Virgilius [2]:

Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam.

Claudianus [3]:

——— *Novi quo Thessalia cantu*
Eripiat Lunare jubar. ———

Iterum Ovidius [4]:

—— *Cantatis Luna laborat equis.*

Et Horatius [5]:

Quæ sidera excantata voce Thessalâ
Lunamque cœlo deripit.

Martialis [6]:

Quæ nunc Thessalico Lunam deducere rhombo?

Rhombum præter alia in negociis Magicis adhibebant. Horatius [7]:

Canidia parce vocibus tandem sacris,
Citumque retro volve, volve turbinem.

Voces sacræ sunt αἱ ἐπῳδαὶ vel carmina incantatoria, & turbo est rhombus Magicus, de quo etiam *Propertius* agit [8]:

Staminea rhombi ducitur ille rota.

Ovidius [9]:

Scit bene quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid valeat virus amantis equæ?

Ῥόμβος χάλκεος est [10], *Theocriti*. Proinde, ut istis Lunæ laboribus adversum noxios Sagarum cantus opem ferrent alii, *æra auxiliaria* (uti vocant *Ovidius* [11], *Statius* [12]) adhibebant, cymbala pulsando, tubas & cornua inflando, per quæ a veneficiis liberarentur. Juvenalis [13]:

Tot pariter pelves & tintinnabula dicas

Pul-

(1) *lib.* IV. *Eleg.* 5. (2) *Bucolic.* VIII. (3) *lib.* I. *in Ruffin.* (4) *lib.* II. *Amor. eleg.* 5. (5) *lib.* V. *Carm.* 5. (6) *lib.* IX. *Carm.* 30. (7) *lib.* V. *Carm.* 17. (8) *lib.* III. *Eleg.* 5. (9) *lib.* I. *Amor. eleg.* 8. (10) *in Pharmaceutriâ.* (11) *lib.* IV. *Metamorph.* (12) *lib.* VI. *Thebaid.* (13) *Sat.* 6.

Pulſari, jam nemo tubas atque æra fatiget,
Una laboranti poterit ſuccurrere Lunæ.

Manilius [1]:

Te teſtem dat Luna ſui glomerabilis orbis,
Quæ cum merſa nigris per noctem deficis umbris,
Non omnes pariter confundis ſidere gentes,
Sed prius Eoæ quærunt tua lumina gentes,
Seraque in extremis quatiuntur gentibus æra. &c.

Tibullus [2]:

Cantus & a cœlo Lunam deducere tentat,
Et faceret, ſi non æra repulſa ſonant.

Æra repulſa, id eſt, pelves concrepantes. *Paſſeratius* emendat, *æra recurva*, & exponit de cornibus, verum hoc recte improbat *Janus Gebhardus* [3], Martialis [4]:

Dicet quot æra verberent manus urbis
Cum ſecta Colcho Luna vapulat rhombo.

Exempla vanæ religionis proferunt *Livius* [5], *Plutarchus* [6], *Tacitus* [7]. Quem morem ad ſacra Chriſtiana converſi licet, non intermiſerunt, adeo *ille* animos hominum occupaverat, igitur *Maximus Taurinenſis* Epiſcopus ſerio culpat [8]. Duratque hodiedum apud incolas Moluccarum, ut de his teſtantur *Levinus Hulſius* [9], *Iſaacus Pontanus* [10]. Nimirum rudi adhuc ævo, cum doctrina de motu & affectionibus Siderum in vulgus haud ita nota erat, ſapientibus tantum cognita, qui non propalabant, ut ſuperſtitioni precium ſuum eſſet. Monent *Curtius* [11], *Daniel Heinſius* [12]. Scribit vero *Natalis Comes* [13], errorem eſſe ortum inde, quod Magi adhiberent ſpecula rotunda in deliquiorum tempore, quibus certo artificio conſtructis oſtenderint Lunæ

(1) *lib.* I. *pag.* 8. *Aſtronomicor.* (2) *lib.* I. *Eleg.* 9. (3) *Animadverſ. ad Tibullum pag.* 59. 60. (4) *lib.* XII. *Epigram.* 57. (5) *lib.* XXVI. (6) *in Vitâ Pauli Æmylii.* (7) *lib.* I. *Annal. cap.* 28. (8) *Sermone* 72. *de Defectu Lunæ.* (9) *in Navigationibus cap.* 30. (10) *in Deſcript. Amſterodami lib.* II. *cap.* 24. (11) *lib.* IV. *Hiſtor. cap.* 24. (12) *Notis ad Silium Italicum pag.* 90. 91. (13) *lib.* IV. *Mythologiæ pag.* 252. 253.

næ defectus, & vulgo perſuaſerint, ab ipſis deliquia eſſe, quomodo alias ſpecula fabricari poſſint, quæ ad Lunæ radios expoſita monſtrent è vicinis locis res geſtas, autore *Cornelio Agrippa*[1]. Quod de Lunæ defectu res ſit meris præſtigiis obnoxia, veriſſimum eſt, neque aliquid poteſtatis habet Dæmon in obſcuranda illa. De ſpeculis Magicis eſt res impoſtoria, & a Geniis omnia illa efficiuntur, malis vero, quorum fidus diſcipulus *Cornelius Agrippa*[2], ut cum animæ ſuæ damno latere poſſet, obtendebat nugas Planetariorum vaniſſimas. Refutant & damnant impias nugas *Athanaſius Kircherus*[3], *Caſpar Schottus*[4]. De toto Eclipſeon negocio vide *Argolum*[5], *Johan. Keplerum*[6], *Joh. Hevelium*[7], *Ricciolum*[8], *Laurentium Eichſtadium*[9].

CAP. III.

De Diis Indigetibus & Semonibus.

I. TERTIO loco ſuccedunt *Dii Indigetes* (οἱ ἐπάκτιοι Θεοὶ, ψυχαὶ καμόντων, Ἡρώων, ait *Apollonius*[10]) uti ſunt HERCULES, CASTOR & POLLUX, ÆSCULAPIUS, QUIRINUS. Et locus quartus eſt *Deorum Semonum*: VERTUMNI ac PRIAPI, de quibus meminit *Juſtus Lipſius*[11]. Hi ipſi cum Indigetes tum Semones aliis nominibus ſunt *Cabiri* & *Curetes*, velut Deorum miniſtri & apparitores. Ad eoſdem refertur GANYMEDES Catimitus, *Deorum pocillator*, uti eum vocat *Apulejus*[12]. Jupiter rapuit puerum * & in aula ſua ad

* Sed in aquilam converſus, ut docent antiqua monumenta hic collecta.

(1) *in Philoſophia occulta.* (2) *lib.* 1. *de Philoſophia occultâ cap.* 6. (3) *Arte magna Lucis & Umbræ lib.* x. *cap.* 1. (4) *in Magiâ univerſali Naturæ & Artis part.* 1. *pag.* 438. (5) *in Tabb. ſecundorum Mobilium cap.* 16. (6) *in Epitome Aſtronomiæ Copernicanæ lib.* VI. *pag.* 857. (7) *in Selenographiâ pag.* 451. (8) *in Almageſto novo Tom.* 1. *part.* 1. *lib.* V. *cap.* 1. (9) *part.* 2. *Ephemerid. novar. pag.* 221. (10) *lib.* II. *Argonauticor.* (11) *lib.* II. *Antiquar. Lection. cap.* 18. (12) *lib.* VI. *Metamorph. pag.* 179.


IVGVRIA

ad miniſteria ingenua adhibuit. In Catalectis Phallicis:

—— —— Raptus ab alite ſacrâ
Miſcet amatori pocula grata ſuo.

Virgilius [1]:

—— —— Rapti Ganymedis honores.

Idem [2]:

Intextusque puer frondoſâ regius Idâ,
Veloces jaculo cervos, curſuque fatigat
Acer, anhelanti ſimilis, quem præces ab Idâ
Sublimen pedibus rapuit Jovis armiger uncis.

Erat Phrygum Regis Trois filius, quem piratæ avexerant & Jovi donaverant. Horatius [3]:

Aut aquoſâ raptus Idâ.

Et [4]:

Qualem miniſtrum fulminis alitem.
Cui Rex Deorum regnum in aves vagas
Permiſit expertus fidelem
Jupiter in Ganymede flavo.

Plura narrat *Ovidius* [5]. Suos enim Deos cibo & potu indigere, fatebantur ultro.

II. HERCULES Jovis & Alcumenæ filius a Græcis proditus, qui omnium Gentium Heroës ſibi adſcribunt obſtinatâ aliquâ φιλαυτίᾳ adducti: Africanus erat, ut veriſſime *Pauſanias* [6] refert, incolatu videlicet, nam ortu erat è Phœnicum populis. *Luſtrator Orbis, purgator Terrarum, Gentium domitor*, ait *Apulejus* [7]. Celebris fortitudine bellica. Horatius [8]:

Sic Jovis intereſt
Optatis epulis impiger Hercules.

Eoque celebrior, quoniam latrocinia de plurimis locis Africæ, Hiſpaniæ, Italiæ, Galliæ, Græciæ expurgavit, manſuetioremque vivendi rationem incolis perſuaſit. Ab eo ſunt columnæ Herculis in Freto cognomini,

(1) *lib.* I. *Æneid.* (2) *lib.* V. *Æneid.* (3) *lib.* III. *Carm.* 20. (4) *lib.* IV. *Carm.* 4. (5) *lib.* X. *Metam.* (6) *Phocicis.* (7) *in Apolog.* 288. (8) *lib.* IV. *Carm.* 8.

mini, quod nunc eſt *Gibraltar*, inque meditullio Gadium exſtant hodiedum vetuſti ædificii reliquiæ, *Torres di Hercoles* dictæ, uti ſcribit *Abraham Ortelius*[1]. Quod Hercules iſto Gadium loco habuerit olim delubrum, ubi Phœnicum ritu (non etiam Græcanico) colebatur, produnt *Strabo*, *Plinius*, *Silius Italicus*[2], *Pomponius Mela*[3], *Livius*[4], *Suetonius*[5], & de Gadibus plura etiam videris apud *Philoſtratum*[6], *Heidmannum*[7], *Petrum Bertium*[8]. Gades erant extremus noti apud veteres Orbis terminus, dicente *Solino*[9]. Et *Pindarus* locis multis, gloriam Virorum illuſtrium ad ultimos mundi fines propagatam eſſe, canit, nec ulterius efferri potuiſſe ἄπειτω οἴκοθεν Ἡρακλέος σηλῶν[10]. Hucuſque profectus Hercules rerum geſtarum gloria Orbem terrarum implevit. *Heros*, *Defenſor*, *Triumphator*, *Pacifer*, in *Nummis* & *Inſcriptionibus* antiquis cognominatur, uti referunt *Gruterus*[11], *Petrus Appianus*[12], *Elmenhorſtius*[13], *Johan. Jacobus Boiſardus*[14]. Eum non recte *Bodinus*[15], conſtituit *Principem latronum*, & rectius multo popularis hujus *Stephanus Forcatulus*[16], commendat ob fortitudinis laudem & juſtitiæ amorem, *quique ornamentum non vulgare Gallorum genti attulerit*. Nam filium ſuum Galatheum illis Regem præfecit. Sane erat hoſtis latronum, Geryonas cumprimis, Stymphalidas, Cerberum, Centauros, Cacum, Antæum, Buſiridem, Typhonem, evertit, latronum ductores & vicinorum deprædatores. De Caco vide multis *Virgilium*[17], *Propertium*[18], *Ovidium*[19]. Quod Trojano-

G rum

(1) *in Theſauro Geographico.* (2) *lib.* III. (3) *lib.* III. (4) *lib.* XXI. (5) *lib.* I. *cap.* 7. (6) *lib.* IV. *de Vita Apollonii.* (7) *in Europa cap.* III. *ſect.* 104. (8) *in Tabb. contractis lib.* IV. *pag.* 171. 172. (9) *in Polybiſtore cap.* 26. (10) *Olympior. carm.* 3. (11) *in Volumine pag.* 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. (12) *in Collectaneis pag.* 216. 217. 299. 396. (13) *Notis ad Arnobium lib.* III. *pag.* 144. (14) *part.* III. *fol.* 103. *Antiq.* (15) *in Methodo Hiſtor. pag.* 426. (16) *lib.* I. *de Philoſophiâ & Imperio Gallorum pag.* 61. (17) *lib.* VIII. *Æneid.* (18) *lib.* IV. *Eleg.* 10. (19) *lib.* I. *Faſtor.*

rum pecora abegerit præmium laboris erat, non verò ſpolium. Duodecim ejus labores è *Catalectis Virgilii* ſaltim noti ſunt. Breviter illos proponit *Martialis* [1]. Nec non Marcellus Palingenius [2]:

Quis fuit Alcida major? quis tanta peregit?
Nam geminos infans ſuffocaviſſe chelydros
Dicitur, exiguis elidens guttura palmis.
Ipſe Molorchæum fertur ſuperaſſe leonem:
Exſtinxiſſe caput ſemper creſcentis echidnæ,
Hic domuit cervam æripedem, taurumque ferocem,
Expulit, & valido volucres Stymphalidas arcu. &c.

Adde *Lucretium* [3], *Ovidium* [4], *Diodorum Siculum* [5], *Juſtinum* [6]. Proinde *Nonnus Panopolitanus* [7], vocat Herculem δωδεκάεθλον. Cum veniſſet in Italiam ac divertiſſet ad Euandrum Regulum Aboriginum, Mercurii filium, propter juſtitiæ exiſtimationem meruit, ut juſtitiæ patronus ſummus aram acciperet, (eratque ejuſmodi ara ad Quæſtoris Cincii ædes, ut pingit *Jacobus Boiſſardus* [8]) apud quam deinde juramenta pronunciarentur. Tunc vero etiam *Deus Fidius* appellari cœpit, quod autore *Feſto* [9], Sabinorum linguâ eſt *Semo Sancus*, & corrupte *Sangus*. Meminit Silius Italicus [10]:

Ibant & læti pars Sancum voce canebant
Autorem gentis, pars laudes ore ferebant
Sabe tuas, qui de patris cognomine primus
Dixiſti populos magnâ ditione Sabinos.

Sanctum, *Sancum*, *Sangum* perinde invenias, ac quod *Sanctum* etiam vocaverint, docet Ovidius [11]:

Quærebam Nonas Sancto, Fidione referrem?
An tibi Semo pater: tunc mihi Sanctus ait:
Cuicunque ex iſtis dederis, ego munus habebo,
Nomina terna fero, ſic volvêre Cures.

Con-

(1) *libro Spectaculorum epigram.* 27. & *lib.* v. *Epigram.* 66. (2) *in Geminis pag.* 55. *Zodiaci.* (3) *lib.* v. *de rerum Natur.* (4) *lib.* IX. *Metamorphoſ.* (5) *lib.* V. (6) *lib.* XXV. (7) *lib.* XXXV. *Dionyſiac.* (8) *part.* 3. *Antiquitatum Romanar. fol.* 50. & *part.* 5. *fol.* 48. (9) *lib.* XIV. (10) *lib.* VIII. (11) *lib.* VI. *Faſt.*

Consentit Propertius[1]:

Sancte Pater salve, cui jam favet aspera Juno,
Sancte velis libro dexter inesse meo.
Nunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem.
Sic Sanctum Tatii composuêre Cures.

Præterea lege *Varronem*[2], (& *Dionys. Gothofredum*[3],) *Plinium*[4], *Dionysium Halicarnassæum*[5], *Lactantium*[6], *Arnobium*[7], (& *Stewechium*[8]) *Johan. Gerhard. Vossium*[9]. Notavimus quædam *in Auctariis ad Pappi Epitomen*[10], ubi est de *Justino Martyre*, qui[11] legebat, *Simoni Sancto*, corrupte; ubi legendum erat, *Semoni Sanco*. Nec enim ille erat Simon præstigiator è Samaritanis, qui nunquam forte Romæ fuerat, sed fuit ara posita Herculi, quem Sancum vocabant Sabini in urbem recepti. Confer *Joh. Gerhardum Vossium*[12], *Johannem Michaëlem Dilherrum*[13]. Celebris est *Inscriptio* in Insula Tiberina ad templum Lateranum: SEMONI. SANCO. DEO. FIDIO. SACRUM. SEX. POMPEJUS. SP. F. COL. MUSSIANUS. QUINQUENNALIS. DECUR. BIDENTALIS. DONUM. DEDIT. *Gruterus*[14], (ex *Ciofano* & *Lipsio*) nec non *Jacobus Boissardus*[15], *Jacobus Meursius*[16]. Heroës vino & amoribus dediti. Postquam vagos concubitus hactenus sectatus fuerat Hercules, Dejaniram sibi tandem adjunxit, quæ verita ne maritus aliquando fastidiret amores ejus, Nessi latronis & venefici consilio usa vestes infecit toxico, cujus vi malignâ correptus ille & toto corpore æger, ut doloris finem inveniret, in monte Octâ constructo rogo sponte miser deflagravit, præsente uno Philoctete, qui tot

(1) *lib.* IV. *Eleg.* 10. (2) *lib.* IV. *de L. L.* (3) *Notatis ibid. pag.* 1591. (4) *lib.* VIII. *cap.* 48. (5) *lib.* I. & IV. (6) *lib.* I. *cap.* 15. (7) *lib.* IV. *adversf. Gentes pag.* 145. (8) *in Electis ad h. l. pag.* 106. (9) *in Lexico Etymologico pag.* 316. (10) *pag.* 23. 24. (11) *Apolog.* 2. *pro Christianis.* (12) *in Theolog. Gentilium lib.* 1. *cap.* 12. (13) *tom.* 1. *Disputat. Philologicar. pag* 63. (14) *in Volumine pag.* 96. (15) *part.* 5. *Antiquitat. Roman. fol.* 129. (16) *in Iconibus Romæ novæ pag.* 136.

ìtinerum & curarum ejus indefeſſus comes fuerat. Deſcribit *Sophocles*[1], alluditque *Horatius*[2]. Relatus eſt in ſidera, & quidem in ſigna Septentrionalia, ubi hodie eſt ἐγόνασι, ſupra Draconem collocatus. Marcellus Palingenius[3]:

Ignibus Engonaſi lucet bis quinque novemque.

Quæ de Herculis Tyrii ſive Lybici per Aſiam & Indiam rebus geſtis prodita ſunt apud *Curtium*[4], *Arrianum*[5], *Pomponium Melam*[6], *Appianum*[7], *Saluſtium*[8], alio loco & tempore commemorabimus prolixius. Tantum hoc notetur, quod *Saluſtius* dicit[9]: *Poſtquam in Hiſpania Hercules, ſicut Afri putant, interiit, exercitus ejus compoſitus ex variis Gentibus, amiſſo Duce, brevi dilabitur, ex eo numero Medi, Perſæ, & Armenii, navibus in Africam transvecti proximos noſtro mari locos occupaverunt.* Decepit eum nominum ſimilitudo, adeoque *Medos* & *Armenios* notiſſimas Gentes perſcripſit, ubi in Punicis annalibus erant *Midianitæ* & *Aramei*, cives Herculis & comites ejus, ſed profugi, cum Syriæ partes illas occupabant Ebræi duce Joſuâ, aut ſaltem quando illi in vicinis Arabiæ locis ſtativa latiſſima habebant duce Moſe, & internecionem Gentis facere volebant gladio, poſtquam Bileami fraudibus ſeducti cladem a Deo acceperant, *Numeror.*[10]. Populi hi Romanis ignoti erant, id quod aliovorſum convertit optimum Scriptorem. Ita etiam *Perſas* appellavit, qui in iiſdem annalibus erant *Phereſi*, id eſt, Pherenſæi magna itidem Phœnicum pars. Nam quæ hic *Antonius Thyſius*[11] monet, otioſa ſunt. Quod porro ait, *nomen eorum paulatim Libyes corruperunt, Barbara lingua Mauros pro Medis appellantes*, nimium etiam recedit a vero. Mauri ſunt ab Amorrhæis detritâ literâ

(1) *in Trachiniis & Hercule Oetæo.* (2) *lib.* v. *Carm.* 4. & 17. (3) *in Aquario pag.* 355. (4) *lib.* III. *cap.* 19. *lib.* VIII. *cap.* 21. 25. (5) *lib.* IV. (6) *lib.* III. (7) *in Ibericis.* (8) *in Jugurthina.* (9) *l. d. pag.* 95. (10) XXV. 17. 18. *cap.* XXXI. 1. 2. (11) *Notis pag.* 288.

râ primâ, ſolitâ maximè Aphæreſi, & vero Amorrhæi celebres fuerunt in Cananæis, fugati inter primos, *Numeror.* [1]. Confer *Georgium Hornium* [2]. Et adde *Henricum Ernſtium* [3], ubi examinat *Inſcriptionem* quandam Florentinam Herculi conſecratam.

III. CASTOR & POLLUX * filii Jovis è Ledâ,



οἱ Διόσκυροι, exemplo Herculis (cujus etiam commilitones in expeditione Argonautica fuerunt) bellatores fortes ac juſti, Oceanum pervagati mercimoniis tutum iter adverſus pyratas cum ſucceſſu præſtiterunt. Ob divinum hoc beneficium in Geminorum fidus evecti ſunt, & σωτῆρες νεῶν, ut Pauſanias in Corinthiacis ait, id eſt, nautarum patroni eſſe meruerunt, *Catullus* [4], *Theocritus* [5], *Plinius* [6]. *Inſcriptio* Neapolitana apud *Gruterum* [7]. *Geminum Caſtorem* vocat *Rutilius* [8], (& ibidem *Sizmannus* [9]. *Geminos Polluces* Symmachus [10] appellat. Petronius [11]: *Ego cum Gitone quicquid erat, in altum compono, & adoratis ſideribus intro navigium.* Meminit Horatius [12]:

Fratres Helenæ, lucida ſidera,

Nec non Claudianus [13]:

G 3 --- *Ca-*

* Horum imaginem proponit hic nummus apud Al. Donatum *l.* III. *de Urbe Roma c.* 15.

(1) XXI. 21. (2) *lib.* II. *de Origine Americanorum cap.* 3. (3) *lib.* II. *Obſervat. variar. cap.* 22. (4) *Epigram.* 4. (5) *in* Διοσκουροις. (6) *lib.* III. *cap.* 27. (7) *in Volumine pag.* 98. (8) *in Itinerario lib.* I. *num.* 155. (9) *in Annotatis pag.* 68. (10) *lib.* I. *Epiſt.* 89. (11) *pag.* 113. *Satyrici.* (12) *lib.* I. *Carm.* 3. (13) *libro de Bello Gildonico.*

——— Cæca ſub nocte vocati
Naufraga Ledæi ſuſtentant vela Lacones.

Lacones a patria, quæ Sparta eſt, & vero pictura Jovis ſpecie oloris Ledam imprægnantis eſt apud *Gorlæum* [1], è Sarda inciſa. Rurſum Horatius [2]:

Dicam & Alciden, puerosque Ledæ,
Hunc equis, illum ſuperare pugnis
Nobilem: quorum ſimul alba nautis
Stella reſulſit,
Deſluit ſaxis agitatus humor,
Concidunt venti fugiuntque nubes,
Et minax (quod ſic voluere) ponto
Unda recumbit,

Et porro [3]:

Clarum Tyndaridæ ſidus ab infimis
Quaſſas eripiunt æquoribus rates.

Ad ignes fatuos alludit, qui apparere ſolent nautis, de quorum generatione & præſagio vide *Argolum* [4], *Bodinum* [5], *Lilium Gyraldum* [6], *Joachimum Camerarium* [7]. Eos pro imperio Romano ſemper curam geſſiſſe, multis exemplis probant *Valerius Maximus* [8], *Florus* [9], *Dionyſius Halicarnaſſeus* [10], *Plutarchus* [11], *Cicero* [12], *Juſtinus* [13], *Plinius* [14], *Suetonius* [15].


IV. ÆSCULAPIUS* Apollinis filius a patre ſuo medicinam accepit, excoluitque Epidauri, Propertius [16],

Et Deus extinctum Creſſis Epidaurius herbis,
Reſtituit patriis Androgeona focis.

Feliciſſimus artis ejus profeſſor apud Græcos & Inſulanos,

* Cujus effigiem hic habes ex Oct. Ferrarii *p.* 11. *l.* IV. *de re Veſtiaria c.* 20.

(1) *in Promptuario Annulorum num.* 26. (2) *lib.* I. *Carm.* 12. (3) *lib.* IV. *Carm.* 8. (4) *in Pandoſio ſphærico cap.* 14. (5) *in Theatro Naturæ lib.* 11. *pag.* 178. 179. (6) *de re Nautica cap.* 9. (7) *in Promiſcuis pag.* 105. (8) *lib.* VIII. *cap.* 1. (9) *lib.* I. *cap.* 11. *lib.* II. *cap.* 12. *lib.* III. *cap.* 3. (10) *lib.* VI. *cap.* 11. (11) *in Coriolano & Æmylio Paulo.* (12) *lib.* I. *Tuſculan. quæſt. & lib.* II. *de Nat. Deor.* (13) *lib.* XX. (14) *lib.* VII. *cap.* 20. (15) *lib.* VI. *cap.* 2. (16) *lib.* II. *Eleg.*



lanos, *Medicinarum demonſtrator* (uti loquitur *Tertullianus*[1], admodum inclaruit. παντοδαπῶν ἀλεκτὴρ νούσων, ait, *Pindarus*[2]. *Inſcriptio* Pannonica: ÆSCULAPIO ET HYGIÆ CÆTERISQUE. DIIS. DEABUSQUE. HUJUSQUE. LOCI. SALUTARIBUS. C. JUL. FRONTONIANUS. VET. EX. B. F. COS. LEG. V. M. P. REDDITIS. SIBI LUMINIBUS GRAT. AG. EX. VISO. PRO. SE ET CAPSIA. MAXIMA. CONJUGE. ET. JULIA. FRONTINA. FILIA. V. S. L. M. *Gruterus*[3]. Quod dicitur, *ex viſo*, pertinet ad ſomnia valetudinis cauſa facta in Deorum fanis, ut docebimus *infra*[4]. Idem exprimit *Inſcriptio* Reghienſis: DEO. ÆSCULAPIO. VAL. SYMPHORUS. ET. PROTIS. SIGNUM. SOMNI. ÆREUM. TORQUEM. AUREUM. EX. DRACUMCULIS. ENCHIRIDIUM. ARGENTEUM. P. S. ANABOLIUM. OB. INSIGNEM. CIRCA. SE. NUMINIS. EJUS EFFECTUM. V. S. L. *Gruterus*[5]. De re ſimili agit, ac porro ſcribit *Antoninus* Imperator[6]: ὁπτῖόν ἐϛι τὸ λεγόμϛον ὅλι συνέταξεν, ὁ Ἀσκληπιὸς τϛτῳ ἰπωασίαν ἢ ψυχρολϛσίαν ἢ ἀνυπόδηϛίαν Σωτηρίαι erant proprie remedia illa quæ Dii præſcribebant in fanis, ubi ægroti incubabant. Columnis inſcripta artis præcepta literis ſecretis dedicavit Epidauri, unde Hippocrates Cous (qui idem in poſteris ejus erat) multum profecit, *Strabo*[7]. Fulmine percuſſus obiit. Virgilius[8]:

Tum Pater omnipotens aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad limina ſurgere vitæ,
Ipſe repertorem medicinæ talis & artis,
Fulmine Phœbigenam Stygias detruſit ad undas.

Phœbigena eſt Æſculapius, itaque eſt *nepos Latonæ* apud *Martialem*[9], nam Latona eſt mater Apollinis. Relatus in ſidera, obtinuit Serpentarium, celebre ſignum in borealibus, *Servius*[10], *Johan. Keplerus*[11], *Johan. Henr. Meibomius*[12].

V. QUI-

(1) *in Apologiâ cap.* 23. (2) *in Pythiis Carm.* 3. (3) *in Volumine pag.* 67. (4) *cap.* VIII. *diſt.* 8. (5) *libro dicto pag.* 70. (6) *lib.* I. (7) *lib.* VIII. *Geogr.* (8) *lib.* VII. *Æneid.* (9) *lib.* IX. *Epigram* 18. (10) *Commentar. ad lib.* XI. *Æneid.* (11) *libro de Novâ Stellâ cap.* 14 (12) *Commentario ad Juſjurandum Hippocratis pag.* 35.

V. QUIRINUS Romulus erat, Urbis regnatricis conditor. Virgilius [1]:

Quin & avo comitem ſeſe Mavortius addet
Romulus, Aſſaraci quem ſanguis Ilia mater
Educet. —— ——

Et [2]:

Fecerat & viridi fœtam Mavortis in antro
Procubuiſſe lupam: geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem
Impavidos. —— ——

μυθικῶς de Romulo & Remo patre Marte, uti ajebant, genitis, Horatius [3]:

Iliæ Mavortiſque puer.

Deliquium Sol paſſus eſt ipſo die Solis, quo Iliam ſtupravit miles, eamque gemellis imprægnavit, teſtibus *Dionyſio Halicarnaſſ.* [4], *Plutarcho* [5], *Valerio Maximo* [6], *Seneca* [7], & deliquii ejus accuratum calculum ponunt *Calviſius* [8], *Buntingus* [9], *Laurentius Eichſtadius* [10], *Thomas Lydiatus* [11]. Aſſaſinio confectus eſt Patrum impetu, qui auſteros mores ejus pertæſi Regem habuiſſe quam habere malebant, ut vero populo excandeſcenti religionem injicerent, Julium Proculum ſubornaverunt: affirmabat ille, quod vidiſſet Romulum forma auguſta, armis fulgentibus ornatum, eumque dicentem audiviſſet de ſuâ in Cœlitum chorum aſſumptione, ac deinceps *Quirinum* appellari voluiſſe, *Livius* [12], *Florus* [13], *Dionyſius Halicarnaſſ.* [14], *Plutarchus* [15]. Inde eſt, quod *Virgilius* dicit [16]:

—— *Remo cum fratre Quirinus*
Jura dabunt. —— ——

Quirinus deducitur a *Quiri*, atque ita Sabini veteres

(1) *lib.* VI. *Æneid.* (2) *lib.* VIII. *Æneid.* (3) *lib.* IV. *Carm.* 8. (4) *lib.* II. (5) *in Vitâ Romuli.* (6) *lib.* V. *cap.* 5. (7) *Epiſt.* 108. (8) *in Recenſu Chronolog. pag.* 39. (9) *in Chronologiâ pag.* 63. (10) *præfat. ad part.* 2. *Ephemerid. novar.* (11) *de Emendatione Temporum pag.* 44. (12) *lib.* I. (13) *lib.* I. *cap.* I. (14) *lib.* II. (15) *in Vitis illuſtribus pag.* 25. (16) *lib.* I. *Æneid.*

(quorum ſermo paulatim cum Latiali coaluit, & Romanam dialectum effecit) *haſtam* vocabant, docentibus *Feſto* [1], *Servio* [2]. Nam alia, quæ adfert *Johannes Coraſius* [3], ea fere ſunt exigui valoris. Haſtam bellator Romulus ſecum perpetuo tulit, Regum veterum conſuetudine ipſe etiam uſus, de quibus conſtat è *Sacris Literis*, 1. *Samuel.* [4]. Statuæ eorum habitu conſimili ponebantur, nam ſceptrum multo ſerius adhibitum fuit, uti notat *Cælius Rhodiginus* [5]. Primus ille & ultimus Regum conſecratus eſt in Deum, cjus vero exemplo deinde Imperatores in numerum Deorum relati ſunt & honoribus Deorum culti, Statuas, Imagines, Coronas radiatas, Haſtas, Fulmen, Templa, Aras, Flamines acceperunt, quod de Julio Cæſare narrat, *Florus* [6], de Auguſto *Suetonius* [7], *Tacitus* [8], *Dion Caſſius* [9]. Scilicet Coronas radiatas a Sole petiverunt Deorum illuſtriſſimo, quem Regum ſuorum eſſe progenitorem voluerant etiam Aborigines. Virgilius [10]:

Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt,
Solis avi ſpecimen. ——— ———

De Latino rege agit. Cœleſte φαινόμενον quod propter Auguſtum contigit, refert Vellejus Paterculus [11]: *Cum intraret Urbem Solis orbis ſuper caput ejus curvatus æqualiter, rotundatusque in colorem arcus, velut Coronam tanti mox viri capiti imponens, conſpectus eſt.* De Haſtis eſt teſtimonium Juſtini [12]: *Ob religionis memoriam adhuc Deorum ſimulachris Haſtæ adduntur.* Verba Lucani [13]:

Fulminibus manes, Radiisque ornabit & Haſtis.

Ita

[1] *in Fragmentis ab Urſino editis pag.* 157. [2] *Commentariis ad lib.* 1. *Æneid. pag.* 199. [3] *lib.* VII. *Miſcellaneorum cap.* 31. *num.* 5. 6. [4] XVIII. 10. *cap.* XIX. 9. *cap.* XX. 33. *cap.* XXVI. 11. [5] *lib.* 11. *Antiquar. Lect. c.* 49. [6] *lib.* IV. *cap.* 2. [7] *lib.* 11. *cap.* 94. [8] *lib.* 1. *Annal.* [9] *lib.* LVI. [10] *lib.* XII. *Æneid.* [11] *lib.* 11. *pag.* 91. [12] *lib.* XLIII. *cap.* 3. [13] *lib.* VII. *verſ.* 448.

Ita enim reſcribit *Freinshemius*[1], ubi lectio vulgaris eſt, *radiisque ornabit & aſtris*. Nihil mutant *Berſmannus*, *Farnabius*, *Grotius*, *Schrevelius*, *Hortenſius*, *Juſtus Lipſius*[2], atque illi *aſtris* referunt ad ſtellam crinitam poſt obitum Cæſaris exortam, *infra*[3]. De Flaminum collegiis dicturi ſumus *infra*[4].

VI VERTUMNUS advena quidam ab Hetruſcis, quorum multitudine comitatus venit ad Romulum, poſtquam ille novam urbem velut Aſylum vicinis Gentibus aperuerat, vinearum & hortorum diligens cultor ac mercimoniorum inſtaurator. Quamobrem honores divinos promeruit, *Ovidius*[5], *Propertius*[6], & *Juſtus Lipſius*[7].

VII. PRIAPUS Bacchi filius, ut *Tibullus* autor eſt[8]:

—— *Bacchi reſpondet ruſtica proles.*

In eundem ſenſum *Muretus*[9], laudat *Antipatri Sidonii* verſus Græcos & *Scholiaſten Theocriti*. Atque hi Scriptores porro docent, matrem fuiſſe Chionem Nympham, cum tamen *Diodorus Siculus*[10] prodat, fuiſſe illum Bacchi & Veneris filium. Profugus quidam Cinædus ab agris ad Helleſpontum ſitis, ubi receptator pyratarum fuerat, deinde hortos fodiendo mercenarius, hortorum Tutelaris perſtitit eſſe. Virgilius[11]:

Sinum lactis & hæc te liba, Priape, quotannis,
Expectare ſat eſt: cuſtos es pauperis horti.

Lac & liba dicit, quoniam illa optime conveniebant Deo ἀγροφύλακι, uti *eſt infra*[12]. Porro[13]:

Et cuſtos furum atque avium cum falce ſalignâ
Helleſpontiaci ſervet tutela Priapi.

Cuſtos, id eſt, obſervator & prohibitor. Et[14]:

Illi

[1] *Notatis ad Florum lib.* IV. *pag.* 351. [2] *Notis ad lib.* I. *Annal. Taciti num.* 63. [3] *cap.* XII. *num.* 10. [4] *cap.* XII. *num.* 6. [5] *lib.* XIV. *Metamorph. & lib.* VI. *Faſtor.* [6] *lib.* IV. *Eleg.* 2. [7] *Notatis ad lib.* IV. *Annal. Taciti num.* 144. [8] *lib.* I. *Eleg.* 4. [9] *Commentario ad Tibullum pag* 152. [10] *lib.* IV. *Antiquitat. cap.* 6. [11] VII. *Bucolicor.* [12] *cap.* XI. *num.* 7. [13] *lib.* IV. *Georgicor.* [14] *in Culice.*

Illi falce Deus colitur. ——

Tibullus [1]:

Terreat ut ſcævas falce Priapus aves.

(Ita enim pro *ſævâ*, ut vulgo legitur, emendat *Janus Gebhardus* [2].) Horatius [3]:

—— *Deus inde ego furum, aviumque*
Maxima formido: nam fures dextra cohercet.
Obſcenoque ruber porrectus ab inguine palus.

Similia habent *Martialis* [4], & *Inſcriptiones* plurimæ apud *Janum Gruterum* [5]. Scurræ Pathici & Catamiti eundem venerabantur, unde ſunt illi Phalli & Ithypali *in Catalectis a Joſepho Scaligero editis*, quos commentariis illuſtravit *Caſpar Scioppius* pater caſtiſſimus libidinantium, & rei Veneriæ ſollicitus interpres. Totius Maſtupratorum ordinis hiſtoriam ab Orpheo repetit ac pertexit *Cœlius Rhodiginus* [6], & illi adjunge *Elmenhorſtium* [7], *Juſtum Lipſium* [8], *Johan. Henr. Meibomium* [9], *Joh. Gerhard. Voſſium* [10]. Apud Græcos perinde & Romanos vitium infame receptum fuit. Paſſim concinit ſuaviſſimus *Anacreon* [11]. Epigramma proferunt *Cicero* [12], & *Gellius* [13], a *Quinto Catulo* deſcriptum:

Conſtiteram exorientem auroram forte ſalutans,
Cum ſubito a lævis Roſcius exoritur,
Pace mihi liceat cœleſtes dicere veſtra,
Mortalis viſus pulchrior eſſe Deo.

Tibulli Elegia tota [14] pura puta Latina, & verbis commodiſſima, ſed re ipſa nihil turpius eſt, etenim pertinet ad hanc ἀσελγοπαχνίαν, quæ utinam Veteribus illis nunquam in mentem veniſſet. Damnat Paulus *Roman.* [15], (ad quem locum vide *Daniel. Heinſium* [16].) Exſecratur mul-

[1] *lib.* I. *Eleg.* I. [2] *in Animadverſ. pag.* 6. [3] *lib.* I. *Sat* 8. [4] *lib.* VI. *Epigram.* 16. & 83. [5] *in Volumine pag.* 93. [6] *lib.* VIII. *cap.* 30. 31. [7] *Notis ad lib.* I. *Apulej. fol.* 36. [8] *Notis ad Germaniam Taciti pag.* 53. [9] *Commentariis ad Juſjurandum Hippocratis pag.* 181. [10] *lib.* I. *Theolog. Gentil. cap.* 4. [11] *in Odis.* [12] *lib.* I. *de Divinat.* [13] *lib.* IX. *Noct. Attic. cap.* 9. [14] *lib.* I. *Eleg.* 4. [15] I. 26. [16] *lib.* VI. *Exercitat. ſacrar. cap.* I.

multis locis *Juvenalis*, ſed & *Martialis* perfricat liberali ſale, nec tamen iram *Raderi* commentatoris expiare poteſt. Olim & hodie quæras Romæ, & invenias. De Româ veteri teſtis luculentus eſt *Petronius Arbiter*[1]. Alexandro VI. Pontificum in Româ novâ ſceleſtiſſimo epicedium fecit *Jacobus Sannazarius* Neapolitanus[2]:

I nunc Nerones & Caligulas nomina,
Turpes vel Heliogabalos:
Hoc ſat Viator: reliqua NON SINIT PUDOR.
Tu ſuſpicare, & ambula.

Priapus ὁ λιμενίτης eſt in *Epigrammatis* Græcorum[3], & Romani vocabant teſte *Feſto Portumnum*, quod tutum adverſus tempeſtates portum monſtraret navigantibus. Virgilius[4]:

Et Pater ipſe manu magnâ Portumnus euntem
Impulit. ——— ———

Portumnus cærulis barbis hiſpidus, ait *Apulejus*[5]. Confer *Ovidium*[6], & *Inſcriptiones* Italicas apud *Janum Gruterum*[7].

VIII. CABIRI & CURETES ſunt ex hominum genere, qui proximis ante & poſt Ogygis diluvium ſeculis Orbem pervagati, factis plurimis, nec ſemper optimis, famam extenderunt, *Divi potes* vocati apud *Varronem*[8], & (*Dionyſ. Gothofredum*[9]) De quibus meminerunt *Literæ Sacræ*, *Geneſ.*[10] *Baruchi*[11]. Notavimus quædam *in Auctariis*[12]. Hos cum Deos eſſe nollent Deorum fabri, miniſtros Deorum juſſerunt eſſe. Nomen eſt Ebræum כביר, *fortis*, *validus*, Jobi[13]: *Samothracum initia* vocat *Curtius*[14]. Erant in populis illis Cabirorum ſacra celeberrima, ut prolixe refert *Diodorus Siculus*[15]. Juvenalis[16]:

——— *Jures licet & Samothracum*

Et

[1] *in Satyrico.* [2] *lib.* II. *Epigram. pag.* 175. 176. [3] *lib.* I. *Anthолog. cap.* 56. *num.* 4. [4] *lib.* V. *Æneid.* [5] *lib.* IV. *Mileſiar. pag.* 156. [6] *lib.* IV. *Metamorphoſ.* [7] *in Volumine pag.* 95. [8] *lib.* IV. *de L. L. pag.* 17. [9] *Annotatis ad h. l. pag.* 1587. [10] VI. 4. [11] III. 26. [12] *pag.* 183. [13] VIII. 2. [14] *lib.* VIII. *cap.* 3. [15] *lib.* V. *Hiſtor.* [16] *Sat.* 3.

Et noſtrorum aras.

Inſcriptio Veneta, ΓΑΙΟΣ. ΓΑΙΟΥ. ΑΧΑΡΝΕΥΣ. ΙΕΡΕΥΣ. ΓΕΝΩΜΕΟΣ. ΘΕΩΝ. ΜΕΓΑΛΩΝ. ΔΙΟΣΚΟΡΩΝ. ΚΑΒΕΙΡΩΝ. *Gruterus*[1]. Quicunque illis initiatus erat, is contra pericula omnia tutus eſſe credebatur, ut non poſſet a procellis, fulmine, telis bellicis percelli. Refert *Scholiaſtes vetus*[2] *Apollonii*, & ex illo adducunt *Natalis Comes*[3], *Joh. Hartungus*[4]. A Phœnicibus proveniſſe, arguit nomen, & comprobant *Samuel Bochartus*[5], *Joſephus Scaliger*[6].

CAP. IV.

De Diis Ruſticanis.

I. AD hunc ordinem pertinent fera Numina illa & hominibus infeſta fere: quæ colebantur in primis ne damna inferrent, ut *Porphyrius* monet. Itaque *Literæ Sacræ* ea vocant שדים Dæmones nocentes, *Deut.*[7] *Eſai.*[8] Sunt multiplicis generis: FAUNI, SATYRI, SILENI, NYMPHÆ, TRITONES, & ſupremus omnium PAN.

II. SATYRI & SILENI accurate deſcribuntur apud *Caſaubonum*[9], *Lilium Gyraldum*[10], *Euſebium Nurembergerum*[11], *Aldrovandum*[12], *Georgium Stengelium*[13], *Caſparum Schottum*[14]. Erant ductorum in exercitu Liberi Patris reliquiæ, præſtigiis celebres, quarum ope externas hominum formas immutabant, capitibus apponebant cornua & mira alia patrabant. Spectrorum vices deinde ſuſtinebant, quæ Diabolus numero magno

(1) *in Volumine pag.* 319. (2) *ad lib.* 1. (3) *in Mythologiâ lib.* v. *cap.* 5. (4) *in Locis memorabilibus pag.* 685. (5) *in Geographiâ ſacra.* (6) *Conjectaneis ad Varronem pag.* 25. & 120. (7) XXXII. 17. (8) XIII. 21. (9) *lib.* II. *de Satyrâ Græcorum & Roman. cap.* 2. (10) *Hiſtoriâ Deorum ſyntagm.* 15. (11) *lib.* v. *Hiſtoriæ naturalis cap.* 9. 10. (12) *in Hiſtoriâ Monſtrorum cap.* 1. (13) *de Monſtris cap.* II. *diſt.* 17. (14) *in Phyſicâ curioſâ lib.* III. *pag.* 396.

gno in vaſtiſſimis ſilvis objiciebat viatoribus, cornuta, quadrupedia, vocalia, jubata, choros ducentia (unde etiam *ſaltantes Satyros* appellat *Virgilius* [1], & *Satyros capripedes* vocat *Lucretius* [2], & *Horatius* [3]) hirſuta, quod eſt שעירים, vertitque Aquila τεχιῶντες, *Lev.* [4]. De comitatu Bacchi Ovidius [5]:

—— *Bacchæ, Satyrique ſequuntur,*
Quique ſenex ferula titubantes ebrius artus
Suſtinet, ac pando non fortiter hæret aſello.

Deſcribit ſenem Silenum in Bacchi aulâ & caſtris pocillatorem ὀνοβάτλω. De eodem meminit *Virgilius* [6]:

III. De NYMPHIS amnium, fontium, fluviorum, ſtagnorum, marium, montium præfectis, * Græcorum monumenta omnia plena ſunt. Spectra erant, & ut Pagani ipſi indicium faciunt, occurſu ſuo homines in furorem adigebant. *Qui enim viderat Nympham, is lymfatus eſſe dicebatur*, ait *Feſtus Pompeius* [7], & confer *Dan. Heinſium* [8], & *Horatius* [9]. Virgilius [10]:

Tum vero infelix ingentibus excita monſtris,
Immenſam ſine more furit lymfata per urbem.

Ergo *lymfare* eſt ἐνθουσιάζειν, furore corripi ab occurſu Deorum, qui frequentes in ſilvis ſeſe conſpiciendos præbebant. Silius [11]:

—— —— *Ruit ocyus amens*
Lymfato curſu. —— ——

Nymphas eſſe ἐν τοῖς ὄρεσι Φαινόμενα δαιμόνια ἐν γυναικείῳ σχήματι, ait *Scholiaſtes Theocriti* [12]. Hæc ludibria Diaboli evanuerunt, poſtquam Euangelii præconium univerſale toto Orbe obtinuit, niſi in quantum Papatus mali-

* Harum ut & Apollinis, Sylvani & Herculis, de quibus alibi, figura elegantiſſima huc tranſlata eſt ex *Diſſertat.* 2. Raph. Fabretti. *de Aquis & Aquæductibus*, quam vide ſequenti Pag. 112.

(1) *Bucolic.* 5. (2) *l.* IV. *de rer. Natura.* (3) *lib.* IV. *Carm.* 19. (4) XVII. 7. (5) *lib.* III. *Metamorph.* (6) *Bucolic.* 6. (7) *lib.* XI. *de Verbor. ſignificat. pag.* 307. (8) *Notis ad Silium Italicum pag.* 17. (9) 1. *Sat.* 5. (10) *lib.* VII. *Æneid.* (11) *lib.* 1. (12) *Idyll.* 3.


DE DIIS
TI · CLAVDIVS · ASCLEPIADES
ET · CAECILIVS · ASCLEPIADES
EX · VOTO · NYMPHABVS · D · D ·

malignæ tenebræ cœperunt terricula iſta refovere. Nympha prima apud Romanos erat EGERIA, in Aricino nemore. Virgilius[1]:

—— Inſignem quem mater Aricia miſit
Eductum Egeriæ lucis. —— ——

Sive in luco Camenarum ad portam Capenam. Juvenalis[2]:

Hic ubi nocturnæ Numa conſtituebat amicæ.

Quod ſequitur:

Nunc ſacri fontis nemus & delubra locantur
Judæis, —— ——

oſtendit, Judæos habuiſſe tunc temporis in luco illo Synagogam, pro quâ locarium ſolvebant. Regis Numæ familiaris, præceptis ſuis regiam prudentiam cum docuit, *Ovidius*[3], *Dionyſius Halic.*[4], *Florus*[5], *Valerius Maximus*[6]. Secunda erat JUTURNA Turni ſoror, quem paſſim commemorat Virgilius[7]:

Infelix crines ſcindit Juturna ſolutos,
Unguibus ora ſoror fœdans & pectora pugnis.

Et deinde:

—— Caput glauco contexit amictu
Multa gemens, & ſe fluvio Dea condidit alto.

Defuncta & tumulata ad Numicium fluvium, ubi fons erat, cujus aquæ per campum Martium emittebantur, inde illas Romani ad ſacrificia petebant. Ovidius[8]:

Te quoque lux eadem Turni ſoror æde recepit,
Hic ubi Virgineâ campus obitur aquâ.


Propertius[9]:

Potaque Pollucis Nympha ſalubris equo.

De Juturnâ fonte loquitur & *ſalubrem* vocat, quod ex eo valetudinis cauſa bibebant, itaque a juvando putat dictam eſſe Varro[10]: *Nympha Juturna, quæ juvaret, itaque multi ægroti propter id nomen hinc aquam petere ſolebant.*

(1) *lib.* VII. *Æneid.* (2) *Sat.* 3. (3) *lib.* III. & XV. *Metamorph.* (4) *lib.* II. *Antiquit.* (5) *lib.* I. *cap.* 2. (6) *lib.* I. *cap.* 2. (7) *lib.* XII. *Æneid.* (8) *lib.* V. *Faſtor.* (9) *lib.* III. *Eleg.* 20. (10) *lib.* IV. *de LL. pag.* 20.

bant. Ubi hodie inveniatur, disquirit *Lilius Gyraldus* [1]. Tertia erat LARA vel LARUNDA, è quâ Mercurius suscepit geminos LARES, quos deinde coluerunt domesticos Deos, focorum, liminum, tectorum præsti-tes, a quibus erant distincti † *Lares publici*, id est, cu-



stodes urbium ac viarum publicarum. Statuæ horum erant compactæ de cerâ, & figuram capitis canini imitabantur, ut pingit *Johan. Jac. Chiffletius* [2]. Juvenalis [3]:

Inde domum repetam, graciles ubi parva coronas,
Accipiunt fragili simulacra nitentia cerâ.
Hic nostrum placabo Jovem, laribusque paternis
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores,
Cuncta nitent, longos erexit janua ramos,
Et matutinis operatur festa lucernis.

Cœtera omnia è communi lege festorum, quod tunc domos floribus & frondibus ornarent, lucernasque accenderent toto die arsuras. Sæpe erant argenteæ. Petronius [4]: *Grande armarium in angulo vidi, in cujus adicu-*

lâ

† Quorum unum, sicut vides, depingit M. Z. Boxhornius in *Quæst. Roman. cap.* 6.

(1) *in Histor. Deor. syntagm.* 5. *pag.* 175. 176. (2) *in Descript. Vesontionis part.* 1. *cap.* 25. (3) *Sat.* 12. (4) *in Satyrico pag.* 459.

là erant Lares argentei. Quod de ædiculâ refert, exponetur *infra* [1]. Corollas imponebant Laribus. Horatius [2]:

Parvos coronantem marino
Rore Deos fragilique myrto.

Focis quoque imponebant ſerta, quæ apprime venerabantur ut ſacra. Tibullus [3]:

Num feror inceſtus ſedes adiiſſe Deorum,
Sertaque de ſanctis deripuiſſe focis?

Plautus [4]:

Hæc imponentur in focum noſtro Lari.

Dabant Laribus τὰς ἀπαρχὰς ciborum, quas ferebant de menſâ in focum. Tibullus [5]:

Adſitis Divi, nec vos è paupere menſâ
Dona, nec è parvis ſpernite fictilibus.

Nempe ut in foco adolerentur igne, hominem vero guſtare iſta, nefas erat. Fictilia ſunt patellæ, quibus a menſâ dapes libabant, id eſt, Laribus offerebant, Perſius [6]:

-- Cultrixque foci ſecura patella.

Ubi Cornutus Scholiaſtes: *Cultrix foci, quia delibandæ dapes in ea poſitæ ad focum feruntur Diis domeſticis.* Sic ille. & confer *Lubinum* [7], *Juſtum Lipſium* [8]. Hoc *Varro* loco quodam apud *Nonium* dicit [9]: *Deos colere, in patellam dare* μικρόν κρέας. Livius [10]: *Ut ſalinum patellamque Deorum cauſâ habeant. Valerius Maximus* de P. Æmylio & Fabricio [11]: *Uterque patellam Deorum & ſalinum habuit.* Quod vias publicas cuſtodirent, oſtendit *Plauti* locus [12]:

Vos lares viales ut me bene juvetis.

Et qui domibus præerant, *Lares familiares* vocantur, *Cicero* [13], *Suetonius* [14]. De his eſt *Inſcriptio* Hiſpanica:

C. MARTIUS. APILUS. MAGISTER. LARUM. AUGUSTORUM. ET. GENII. CÆSARIS. AUGUSTI. N. S. F. IN. F. P.

(1) *cap.* VIII. *diſt.* 9. (2) *lib.* III. *Carm.* 32. (3) *lib.* I. *Eleg.* 5. (4) *Ollularia act.* 2. *ſc.* 2. (5) *lib.* I. *Eleg.* 1. (6) *Sat.* 3. (7) *Commentar. ibid. pag.* 719. (8) *Notaſis ad Tacitum lib.* XV. *Annal. num.* 34. (9) *libro de Proprietate Sermonum cap.* 15. *num.* 6. (10) *lib.* XXVI. (11) *lib.* IV. *cap.* 4. *num.* 3. (12) *In Mercatore act.* 5. *ſc.* 2. (13) *Orat. pro Quinctio.* (14) *lib.* IV. *cap.* 5.

XX. IN. AG. P. XX. *Gruterus* [1]. Quod denique Lares publici urbis curam haberent, notum eſt. *Inſcriptio* Romana: LARIBUS. PUBLICIS. SACRUM. IMP. CÆSAR. DIVI. F. AUGUSTUS. PONTIFEX. MAXIMUS. TRIBUNIC. POTEST. XVIIII. EX. STIPE. QUAM. POPULUS. EI. CONTULIT. K. JANUARII. ABSENTI. C. CALVISIO. SABINO. L. PASSIENO. RUFO. COS. *Gruterus* [2], Ovidius [3]:

Stant quoque pro nobis, & præſunt mœnibus urbis,
Et ſunt præſentes, auxiliumque ferunt.

Erant hi Reges & Principes defuncti, qui inter Deos relati civitatem ope & conſilio apud Cœlites juvare credebantur. Itaque cum adverſus hoſtes decertarent, ne Urbi damnum inferrent, *hoſtilios* appellabant teſte *Feſto* [4], Tibullus [5]:

At nobis arata Lares depellite tela.

Pueri cum togam virilem ſumebant, bullas aureas, quas pueritiæ inſignia hactenus in prætexta geſſerant, Laribus vovebant & ſuſpendebant. Perſius [6]:

Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit.

Et apud eoſdem fiebat adoptio. Propertius [7]:

Quid genus aut virtus aut optima profuit illi
Mater, & amplexo Cæſaris eſſe focos?

De Marcello verba facit, quem Auguſtus Cæſar adoptaverat. Cœterum Laris nomen eſt ab Hetruſcis, quibus ſic dicebatur ὁ ἡγεμών ſive præſes, unde iiſdem *Lars* vel *Lartes* erat *populi Princeps*, quod docent *Livius* [8], *Florus* [9], & confer *Johannem Meurſium* [10], *Johan. Gerhard. Voſſium* [11]. Quarta CARMENTA, mulier fatidica, pellex Mercurii, qui ex illa ſuſtulit filium Euandrum, Aboriginum Regulum & Legiſlatorem, ad quos comitatus ab Arcadibus multis commigraverat, *Livius* [12], *Dionyſius Halicarnaſ.* [13]. Euander ipſe apud Virgilium [14]:

— *De*

(1) *in Volumine pag.* 320. (2) *in Volumine pag.* 106. (3) *lib.* V. *Faſtor.* (4) *lib.* VIII. *de Verborum ſignificat. pag.* 297. (5) *lib.* II. *Eleg.* 12. (6) *Sat.* 5. (7) *lib.* III. *Eleg.* 16. (8) *lib.* IV. (9) *lib.* I. *cap.* 12. (10) *in Auctario Philologico pag.* 113. (11) *in Lexico Etymologico pag.* 280. (12) *lib.* I. (13) *lib.* I. (14) *lib.* VIII. *Æneid.*

—— *De hinc progreſſus monſtrat, & aram,*
Et Carmentalem Romano nomine portam:
Quam memorant Nymphæ priſcum Carmentis honorem
Vatis fatidicæ. —— ——

Quinta ANNA PERENNA, ſoror Didonis Phœniſſæ quæ condidit urbem Carthaginem, ac vero nomine ſuo *Eliſah* dicta eſt, ut *Solinus* autor eſt[1], eodem ſenſu Statius[2]:

Sidoniæ convivia laudat Eliſæ.

Et *Vellejus*[3] ſcribit: *Eliſa Tyria quam quidam Dido autumant.* Utrumque Hebræum eſt, nam אלישע eſt *Dei ſalus* (habuitque nomen illud Propheta magnæ gloriæ, 2. *Reg.*[4]) & דידה eſt ὑποφυσητὸν à primitivo דוד *dilectus, dilecta*, ut monent *Joſephus Scaliger*[5], *Petrus Faber*[6]. Phœnices eodem ſermonis genere cum Hebræis uſos fuiſſe conſtat per indicia multa, ac demonſtrat *Thomas Reineſius*[7], Virgilius[8]:

—— *Nec me meminiſſe pigebit Eliſæ.*

Eſt quoque *Anna* Hebræum nomen, *gratioſa*, meminitque Virgilius[9]:

Anna ſoror quæ me ſuſpenſa inſomnia terrent?

Poſt Didonis obitum Jarbas Gætulorum Princeps invaſit Carthaginem, inde profuga Anna venit in Latium, cumque nocte quadam ad Numicium amnem oberrabat, merſa aquis ad Deos Deaſque emigravit, cognomen *Perennis* ab amne adhæſit ei, *Ovidius*[10]. Huc pertinent illa Martialis[11]:

Et quod virgineo cruore gaudet,
Annæ pomiferum nemus Perennæ.

Gaudere dicit nemus cruore virginis ejus, id eſt, gloriari morte ejus, ut exponit *Ramireſius*[12]. Sexta PALES, a qua pabuli proventus lætus ad uſum pecoris. Virgilius[13]:

(1) *cap.* 30. *Polybiſtor.* (2) *lib.* IV. *Sylvarum carm.* 1. (3) *lib.* I. (4) 11. 1. (5) *lib.* VII. *de Emendatione Temp.* (6) *lib.* III. *Semeſtrium cap.* 2. & 13. (7) *de Lingua Punica.* (8) *lib.* IV. *Æneid.* (9) *l. d.* (10) *lib.* III. *Faſtor.* (11) *lib.* IV. *Epigr.* 64. (12) *Notis ad h. l. pag.* 353. (13) *lib.* III. *Georg.*

Tu quoque magna Pales. ——

Idem [1]:

Et tibi ſancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agreſtum bona cura. ——

Eſt nomen ab Oriente, פלא Syri vocant agricolam, & *mapale* eſt caſa ruſtica Afrorum, ut refert *Saluſtius* [2]. Quod vero *Chriſt. Becmannus* [3] derivat *mapale ab Hebræorum* מפל *id eſt, quiſquiliæ, deciduum, è qua materia tales caſæ fiebant*, hoc inquam, non ita bene congruit, & confer *Johan. Gerh. Voſſium* [4], Tibullus [5]:

Et placidam ſoleo ſpargere lacte Palem.

Septima FLORA, (quæ etiam CHLORIS vocabatur) Zephyri pellex, & ab illa petebatur amplus florum per hortos & agros proventus, Zephyro benignam auram afflante, *Ovidius* [6], *Macrobius* [7]. Octava MATUTA, (quam Græci vocant *Inonem*) filia Cadmi ejus, qui in Græciam progreſſus è Phœnicia appulit, (erant enim *Cadmenitæ* pars magna Phœnicum, uti conſtat *Geneſ.* [8]) & ibi meliores literas primus docuit, urbemque Thebas condidit, *Ovidius* [9], & copioſe *Daniel Heinſius* [10], *Fr. Junius* [11]. Cadmus ille dedicavit Thebis delubrum in honorem Deæ Oncæ armatæ, quæ Pallas Græcorum eſt, galeata ex Jovis cerebro nata, ut fabulantur, verius a Phœnicum gente ענקה / ut diximus *ſupra* [12]. Ab Enacim Gigantum feraciſſima ſtirpe perinde ſunt Inachidæ illi, qui è Phœnicia profecti regnum Argivorum in Peloponneſo condiderunt tunc temporis, quando ſub Moſe & Joſua cis & ultra Jordanem victores Hebræi devotas Gentes aut pellerent aut cæderent. Itaque *Æſchylus* [13] refert, Inachidas fuiſſe *Pelasgos*, id eſt, peregrinos & convenas, uti innuit Syrorum פלגש. *Inſcriptio* Italica: CERVARIA. SP. F. FORTUNATA. MA-

(1) *in Culice.* (2) *in Jugurthina.* (3) *de Originibus Linguæ pag.* 636. (4) *in Lexico Etymologico pag.* 303. (5) *lib.* I. *Eleg.* I. (6) *lib.* IV. *Faſtor.* (7) *lib.* I. *Saturnal. cap.* 10. (8) XV. 19 (9) *lib.* VI. *Faſtor. lib.* III. *Metamorphoſ.* (10) *Ariſtarcho ad Nonnum cap.* I. (11) *de Academia cap.* I. (12) *cap.* I. *diſt.* 6. (13) *in Supplicibus.*

MAGISTRA. MATRI. MATUTÆ. D. D. PAUL. TONTIA. M. F. ET. CONSUA. PICATRICES. *Janus Gruterus*[1]. Effigiem Matutæ è lapide Romano proponit *Johan. Boissardus*[2].

IV. FAUNUS Mercurii filius (*Plutarcho* teſte) apud Latinos regnabat quondam, vates futurorum præſcius & torvus aliquis Planetarius, ab exceſſu pro Deo cultus Φηγώεις Δαίμων ait *Dionyſius Halicarnaſſ.*[3]. De illo Horatius[4]:

Velox amœnum ſæpe Lucretilem
Mutat Lyceo Faunus, & igneam
Defendit æſtatem capellis,
Uſque meis, pluvioſque ventos.

Et porro[5]:

Me truncus illapſus cerebro
Suſtulerat, niſi Faunus ictum
Dextrâ levaſſet, Mercurialium
Cuſtos virorum.

Cuſtos ideo, quod Mercurio patre ſatus eſt. Virgilius[6]:

At Rex ſollicitus monſtris oracula Fauni
Fatidici genitoris adit. ———

Dæmones ſpeciem viri mentiti apparuerunt in ſilvis cum ſonitu & fremitu, ut miſeros mortales per terrorem in errores conjicerent. Ergo Satyrorum choro permixtus pro terriculis nocturnis allegabatur. A Fauno ſunt Gottorum *Fones* & *Fanes*, ac veterum Germanorum *Tanfana*, de quibus vide *Auctaria noſtra*[7], & *Johan. Loccenium*[8]. Quod enim *Becmannus*[9], alia viâ inſiſtendo, *Tanfanam a Manno progenitore Alemannorum magno* derivare conatur, non poſſumus aſſentiri. *Juſtus Lipſius* annotat[10]: *Tanfana, quis Deus? quæ Dea? Britanni priſci lingua ſua* Tan *ignem vocant.* Quæ nihil ad rem faciunt. Equidem Cotta Pontifex, (ut *Cicero* nar-

(1) *in Volumine pag.* 60. (2) *part.* 5. *Antiquitatum fol.* 63. (3) *lib.* 1. (4) *lib.* 1. *Carm.* 17. (5) *lib.* 11. *Carm.* 17. (6) *lib.* VII. *Æneid.* (7) *pag.* 86. (8) *lib.* 1. *Antiquitat. Gothic. cap.* 3. (9) *de Originibus L. L. pag.* 1080. (10) *Notis ad lib.* 1. *Annal. Taciti num.* 155.

rat [1]) negabat, *Faunos esse, vel eorum voces unquam auditas*. Verum Epicureus ille omnia sensuum animorumque formidine aliquâ præoccupatorum deceptionibus adscribit. Quod idem fecit *Lucretius* [2]. Cœterum Panicos terrores commemorant *Julius Obsequens* [3], *Angelus Politianus* [4]. Exemplum memorabile est in exercitu Alexandri Magni, teste *Curtio* [5], & vere dari, ipsæ *Literæ Sacræ* comprobant. 2. *Reg.* [6]. Dicebatur etiam SILVANUS, ut multæ *Inscriptiones* docent apud *Gruterum* [7], Virgilius [8]:

Venit & agresti capitis Silvanus honore,
Florentes ferulas & grandia lilia quassans.

Et [9]:

Silvano fama est veteres sacrasse Pelasgos,
Arvorum pecorisque Deo, lucumque diemque.

Horatius de Fauno copiosus est [10], Martialis [11]:

Horridique Silvani.

Imputabant ei Incubos, ut refert *Augustinus* [12]. Neque enim hoc malum est corruptæ imaginationis a coagulo sanguinis circa spinam dorsi, ut vana Medicorum sententia est, apud *Levinum Lemnium* [13], *Lilium Gyraldum* [14], *Johan. Beverovicium* [15], *Samuelem Maccovium* [16], *Johan. Fernelium* [17]; sed omnino est à Veneficis & Sagis per incubitum vere urgentibus, ut rectius multo disserit *Bodinus* [18]. Præterea erat, quod infantes recens natos rapere putabatur, inde custos addebatur aliquis de familiâ noctu ut infantes salvi essent, nec puerperis ille noceret. Ex *Varrone* adfert *Augustinus* [19]. Papistæ restituerunt loco Silvanum, adeoque Saxones & Vandali nostri multa referunt de Mulieribus albis, quæ noctu irrum-

(1) *lib.* II. *de Nat. Deor.* (2) *lib.* IV. *derer. Nat.* (3) *libro Prodigiorum cap.* 8. (4) *in Observat. variis cap.* 28. (5) *lib.* IV. *cap.* 28. (6) VII. 4. 5. (7) *in Volumine pag.* 62. 63. 64. 65. 66. 318. (8) *Bucol.* 10. (9) *lib.* VIII. *Æneid.* (10) *lib.* III. *Carm.* 18. (11) *lib.* X. *Epigr.* 92. (12) *lib.* XV. *de Civit. Dei. cap.* 22. (13) *lib.* II. *de Occultis Nat. Mirac. cap.* 5. (14) *in Histor. Deor. Syntagm.* 16. *pag.* 425. (15) *in Ideâ Medicinæ Veterum pag.* 275. (16) *Decade* 2. *Disputat. Medicarum Basileensium Disp.* 8. (17) *lib.* V. *Pathologiæ cap.* 3. (18) *in Dæmonomaniâ lib.* II. *cap.* 7. (19) *lib.* VI. *de Civit. D. cap.* 9.

irrumpere ſolitæ de puerperarum ſinu abſtulerint infantes nunquam reddendos. Spectra erant, quæ Monachi ab Orco evocabant, conjugum hoſtes, ſcortorum concubitores. Tantum ſuperſtitiones Miſſaticæ poterant ſuadere malorum.

V. TRITONES ſunt Dæmones aquatici & eorum Principes ſunt PROTEUS & NEREUS, uterque Oceani filius ac vates, quod monent *Virgilius* [1], *Horatius* [2]. Alibi idem Maro [3]:

Hunc vehit immanis Triton & carula concha
Exterrens freta, cui laterum tenus hiſpida nanti
Frons hominem præfert, in Priſtin deſinit alvus,
Spumea ſemifero ſub pectore murmurat unda.

Triremis nomen, in quâ erat Triton pictus velut παράσημον. Multis teſtimoniis roborat *Plinius* [4], quod imperante Tiberio viſus ſit Triton eâ quæ hic deſcribitur, figurâ indutus & concha canens. Buccinam Tritonis depingit *Ovidius* [5], & confer *Turnebum* [6], *Alexandrum Neapolitanum* [7]. Sic & Juvenalis [8]:

Oceani monſtra & juvenes vidiſſe marinos.

Sunt Balenæ & Tritones. Locus *Jobi* eſt [9]: *Ecce Gigantes gemunt ſub aquis, & qui habitant cum eis.* De Tritonibus exponit *Janſonius Lovanienſis* [10]. Melius referas ad Cetos, de quibus Horatius [11]:

Qui ſiccis oculis monſtra natantia?
Qui vidit mare turgidum?

Κήτεα θαύματα πόντε ait *Oppianus* [12]. Certum eſt, quod Diabolus multas variaſque formas aſſumendo luſerit miſeros Gentiles, eorumque animos ad ſuperſtitiones impulerit, itaque nunc Satyros & Faunos aſpectu horridos, nunc Tritones, Syrenas, Nereidas, Orcades, Dryades pulcherrimas oſtendit, quos omnes illi Divis adſcripſerunt, & Diabolo cultum quem ſoli vero Deo

(1) *lib.* IV. *Georg.* (2) *lib.* I. *Carm.* 2. & 15. (3) *lib.* X. *Æneid.* (4) *lib.* IX. *cap.* 5 (5) *lib.* I. *Metamorph.* (6) *lib.* II. *Adverſar. cap.* 21. (7) *lib.* III. *Genial. Dier. cap.* 8. (8) *Sat.* 14. (9) *cap.* XXVI. 5. (10) *Commentario ad b.l.* (11) *lib.* I. *Carm.* 3. (12) *lib.* I.

debebant, impenderunt. Exempla copioſa adfert *Caſpar. Schottus* [1]. Sub Papiſmi tenebris non diſſimilia exiſtere cœperant, ut *Paracelſus* [2] teſtatur : ſed poſtquam lux Euangelii diſcuſſit Paganiſmum, deinde etiam Papiſmum, ſpectra Diabolica evanuerunt, aut ſaltem rarius apparent. Vidit Tritonem in mari Ægeo comes *Sveiggeri*, uti ipſe refert [3]. A Satyris, Faunis, Tritonibus ſunt ſpectra illa, obambulabant & homines terrore implebant cumprimis in meridie hora duodecima, & ea ipſa hora in medinoctio, quando æſtus intenditur apud Antipodas. Horæ illæ ſpectris liberius favere, hominibus infeſtæ eſſe cenſentur, ſecundum confeſſiones noviſſimas Sagarum, quas produnt *Cœlius Rhodiginus* [4], *Remigius* [5]. De Proteo Virgilius [6] :

Jam rapidus torrens ſitientes Sirius Indos
Ardebat cœlo, & medium Sol igneus orbem
Hauſerat, arebant herbæ, & cava flumina ſiccis
Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant.
Cum Proteus conſueta petens è fluctibus antra
Ibat. ——— ———

Apud eundem Anchiſes ad Æneam [7] :

Jamque vale, torquet medios nox humida curſus,
Et me ſævus equis Oriens afflavit anhelis.

Paſtor apud *Theocritum* :

Οὐ θέμις ὦ πιμωὸν τὸ μεσεμβεινὸν, ὃ θέμις ἄμμι
Συρίσδεν ἃ Πάνα δεδοίκαμες. ———

Vocabant Deorum meridiationes, ut monet *Johannes Meurſius* [8]. Itaque *Porphyrius* [9] : κ τὼ εἰς νότον ἔσκλισιν ἧ ἡλίκ ὃ θέμις εἰσιέναι εἰς τὰ ἱερά, ἀλλ' ἀθανάτων ὁδός ἐστιν, ἰσᾶσιν ἓν ᾗ σύμβολον τῆς μεσεμβρίας ᾗ ἧ νότ, ὅπῃ τῇ θύρᾳ μεσεμβριάζονῖ ἧ θεῦ. Peculiare ſpectrum fuit, quod Hecates nomine in meridie apparebat, & vocabatur *Empuſa*, altero pede ut homo incedens, altero ut aſinus. Memo-

(1) *in Phyſica curioſa lib.* III. *cap.* 3. 4. (2) *libro de Occulta Philoſophia.* (3) *lib.* III. *Itinerarii cap.* 7. (4) *lib.* XV. *cap.* 23. (5) *lib.* I. *Dæmonolatr. cap.* 23. (6) *lib.* IV. *Georgic.* (7) *lib.* V. *Æneid.* (8) *in Auctario Philologico pag.* 121. (9) *libro de Antro Nympharum.*

Memorant *Scholiaſtæ* [1], *Philoſtratus* [2]. Nec hoc tantum, ſed quoque in varias formas demutabatur, eratque nunc vipera, nunc lapis, fœmina, muſca & omnia, teſte *Epicharmo* [3]. Locus eſt *Pſalm.* [4]; *Ab incurſu & Dæmonio meridiano*, uti exprimit *Romanus Interpres*, ſecutus *Alexandrinos*, qui habent Δαιμόνιον μεσημβρινὸν. De Empuſa nihil cogitari debet, quandoquidem Hebræus textus manifeſte ſonat de peſtilentiæ malo. Viderat enim David Angelum percuſſorem in meridie cum gladio: quomodo contra Angelus percuſſor in Ægypto media nocte exibat ad nocendum, *Exodi* [5], 1. *Chron.* [6]. Propertius [7]:

Nocte vagæ ferimur, nox clauſas liberat umbras,
Errat & abjectâ Cerberus ipſe ſerâ.

VII. PAN filius * Mercurii, Arcadiæ Regulus Virgilius [8]:

Adſis o Tegeæe favens. —— ——

Nam Tegea oppidum Arcadiæ erat, in quo Pan colebatur. Eodem ſenſu Propertius [9]:

Pan Tegeæe favens. —— ——

Et idem de eodem [10]:

—— *Arcadio pinus amata Deo.*

Aſtronomus, cantor, venator, opilio, agricola. Virgilius [11]:

Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipſi
Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.

Pingebatur ſcilicet facie rubente, uti *eſt infra* [12]. Horatius [13]:

Dicunt in tenero gramine, pinguium
Cuſtodes ovium, carmina fiſtula:
Delectantque Deum, cui pecus & nigri
Colles Arcadiæ placent.

Inve-

* Erant tamen & alii δαίμονες νυκτοφύλακες, adverſus terrores nocturnos, lemures & ſpectra. V. Lucian. *Peregrin.* 578.

(1) *ad lib.* III. *Apollonii.* (2) *lib.* II. & IV. *de Apollonio.* (3) *in Nuptiis Hebes.* (4) XCI. 6. (5) XII. 4. *cap.* XII. 29. (6) XXII. 16. (7) *lib.* IV. *Eleg.* 7. (8) *lib.* I. *Georg.* (9) *lib.* III. *Eleg.* 2. (10) *lib.* I. *Eleg.* 18. (11) *Bucolicor.* 10. (12) *cap.* VII. *num.* 8. (13) *lib.* IV. *Carm.* 12.

Invenit tibias utriculares. Virgilius [1]:

Panaque qui primus calamos non paſſus inertes.

Septem calamis ordine poſitis [2]:

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula. ——— ———

Et *ibidem:*

Pan primus calamos cerâ conjungere plures
Inſtituit. ——— ———

Nimirum quod totidem Planetæ eſſent ſecundum perpetuam Chaldæorum & Ægyptiorum traditionem, ut bene advertit *Franciſcus Bacon* [3], donec quatuor Lunulas Jovis comites adderet primus *Galilæus* Florentinus [4]. *Ibidem:*

— *Pan curat oves oviumque magiſtros.*

Et [5]:

Pan ovium cuſtos. ———

Μιλιασόφ eſt *Antholog.* [6], & Ἱμεράλης *ibidem* [7]. Faunorum & Satyrorum choragus ciebat terrores Panicos, id eſt, nocturna terriculamenta. Nomen illud Arcades, poſtquam in Latium advenerant, ſecum attulerunt, *Dionyſius Halicarn.* [8]. De Euandro ſcribit Virgilius [9]:

——— *Gelida monſtrat ſub rupe Lupercal*
Parrhaſio dictum Panos de more Lycæi.

Narrat Plutarchus [10], *auditam eſſe vocem prope Echinadas, Magnus Pan obiit.* Adducunt *Lambinus* [11], *Taurellus* [12], & Pana fuiſſe Chriſtum, ajunt, magnum omnium mortalium Paſtorem & Servatorem. Nos de illa re uberius monuimus *in Auctariis ad Pappum* [13].

(1) *Bucolic.* 8. (2) *Bucolic.* 2. (3) *de Sapientia Veterum pag.* 21. (4) *in Nuncio ſiderio pag.* 10. (5) *lib.* 1. *Georgic.* (6) *lib.* 1. *cap.* 60. (7) *lib.* VI. *cap.* 15. (8) *lib.* 1. *Antiquitat.* (9) *lib.* VIII. *Æneid.* (10) *libro de Oraculorum defectu.* (11) *Commentario ad Horatium pag.* 322. (12) *in Synopſi Metaphyſica pag.* 42. (13) *pag.* 3.

CAP.




SIMVLACRVM
OSIRIDIS.

CAP. V.

De Diis Peregrinis.

I. PEREGRINOS Deos Romæ pauciſſimos invenio OSIRIDEM & ISIDEM, de quibus multas *Inſcriptiones* prodit *Janus Gruterus* [1]. OSIRIS eſt idem qui SERAPIS. Catullus [2]:

Commodo nam volo ad Serapim
Deferri.

Lectică deferebantur nobiles ad templum Serapidis; quod ævo illo extra pomerium erat, nec enim licebat Serapea in urbe habere, teſte *Dione* [3]. Marcianus Capella [4]:

Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Oſirim.

Eſt de poſteris Mizraim, quem in Ægypto conſediſſe Gentemque illam condidiſſe, conſtat è *Literis Sacris*, *Geneſ.* [5], *Chron.* [6], *Pſalm.* [7], adeoque inventos per Noam ſationis & agriculturæ commodiores apparatus eo ſecum detulit. De Noa eſt locus inſignis Geneſ. [8]: *Iſte conſolabitur nos ab opere noſtro & a dolore manuum noſtrarum de terra, cui maledixit Dominus.* Caſtalio vertit: *Hic nos recreabit a negociis noſtris & manuum laboribus, quos nobis exhibet terra a Jovâ infelicitata.* Prædictum hoc erat, quod aratra & plura inſtrumenta inveniendo ruris operas deinde multo faciliores præſtiturus eſſet, poſtquam terra maledicto divino percuſſa moleſtum cultum peteret ſibi, *Geneſ.* [9], Virgilius [10]:

Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris.

Quod ſi diligenter expendantur ea, quæ de illo referunt *Diodorus Siculus* [11], & *Pauſanias* [12], evidens omnino eſt, Oſiridem eſſe Patrem Liberum ſive Jovem Libyc-

(1) *in Volumine pag.* 82. (2) *Epigram.* 10. (3) *lib.* XL. *Hiſtor.* (4) *lib.* II. *Philolog. pag.* 54. (5) X. 6. 13. (6) XVIII. (7) LXXVIII. 51. CV. 23. (8) V. 22. (9) III. 17. 18. (10) *lib.* I. *Georg.* (11) *lib.* I. (12) *in Bœoticis.*

bycum, victorem plurimarum in Asiâ & Africâ Gentium. *Inscriptio* Sentinensis : JOVI. SOLI. INVICTO. SARAPIDI. T. ÆLIUS. ANTIPATER. PROC. AUGG. CUM. UMBRICIA. BASSA. CONJUGE. GRATIAS. AGENTES. POSUERUNT. *Gruterus* [1]. Excelluit in Medicinâ, proinde in fanis pro Serapide conditis solebant Ægyptii & Romani ægrotos certis ritibus expiatos deponere, ut in somno doceret eos præsens Deus, quo medicamento adversus morbum bene uti possent. Cicero [2] : *Quid convenit ægros a Conjectore somniorum potius quam a Medico petere medicinam? an Æsculapius, an Serapis potest præscribere per somnium curationem valetudinis?* De Ægyptiis hoc prodit *Strabo* [3], & de Romanis exemplum habes apud *Suetonium* [4]. *E plebe quidam debili crure, item alius luminibus orbatus, sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonstratam a Serapide per quietem, restituturum oculos, si inspuisset.* Refert idem Cornelius Tacitus [5]. *Ex plebe Alexandrinâ quidam oculorum tabe notus, genibus ejus advolvitur, remedium cœcitatis exposcens gemitu, monitu Sarapis Dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit, precaturque Principem, ut genas & oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento.* Sic ille. De hac re plura dicemus *infra* [6], ubi est de fano Æsculapii, & confer *Johannem Baptistam Pium* [7], *Hermannum Conringium* [8]. Cum his miraculosis sanationibus comparat *Stephanus Forcatulus* [9], quod Clodovæus & successores ejus, Reges Galliæ, contactu suo strumas possint abstergere, indicio facto per somnium à Deo immissum. Sic etiam *Franciscus Gataeus* [10]. Relationem examinat, imo suspectam facere vult *Armacanus Patricius* [11]. Nos litem illis

(1) *in Volumine pag.* 22. *num.* 9. (2) *lib.* II. *de Divinat.* (3) *lib.* XVII. *Geograph.* (4) *in Vespasiano cap.* 7. (5) *lib.* IV. *Histor.* (6) *cap.* VIII. *num.* 8. (7) *in Annotatis posterioribus pag.* 404. (8) *de Medicinâ Hermeticâ cap.* II. 12. (9) *lib.* I. *de Philosophiâ & Imperio Gallorum pag.* 59. (10) *in Sacris Rhemensibus Ludovico XIII. Galliarum Regi dicatis pag.* 150. (11) *in Marte Gallico lib.* I. *cap.* 13.

illis relinquimus, ut componant ſi volunt & ſi poſſunt.

II. Ejus uxor & ſoror (quod deinde Regibus Ægypti ſolenne erat) ISIS * ſerere & metere ſegetes, ma-



riti exemplo, docuit, ac marito foris bella gerente, ipſa domi leges pro bono publico tulit ac conſervavit, uſa tantiſper Mercurio conſiliario, Triſmegiſto illo & fabuloſorum librorum multorum confiĉto Autore, de quo agunt *Johannes Henricus Urſinus* [1], *Caſaubonus* [2]. Cæterum Iſis Regina poſt exceſſum in Sirii aſtrum relata, & *Anubis* vocata eſt. Virgilius [3]:

Omnigenûmque Deum monſtra & latrator Anubis.

Totam hiſtoriam prolixius refert *Diodorus Siculus* [4], & adde *Cœlium Calcagninum* [5], *Adrianum Junium* [6], *Johan. Ricciolum* [7]. De cultu Iſidis multa proponit *Tibullus* [8], unde excerpemus:

Quid tua nunc Iſis tibi Delia, quid mihi proſunt
Illa tuâ toties ara repulſa manu?

Æra ſunt ſiſtra. Apulejus [9]: *Dexterâ quidem ferebat æreum*

* Hanc equino cum capite inſignem ſervat nummus, cujus ectypum damus ex J. Gutherii *l.* 1. *de Jure Pontif. c.* 25.

(1) *Exercitationibus Zoroaſtreis & Hermeticis pag.* 73. (2) *Exercitat.* 1. *ad Baronii Annales ſect.* 10. (3) *lib.* VIII. *Æneid.* (4) *lib.* 1. *Biblioth. cap.* 50. (5) *de rebus Ægyptiacis pag.* 229. *Operum.* (6) *lib.* 1. *Animadverſ. cap.* 5. (7) *tom.* 1. *Almageſti novi part.* 408. (8) *lib.* 1. *Eleg.* 3. (9) *lib.* 11. *Mileſiar. pag.* 258.

æreum crepitaculum. Siſtrum notat, & ſubjicit, *reddebat argutum ſonorem.* Ærea non tantum, ſed quoque aurea & argentea erant. Meminerunt de ſiſtris *Ovidius* [1], *Virgilius* [2], *Lucanus* [3], *Statius* [4]. Tinniebant ſiſtris & perſonabant, quia nolis circumdati erant. Sequitur:

Quidve pie dum ſacra colis, pureque lavari
Te memini, & puro ſecubuiſſe thoro?

Lavabant & decem noctibus ſecubabant a maritis, ut eleganter deſcribit *Propertius* [5]. Vocabant *in caſto* vel *pervigilio ſecubare:* nec enim aliter rem divinam ſine piaculo facere poterant. Tunc mulieres ſacra nocturna in templo Iſidos peragebant, neque eo viris accedere licebat, ſaltem quod audaculi quidam veſte muliebri amicti irrumperent, & mulierum pudicitiam attentarent. Ovidius [6]:

Neu fuge Niliace Memphitica ſacra juvenca,
Multos illa facit, quod fuit ipſa Jovi.

& vide eundem [7]. De ſtupris in fano Iſidos admiſſis, conqueritur ſeculi ſui (quod in omne genus improbitatis proclive erat) Arriſtarchus *Juvenalis* [8]. Atque inde Martialis dixit [9]:

——— *Inachidos limina,* ———

nimirum, eo quo dixi ſenſu. Pergit:

Nunc Dea, nunc ſuccurre mihi, nam poſſe mederi,
Picta docet templis multa tabella tuis.

Pertinet ad incubationem, de quâ eſt *ſupra* [10], & quam teſtimonio ſuo firmat *Diodorus Siculus* [11]. Addit:

Et mea votivas perſolvens Delia noctes,
Ante ſacras lino tecta fores ſedeat. *

Lino veſtiebantur Sacerdotes Iſidis & quicunque ei ſupplicabant, caſtitatis inſigni, licet inceſti eſſent: quandoquidem linum è terrâ naſceretur, purâ illâ & hominum

* De hoc vide Heinſium *ad Ovid. 2. Amor. 13.*

(1) *lib.* III. *Amor. Eleg.* 8. & 9. *Metamorph.* (2) *lib.* VIII. *Æneid.* (3) *lib.* VIII. *Pharſal.* (4) *lib.* III. *Silv.* 2. (5) *lib.* II. *Eleg.* 23. (6) *lib.* I. *de Arte amandi.* (7) *lib.* I. *Amor. Eleg.* 8. *lib.* III. *Eleg.* 3. (8) *Sat.* 6. & 9. (9) *lib.* II. *Epigram.* 48. (10) *cap. hoc num.* 1. (11) *lib.* I. *cap.* 25.

num uſibus innocuis addicta, laneæ veſtes autem eſſent ab animantibus domeſticis, quæ nefas eſſet occidi, ut deinde etiam Pythagoras ſtatuebat. Apulejus [1]: *Sed enim mundiſſima lini ſeges inter optimas fruges terra exorta, non modo indutui & amictui ſanctiſſimis Ægyptiorum Sacerdotibus, ſed opertui quoque in rebus ſacris uſurpatur.* Philoſtratus [2], ὁ λινᾶς χιτὼν ὡς ὁ τῆ Ἴσιδι, & vide eundem [3]. Claudianus [4]:

——— *Sic numina Memphis*
In vulgus proferre ſolet, penetralibus exit
Effigies brevis illa quidem, ſed plurimus infra
Liniger impoſitâ ſuſpirans veſte Sacerdos
Teſtatur ſudore Deum. Nilotica ſiſtris
Ripa ſonat. ——— ———

Suetonius de Ottone Cæſare [5]: *Sacra etiam Iſidis ſæpe in lintea religioſaque veſte propalam celebraſſe.* Gratius [6]:

Vix operata ſuo ſacra ad Bubaſtia lino
Velatur ſonipes feſtivi turba Canopi.

Sonipedem turbam vocat a crepidis, quas Antiſtites illos geſtaviſſe, auctor eſt *Heliodorus* [7]. Tunicas lineas prolixas fuiſſe conſtat ex *Appiano* [8], ἐς τὰς ὀθόνας ἐνέδυ τὰς ποδήρεις. Martialis [9]:

Linigeri fugiunt calvi, ſiſtrataque turba.

Nam & Calvi erant, itaque *Apulejus* [10] ponit inter Sacerdotes Iſidos *ſenem calvum & cinædum*, *Martialis* [11] iterum:

Nunciat octavam Pharia ſua turba juvenca,
Atque pilata redit jamque ſubitque cohors.

Pilata, id eſt, depilata, ut *Petrus Scriverius* [12] monet. Pice depilabantur Calvi Iſidos, id eſt, vellebantur, quod πιτύειν vocant Græci. Quod vero *Farnabius* [13] exponit: *armata gladiis & cultris, quibus ſibi brachia & humeros ſauciabant*, ille ſenſus, inquam, non placet. Eſt porro: I *Biſ-*

(1) *in Apolog. p.* 310. (2) *in Epiſtolis.* (3) *in Vitâ Apollonii Thyanæi lib.* VIII. *cap* 3. (4) *Panegyr. in quartum Conſulatum Honorii.* (5) *cap.* 12. (6) *in Cynegetico.* (7) *in Æthiopicis.* (8) *lib.* IV. *Civil.* (9) *lib.* XII. *Epigr.* 29. (10) *lib.* VIII. *Mileſiar. pag.* 21. (11) *lib.* X. *Epigr.* 48. (12) *in Animadverſionibus.* (13) *pag.* 319. *notar. h. l.*

Biſque die reſoluta comas tibi dicere laudes,
Inſignis turbâ debeat in Phariâ.

Ut rite ſupplicarent, diſperſis crinibus ibant, lugentium more: *Bis* dicit, videlicet mane & veſperi, uti ex *Apulejo* & *Arnobio* declarat Scaliger[1]. *Dicere laudes* eſt ὑμνῳδεῖν. Et plangebant. Juvenalis[2]:

Ergo hic præcipuum ſummumque meretur honorem,
Qui grege linigero circumdatus & grege calvo
Plangentis populi currit deriſor Anubis.

Habes veſtes lineas, calvos præcones, plangentes ſubſequas, quæ omnia ſunt de cultu Apidis uti ille in Ægypto ſervabatur, & confer prolixe *Laurentium Pignorium*[3].

CAP. VI.

De Gentilium Theologia, quæ Literis Sacris continetur, digreſſio prior.

I. SUNT quædam hactenus dicta, ad quorum melio-
rem intellectum facere poſſint collationes uberiores Deorum peregrinorum. Magnus hic numerus eſt, ideoque recenſebimus eos tantum, qui in *Sacris* proponuntur. Occurrit primo locus Eſai.[4] *Qui contaminant ſe, & (deinde) luſtrant ſe (aqua ſumpta) in lucis poſt* ACHAD *palam.* Ebræum אחד appellative ceperunt *Munſterus*, *Caſtallio*, *Tigurini*, *Pagninus*, *Arias Montanus*, *Tremellius*, *Vatablus*, *Piſcator*, & non uno ſenſu per expletionem addito explicare tentant. Sed eſt nomen proprium Idoli, & quidem Solis, quem Aſſyrii vocabant *Unum*, quomodo Latini eundem appellant, quia *ſolus* & unus in ſuo genere eſt, nec quicquam ſimile habet. *Philo Byblius* ex Sanchuniathone: Ἄδωδις, βασιλεὺς θεῶν. Et Macrobius[5]: *Soli quem Deum ſummum venerantur Aſſyrii, nomen* Adad *dederunt.* Uti enim Hebræi אחד dicunt, ita Syri omiſſa forti aſpirata, & poſtremâ lite-

(1) *in Notis pag.* 111. (2) *Sat.* 6. (3) *Explicationibus ad Menſam Iſiacam.* (4) LXVI. 17. (5) *lib.* 1. *Saturnal. cap.* 21.

literâ geminatâ, dixerunt אדר. Scaliger [1]: *Adad legi olim Solem dictum Perſarum linguâ.*

II. APIS vitulus ab Hebræis in deſerto cultus, *Exod.* [2] eundemque deſertores Hebræi cum Rege Jerobeamo coluerunt, 1. *Reg.* [3] 2. *Chronic.* [4] Græcus liber *Tobiæ* [5]: ἔθυον τῇ Βάαλ τῇ δαμάλει, *ſacrificaverunt Bahali juvencæ.* Genere fœminino, uti in ſimili negocio לעגלות juvencæ Bethaven ſunt *Oſeæ* [6]. Vide *Commentaria Riveti* [7]. Nec aliter Sulpicius Severus [8]: *Vaccam auream in Bethel, alteram in Dan conſtituit, quibus litaret populus.* Nimirum עגלות ſunt δαμάλεις, uti eſt *in Sixtina editione & Vatabli notis*, pro quo *Complutenſis* habet, Βάαλ τῇ δωάμει, quæ vero lectio citra dubium vitioſa eſt, neque debuiſſet eam alteri præferre *Franciſcus Junius.* Eſt enim correctio a manu recentiori, de quo vide *Nicol. Fullerum* [9]. Cultus Oſiridis in bove ſingulari celebris erat apud Ægyptios, & vocabant *Apim*, *Plinius* [10], *Herodotus* [11], *Ælianus* [12], *Ammianus Marcellinus* [13], *Johannes Seldenus* [14].

III. ASTAROTH & Aſtarthe *Judic.* [15] 1. *Sam.* [16] 1. *Reg.* [17] Syrorum appellationes variant paulum, qui vocant *Atergatim* & *Derceto*, *Ovidius* [18], *Plinius* [19]. Quod enim *Suidas* [20] monet, *Aſtarthe nomen ab aſtro fecerunt, ipſi enim Luciferum eſſe fabulantur*, fabuloſum eſt. Venerem Græcorum eſſe, ajunt *Cicero* [21], *Cœlius Rhodiginus* [22], *Floridus Sabinus* [23], *Philip. Cluverius* [24], *Dionyſius Gothofredus* [25], *Caſpar Sanctius* [26]. Eſſe Lunam ſive Dianam, arbitram noctis, putant *Lucianus* [27], *Voſſius* [28], *Maſius*

(1) *Exercit.* 153. *ſect.* 4. (2) XXXII. 4. (3) XII. 28. (4) XI. 15. (5) *cap.* 1. 5. (6) X. 5. (7) *pag.* 321. (8) *lib.* 1. *Hiſt. ſacræ cap.* 72. (9) *lib.* II. *Miſcellan. cap.* 7. (10) *lib.* VIII. *cap.* 46. (11) *in Thaliâ.* (12) *lib.* IV. *Hiſtor. Variar. cap.* 8. (13) *lib.* XXI. *Hiſtor.* (14) *de Diis Syrorum ſyntagm.* 1. *cap.* 5. (15) II. 13. *cap.* X. 6. (16) VII. 34. *cap.* XII. 10. *cap.* XXXI. (17) XI. 5. 33. (18) *lib.* IV. *Metamorph. & lib.* IV. *Faſtor.* (19) *lib.* V. *cap.* 23. (20) *in Lexico pag.* 458. (21) *lib.* III. *de Nat. Deor.* (22) *lib.* XXIII. *Antiq. Lect. cap.* 3. (23) *lib.* V. *Lection. ſucciſivarum cap.* 7. (24) *lib.* 1. *Gèrmaniæ antiquæ cap.* 27. (25) *Notatis ad Varronem p.* 1586. (26) *Commentar. ad lib.* 1. *Regum c.* XI. *pag.* 1146. (27) *de Deâ Syriâ.* (28) *lib.* II. *de Idololatria cap.* 21.

ſius[1], *Fullerus*[2], & ante omnes hos *Auguſtinus*[3]. Scilicet eſt Dea illa, quam *Florus*[4], *Suetonius*[5], & *Inſcriptiones* Italicæ apud *Gruterum*[6], *P. Appianus*[7], vocant *Deam Syriæ*. Confer *Salmaſium*[8], *Petrum Fabrum*[9], *Johan. Seldenum*[10].

IV. BAAL multis locis, & contracte BEL, quod eſt *in Additamentis Danielis*[11], ſed nomine perfecto בעל־שמן quod eſt Græcorum Ζεὺς Ὀλύμπιος: *Maccab.*[12] Sic vocabatur a Phœnicibus Sol Deorum maximus, ut ſcribit *Auguſtinus*[13]. Βῆλον vertunt Græci, uti refert *Strabo*[14], atque inde *Belus* apud Latinos, de Beli hujus cultu eſt locus inſignis Claudiani[15]:

Thuris odorati cumulis & meſſe Sabea
Pacem conciliant aræ, penetralibus ignem
Sacratum rapuere adytis, rituque juvencos
Chaldæo ſtravere Magi. Rex ipſe micantem
Inclinat dextra pateram, ſecretaque Beli,
Et vaga teſtatur volventem ſidera Mithram.

Nam quod ibi olim legebatur, *ſecretaque belli*, corruptum eſt, adeoque bene mutavit *Joſ. Scaliger*[16], & ſequitur *Caſp. Barthius*[17]. Simili modo corruptus eſt locus apud *Curtium*[18], ubi vulgo legitur, *eminebant duo aurea ſimulachra cubitalia, quorum alterum in alterum belli gerebat effigiem*. Ita *Modius*, nec quicquam mutat *Raderus*[19], cum tamen eum latere non poſſet *Joſephi Scaligeri* palmaria correctio, *quorum alterum Nini alterum Beli gerebant effigiem*. Sequuntur *Nicolaus Blancardus*[20], *Loccenius*[21]. Per Ninum Aſſyriæ, per Belum Babyloniæ imperium conjunctum innuebant, utriusque primus conditor Nimrodus fuerat, de quo eſt Geneſ.[22] *Fuit principium*

(1) *Commentario ad cap.* XII. *Joſuæ.* (2) *lib.* I. *Miſcellan. cap.* 13. (3) *Quæſt.* 16. *ad libr. Judic.* (4) *lib.* III. *cap.* 19. (5) *lib.* VI. *cap.* 56. (6) *in Volumine pag.* 86. (7) *in Collectaneis pag.* 243. (8) *Exercitat. ad Solinum pag.* 574. (9) *lib.* III. *Semeſtrium cap.* 1. 2. 3. (10) *de Diis Syris ſyntagm.* 2. *cap.* 2. (11) *cap.* XIV. 2. (12) VI. 2. (13) *l. d.* (14) *lib.* XVI. *Geograph.* (15) *lib.* I. *de Laudibus Stilicon.* (16) *lib.* VI. *de Emendat. Temp.* (17) *Animadverſ. ad Claudianum pag.* 196. (18) *lib.* III. *cap.* 3. (19) *in Notatis pag.* 37. (20) *in Annotatis pag.* 151. 152. (21) *in Emendationibus pag.* 340. (22) X. 10.

cipium regni ejus Babel. Et [1]: *De terra hac egreſſus in Aſſyriam condidit Niniven.* Sic enim poſtrema hæc verba debent verti cum *Paraphraſta Chaldæo*, uti recte monent *Janus Druſius* [2], *Paræus* [3], *Gerhardus* [4], *Samuel Bochartus* [5]. De quo plura alibi. *Belenum* appellaverunt Germani veteres apud *Capitolinum* [6], *Herodianum* [7], *Auſonium* [8], *Tertullianum* [9], & meminerunt *Gruterus* [10], è marmoribus Aquilejenſibus [11], *Elias Vinetus* [12], *Petrus Pithœus* [13]. Scribit Philaſtrius [14]: *Judæi ſuo nomine Bahalis adoraverunt Balaamum ariolum Meſopotamenum, de quo eſt Numer.* [15] Imperitiſſime! Cultus Solis univerſum Orbem pervaſit, quod ſiderum præſtantiſſimus oculos hominum præ aliis in ſe converteret. Numinis hujus ſacris initiatus fuit Cæſar ille, quem *Alagabalum* vocant *Inſcriptiones* apud *Petrum Appianum* [16], *Grunterum* [17], videlicet dialecto Syrienſi: Ἡλιογάβαλον appellant *Herodianus*, *Xiphilinus*, *Capitolinus*, *Lampridius*, Græcâ inflexione, uti diximus *in Auctariis ad Pappi epitomen* [18], & vide plura apud *Johan. Seldenum* [19]. Cognomina multa ſortitur in *Sacris*. Eſt ibi *Baal Peor. Numer.* [20] de quo Scaliger [21]: *Erat* בעל־שאמן Ζεὺς ὑψιστος, בעל־ראם *erat* Ζεὺς βροντῶν, *Jupiter tonans, quem nomine ridiculo Scriptura vocat* בעל־פעור *quod eſt* Ζεὺς πηδῶν *Jupiter crepans.* Vicinum hoc eſt illi, quod *Rabbini* docent, cultum exhibitum Idolo, detractis caligis, מוציאין רעי ſtercus egerendo, *Salomon Jarchi* [22], *Maimonides* [23]. *Eos nugari*, vere ait *Dionyſius Voſſius* [24], adeoque vera eſt

(1) *verſ.* 11. (2) *Obſervationibus ad Geneſ. cap.* XXVII. (3) *in Commentario ad h. l. pag.* 870. (4) *Commentario ibidem pag.* 257. (5) *in Geographia ſacra part.* 1. *lib.* IV. *cap.* 12. (6) *in Maximinis.* (7) *lib.* VII. *Hiſtor.* (8) *Carm.* 4. & 10. (9) *in Apologetico cap.* 24. (10) *in Inſcriptionibus Orbis.* (11) *pag.* 36. (12) *Commentariis ad Auſonium num. marg.* 145. (13) *lib.* 1. *Adverſar. cap* 4. (14) *in Catalogo hæreticorum cap.* 25. (15) XXII. 6. (16) *in Collectaneis pag.* 249. (17) *in Volumine pag.* 313. (18) *pag.* 118. (19) *Syntagm.* 2. *de Diis Syrorum cap.* 1. (20) XXV. 3. 5. (21) *Elencho Tribæreſii pag.* 18. (22) *Notis ad h. l.* (23) *de Idololatriâ cap.* 3. *ſect.* 2. (24) *Notis ad Maimonidem pag.* 37.

ſententia *Theodoreti* [1], nomen habere a loco, in quo cumprimis venerationi erat poſito illi fano. *Phegor* eſt nomen tractus montani in campis Moabiticis, *Numer.* [2] *Deut.* [3] Ita *Jupiter Capitolinus*, *Muſæ Heliconiades*, & plurima alia. Qui hunc Priapum eſſe contendunt cum *Hieronymo* [4], *Iſidoro* [5], nimis a vero diſcedunt, quoniam vetuſta illa tempora Deos hujusmodi prorſum contemptos necdum habebant: ſed colendis Aſtris unice inhærebant Gentes in Oriente, *Deut.* [6] Græculorum inventa & Romanorum deſipiens ſuperſtitionum multitudo longo poſt tempore demum obtinuerunt. Secundus eſt *Baal Berith. Judic.* [7] Hic eſt Græcorum Ζεὺς ὅρκιος, (de quo meminit *Sophocles* [8]) & templum habuit in monte Gebal, quod deinde occupaverunt Cuthæi. Tertius eſt *Baal Zebub. 2. Reg.* [9] *Matth.* [10] *Scaliger* [11] cenſet, nomen eſſe fictum per χλεασμὸν, verum nomen eſſe בעל-זבחים id eſt, *Deus victimarum*, quod Judæi per contemptum mutaverint, quomodo ex בית-אל *Domus Dei* fecerunt iidem בית-און *domus vanitatis*, Hoſeæ [12]. Nempe locus qui a viſione Jacobi & lapide ibidem conſecrato ſpeciem aliquam religionis, habebat, ille poſtquam Rex Jerobeamus ibi Vitulum depoſuerat, indignus priori nomine habitus, nomenque alterum ei datum eſt, *Bethaven*, uti patet *Joſuæ* [13], 1. *Sam.* [14] Hæc ille. Nec multum ab eo diverſus eſt *Grotius* [15]. Verum obſtat, quod Achaſias Rex ita appellat, nec enim credibile eſt, eum cognomine vitioſo uti voluiſſe, qui Numinis opem rogabat. Nihil certius eſt, ac quod Phœnices coluerunt eum depulſorem muſcarum, a quibus agri vaſtabantur. Tale quid reperitur in aliis Gentilium ſacris. Plinius [16]: *Invocant Cyrenaici Achorem Deum muſcarum multitudine peſti-*

[1] *Commentario ad Pſalm.* CVI. 28. [2] XXIII. 28. [3] XXXIV. 5. 6. [4] *Commentar. ad cap.* IX. *Hoſeæ.* [5] *lib.* VIII. *Origin. cap.* 11. [6] IV. 16. [7] VIII. 33. [8] *in Philoctete.* [9] I. 2. 3. [10] X. 25. *cap.* XII. 24. [11] *Appendice ad libros de Emendat. Tempor. pag.* 24. 25. [12] IV. 15. *cap.* X. 5. [13] *cap.* VII. 2. *cap.* VIII. 12. [14] XIII. 5. *cap.* XIV. 23. [15] *in Annotatis Euangelicis pag.* 203. 204. [16] *lib.* X. *cap.* 28.

peſtilentiam adferente, quæ protinus intereunt quâ litatum eſt illi die. Nec falletur admodum, qui *Achorem* Deum corrupto poſt ſecula plurima nomine putabit eſſe Deum *Accaron.* Plane enim credibile eſt, Phœnices hunc cultum in Cyrenaicam attuliſſe, quod notum ſit pleraque Africæ citerioris loca fuiſſe Phœnicum colonias, & celeberrimam omnium Carthaginem. Solebant Gentiles nomina ſua imponere Idolis ab inſecti genere, quod fugare poſſe credebantur. Hercules κονωπίων apud Trachinios qui culices pellebat, Hercules ἰπνοπόνος convolvulorum depulſor, ne vites roderent, *Euſtathius* [1], & ex illo *Lilius Gyraldus* [2]. Sic Apollo Σμινθεὺς qui mures ſegetum depopulatores fugabat: Jupiter Ἀπομυῖος & μυίαγρος apud Elienſes & Arcades, quod tradunt *Plinius* [3], *Pauſanias* [4], *Ovidius* [5], & ex illis *Lilius Gyraldus* [6], *Johannes Seldenus* [7], *Caſaubonus* [8], *Philippus Beroaldus* [9], *Elmenhorſtius* [10], *Johannes Camers.* [11] Μυιώδης muſcarum abactor ibidem eſt, & *Muthumbal* eadem ſignificatione, voce Punicâ, feſtiviſſimus *Plautus* dixit [12]. Ergo בעל-זבוב eſt Ζεὺς Ἀπομυαῖος, pro quo Judæi in *Novo Teſt.* dixerunt בעל-זבול id eſt, Ζεὺς κοπρίτης, Jupiter ſterculinus. Nam & Idola *in Prophetarum libris* vocantur *ſtercora*, Janus Druſius [13].

V. CHAMOS, *Numer.* [14], *Judic.* [15], 1. *Reg.* [16]. Deus Moabitarum, quem fuiſſe Bacchum, Græcorum κῶμον, Deum temulentiæ, ſcribunt *Forſterus* [17], *Voſſius* [18], *Tholoſanus* [19]. Obſtat vero quod κῶμος ſit Græcorum multo recentius figmentum, ideoque nec Orientis Gentibus nec vetuſtis temporibus congruit. Saturnus erat,

[1] *Scholiis ad Iliada pag.* 34. [2] *in Syntagmatis Deorum ſect.* 10. *pag.* 318. [3] *lib.* XXIX. *cap.* 6. [4] *lib.* V. & VIII. [5] *lib.* XII. *Metamorphoſ.* [6] *l. d. ſect.* 1. *pag.* 45. *ſect.* 2. *pag.* 91. [7] *Syntagm.* 2. *de Diis Syris cap.* 6. [8] *Animadverſ. ad Athenæum pag.* 18. [9] *in Annotatis variis pag.* 319. 320. [10] *Notis ad Arnobium pag.* 125. [11] *Commentariis ad Solinum pag.* 7. [12] *in Pœnulo Act.* 5. *ſc.* 2. [13] *Commentario ad voces Ebraicas Novi Teſtam. cap.* 11. [14] XXI. 29. [15] XI. 24. [16] XI. 7. 33. [17] *in Lexico.* [18] *lib.* II. *de Idololatria cap.* 8. [19] *in Syntagmate Juris univerſi lib.* XXIX. *cap.* 12.

is quem *Moloch* vocarunt vicini horum Ammonitæ & Cananæi, hoc inde colligo, quod humanas victimas obtulerunt, more Phœnicum in Molochi cultu. Locus est 2 Reg.[1]. *Accepit Rex Mesa filium ejus primogenitum, & obtulit illum holocaustum super muro. Ejus*, id est, Regis Edom, de quo proxime antecesserat mentio. Hunc in eruptione quadam arreptum hactenus captivum habuerat. Ita *Tremellius*[2], eumque juvat locus manifestus *Amos*[3]. Nam qui de proprio Mesæ filio a patre victimæ loco occiso exponunt cum *Vatablo*, *Castalione*, *Grotio*[4], aberrant.

VI. CHIUN, *Amos*[5], quod *Tremellius*, *Pagninus*, *Castalio* appellative capiunt, sed *Arias Montanus*, *Chaldæus Paraphrastes*, *Lutherus* uti proprium nomen retinent. Et *Arias* quidem cum *Aben-Esdrâ* & *Samuele Petito*[6], exponit de Saturno, qui Phœnicibus Moloch erat, sed Persis & Arabibus vocabatur כיון & כיואן / Chaldæis נסרות 2. *Reg.*[7] Syris denique רמון 2. *Reg.*[8], unde Alexandrini acceperunt suum Ῥαμφᾶ, quod *in Actis Apostolicis*[9], est Ῥέμφαν : Ῥεφὰν legunt *Syrus* & *Arabs*. Nobiscum docent *Ludovicus de Dieu*[10], *Janus Drusius*[11]. Lunam esse perhibet *Vossius*[12]. Alia conjectura est Victorini Strigelii[13] : *Cum quasi κύων, id est, Syrii stella velut numen culta apud Ægyptios pro felici inundatione terræ, quoniam ad Syrii ortum incipit Nilus ebullire*. Sed Phœnicum Theologia hoc non permittit.

VII. DAGON, *Judic.*[14] 1. *Maccab.*[15] Origo nominis est a דג *piscis*, eratque Nereidum Princeps aliquis, sive ille Triton esset, quod probant *Arias*, *Tremellius*, *Scholiasta Batavi*[16], sive Derceto, id est, Venus marina,

(1) III. 27. (2) *in Notis.* (3) II. 1. (4) *in Notis.* (5) v. 26. (6) *lib.* II. *Miscellan. cap.* 2. (7) XIX. 37. (8) v. 18. (9) *cap.* VII. 43. (10) *Animadvers. ad Acta pag.* 69. (11) *Commentario ad vo-ces Ebraicas cap.* 26. (12) *lib.* II. *de Idololatriâ cap.* 23. (13) *pag.* 369 *Hypomnem. in Novum Testam.* (14) XVI. 23. (15) X. 83. 84. (16) *ad h. l.*

na, quod malunt *Scaliger* [1], *Serarius* [2], *Sanctius* [3], *Seldenus* [4], ſive etiam Neptunus, uti vult *Stuckius* [5]. Quod poſtremum equidem veriſſimum eſt, cum Gentes illæ navicullariæ & mercimoniis plurimum addictæ per mare ampliſſimum excurrerint, itaque maris Deum adſciverunt rerum gerendarum Patronum, qui Neptunus erat. Nam Triton minoris gloriæ fuit: Venus amorum conciliatrix ad præſens negocium vix pertinet.

VIII. DIANA, 2 *Maccab.* [6], ubi eſt ναναία, & eodem pertinet dives templum, quod Antiochus Magnus ſpoliare volebat, 1. *Maccab.* [7]. *Deam Anæam* vocat *Strabo* [8], ſed corrupte, Ἀρτεμίδα vocat *Polybius* (apud *Joſephum* [9], idque verum nomen Dianæ eſt, quia lucis & nemoribus præerat. *Venus Elymæa* eſt in *Appiano* [10].

IX. HERCULES, 2. *Maccab.* [11]. Nomen eſt Phœnicium, *illuſtrator omnium*, אור־כל / eratque inter eos celebris Hercules Tyrius, a quo plurima facta acceperunt Græci, & fabulis ſuis permiſcuerunt, obiitque apud hos magnus ille Orbis φωσφόρος uti docuimus *ſupra* [12]. Vocabant alias *Melicartum*, quod eſt מלך־קרתא *urbis præfectus*. Nec non Ἄζιζον, uti apud *Julianum Cæſarem* [13]. Hinc exponas illud, *colet Deum ſuum* מעזים / *Daniel* [14]. *Seldenus* [15] occurrit: *hunc Deum prætermiſimus, uti plane ignotum*. Atqui non ita ignotus eſt. De Antiocho Epiphane ſonat, qui Ἄζιζον, id eſt, Herculem Phœnicium novo ritu & majoribus ſuis ignoto veneraturus erat. Quod enim Herculi impenſe faveri, patet, quia præſens vidit ludos Herculis Tyri celebratos, 2. *Maccab.* [16].

X. NEGO, *Daniel.* [17], qui idem eſt NERGAL. 2. *Reg.* [18]. Eſt ignis pervigil apud Chaldæos ex inſtitu-

(1) *Notis ad Varronem pag.* 25. (2) *Commentario ad cap.* 16. *Judic. quæſt.* 23. (3) *Commentario ad* 1. *Samuel* v. *pag.* 113. (4) *de Diis Syris lib.* II. *cap.* 3. (5) *de Sacris & Sacrificiis Gentilium pag.* 25. (6) I. 14. (7) VI. 1. 2. (8) *lib.* XVI. *Geograph.* (9) *lib.* XII. *cap.* 13. (10) *Syriacis.* (11) IV. 19. 20. (12) *cap.* III. *diſt.* 2. (13) *in Hymnis pag.* 34. (14) XI. 38. (15) *Syntagm.* 2. *de Diis Syris cap.* 16. (16) IV. 19. 20. (17) I. 7. (18) XVII. 32.

to antiquiſſimo ſummo loco habitus, unde eſt nomen urbis אור in Chaldæâ, *Geneſ.* [1], *Nehem.* [2], eadem *Orchoë* apud *Ptolomæum* [3]. Inter varias Chaldæorum diſciplinas recenſet Plinius [4]. *Orchoënam* dictam, quæ ignis pervigilis cultum præſcribebat. Ignem illum ſacrum *Orimaſda* vocant *Plutarchus* [5], *Agathias* [6], quod eſt אור־שמש. Pro ſymbolo Aſtrorum, quæ ignea eſſe credebant Veteres, & horum eminentiſſimi, SOLIS, ignes iſtos conſtruebant. A Chaldæis acceperunt Perſæ, quorum πυρφορεῖα & adjunctam aram, ἐν ᾧ πολλὴ τε σποδὸς καὶ πῦρ ἄσβεστον φυλάττουσιν οἱ Μάγοι. memorant *Juſtinus* [7], *Curtius* [8], *Strabo* [9], *Procopius* [10], *Theodoretus* [11]. Et permanſerunt in Populis illis uſque ad tempora Saracenorum, quando horum Lunulis ſuccubuerunt, qui hactenus Romanas Aquilas propulerant. Itaque de illis *Muſtadinus Sadi* [12] canit:

O benefice, qui, ex theſauro recondito
Ignicolis & ſimulacrorum cultoribus alimenta præbes,
Amicos quomodo deſeras
Tu qui hoſtium curam geris?

Ignicolas vocat Saracenus eos qui hactenus τὰ πυρεῖα in honorem Solis foverant. In *Literis Sacris* dicuntur חמנים / *Levitic.* [13], quod *Arias* vertit, *ſimulacra Solis*, *Tremellius* & *Piſcator* reddunt, *ſubdiales ſtatuas*, id eſt, quæ Soli expoſitæ colorem aduſtum habent, uti *Junius* [14] declarat. Optime *Rabbinus Beckai* exponit de locis, ubi Solem colebant ignibus ſacris conſtructis: nec enim tam ſimulacra, quam loca fuiſſe conſtat ex *Eſai.* [15], *Ezechiel.* [16]. Loca videlicet, quæ πυρφορεῖα vocat *Strabo*, πυρεῖα *Procopius*, & vide *ſupra* [17]. His autoribus pervaſit Aſiam minorem, Africam, Europam. Apud Phryges in uſu erat. Virgilius [18]:

Vos

[1] XI. 28. [2] IX. 7. [3] *in Tabulis.* [4] *lib.* VI. *Hiſtor. Natur.* [5] *Artaxerxe & Alexandro.* [6] *lib.* II. *Hiſtor.* [7] *lib.* X. *Hiſtor.* [8] *lib.* III. *&* IV. [9] *lib.* XV. *Geogr.* [10] *lib.* I. *Perſicor.* [11] *lib.* V. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* 29. [12] *in Roſario (ſive Guleſtan.) pag.* 3. [13] XXVI. 30. [14] *in Notis.* [15] XVII. 8. [16] VI. 4. [17] *cap.* I. *num.* 13. [18] *lib.* II. *Æneid.*

Vos æterni ignes, & non violabile veſtrum,
Teſtor numen. —— ——

Et [1]:

—— —— *Priamumque per aras*
Sanguine fœdantem, quos ipſe ſacraverat ignes.

Et [2]:

Pergameumque larem, & canæ penetralia Veſtæ.

Ab iiſdem Æneas Princeps [3]:

—— *Manibus vittam, Veſtamque potentem*
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Sic in Latium venit. Albani & Romani habuerunt ſub nomine Veſtæ. Vellejus [4]: *Jupiter Capitoline: Gradive Mars, perpetuorumque cuſtos Veſta ignium, vos publicâ voce obteſtor.* Juvenalis:

Ignem Trojanum & Veſtam colit Alba minorem.

Silius Italicus [5]:

Et vos virginiâ lucentes ſemper in arâ
Laomedontææ Trojana altaria flammæ.

Lucanus [6]:

Dii cinerum, Phrygias colitis quicunque ruinas
Æneaque mei, quos nunc Lavinia ſedes
Servat & Alba lares, & quorum lucet in aris
Ignis adhuc Phrygius. —— ——

Florus [7] de Numâ: *Imprimis focum Veſtæ Virginibus colendum dedit, ut ad ſimulacrum cœleſtium ſiderum cuſtos Imperii flamma vigilaret.* Apud hos vero non ardebat in aris, ſed aſſervabatur vaſis fictilibus in fornicibus templi ſuſpenſis, uti dicemus *infra* [8], & adde *Ovidium* [9], *Valerium Maximum* [10], Ægyptii, Ammonii, Græcorum nonnulli ἐν πυτιανείοις, Syracuſani, Tarentini, Corinthii, Rhodii, Mileſii, Tenedii, Argivi, Siphnii, Thaſii, Ereſii, Mitylenæi, Cyziceni, Elei, Naxii, Epheſii, Naucratitæ, Afri, Sarmatæ foverunt ignes eoſdem, uti notant *Diodorus Siculus*, *Plutarchus*, *Pau-*

[1] *ibid.* [2] *lib.* v. *Æneid.* [3] *lib.* II. *Æneid.* [4] *lib.* II. *Hiſtor.* [5] *lib.* I. *de bello Punico.* [6] *lib.* IX. *Pharſal.* [7] *lib.* I. *cap.* 2. [8] *cap.* XII. *num.* 4. [9] *lib.* VI. *Faſtor.* [10] *lib.* V. *c.* 4. *diſt.* 6.

Pausanias, *Athenæus*, *Tertullianus*, *Cœlius Rhodiginus*[1], *Johan. Leo*[2], *Michovius*[3], *Theophilus Spizelius*[4], *Johan. Seldenus*[5], *Casaubonus*[6]. Nocte illâ qua Mahomedes natus est, ignis sacer apud Persas extinctus locis plurimis omen fecit, de futurâ sorte Doctoris ejus, itaque Musulmanos gloriari admodum super miraculo isto, scribit *Leunclavius*[7]. Constat quod Heraclius Imperator expeditione adversus Persarum Regem Cosroëm susceptâ progressus magnos fecerit, & multas urbes occupatas ab impio Ignis cultu revocaverit. *Suidas* ὁ δὲ Ἡράκλειος πάσας τε πόλεις καὶ τὰ πυρεῖα διέφθειρε τῶν Περσῶν, & confer *Cassiodorum*[8]. Ergo factum est militum piorum, unde Mahomedi nihil gloriæ accedit, qui circa tempora illa natus est. Demum Homar Saracenus domitâ Persiâ cultum Ignis sustulit omnino, postquam duraverat in Gentibus illis quatuor mille annis, ut monet *Georgius Gentius*[9].

XI. MOLOCH & MILCOM, *Levitic.*[10] *Deuter.*[11] *Amos.*[12] Erat Saturnus, ut recte notant *Mornæus*[13], *Drusius*[14], *Johan. Seldenus*[15]. Nam qui vel Mercurium (ut *Arias Montanus*[16]) vel Priapum (ut *Antonius Fonseca* & *Oleastrius*[17]) vel Solem (ut *Johan. Cocchius*[18], *Dionysius Vossius*[19]) exponunt, illos maxime ratio fugit. E *Sanchuniathone* antiquissimo Phœnicum Historico narrat *Philo Byblius*, morem fuisse Gentibus illis, cum maximæ calamitates, belli, famis, pestis, metuerentur, ut Reges filium, quem præ cæteris diligerent, pro sacrificio mactarent ad placandam Numinis iram. Saturnum isto cultu venerabantur, uti docent *Sophocles*[20], *Herodotus*

(1) *lib.* XV. (2) *lib.* I. *Descript. Africæ pag.* 59. (3) *lib.* IV. *Descript. Sarmatiæ cap.* 45. (4) *Examine Relationis Montezinianæ pag.* 88. (5) *Syntagm.* 2. *de Diis Syriis cap* 8. (6) *in Animadversis ad Athenæum lib.* XV. *pag.* 992. (7) *lib.* I. *Hist. Muhammed.* (8) *lib.* X. *Historiæ Tripartitæ cap.* 20. (9) *ad Rosarium pag.* 533. (10) XVIII. 21. (11) XVIII. 10. (12) V. 26. (13) *de Verit. Relig. Christ. cap.* 23. (14) *in Præteritis ad Novum Testam. pag.* 171. (15) *Syntagm.* I. *de Diis Syrorum cap.* 6. (16) *Commentar. ad Judic.* XI. *& Amos* I. (17) *ad Levit.* XX. (18) *Notis ad Sanhedrim pag.* 63. (19) *Notis ad Maimonidem pag.* 78. (20) *in Andromedâ.*

dotus[1], *Lactantius*[2]. Digna ſunt verba *Curtii*[3], quæ hîc legantur: *Tyrii ſacrum quod equidem Diis minime cordi eſſe crediderim, multis ſeculis intermiſſum repetere cogitabant, ut puer ingenuus Saturno immolaretur, quod ſacrilegium verius quam ſacrum Carthaginenſes a conditoribus traditum, uſque ad excidium urbis ſuæ feciſſe dicuntur, ac niſi ſeniores obſtitiſſent, quorum conſilio agebantur cuncta, humanitatem dira ſuperſtitio viciſſet.* De Carthaginenſibus, quos Tyrii Phœnicum clariſſimi condiderunt, *Juſtinus* narrat[4]: *Cum inter cætera mala etiam peſte laborarent; cruentâ ſacrorum religione & ſcelere pro remedio uſi ſunt. Quippe homines ut victimas immolabant, & impuberes (quæ ætas etiam hoſtium miſericordiam provocat) aris admovebant, pacem Deorum ſanguine eorum poſcentes, pro quorum vitâ rogari maxime Dii ſolent. Averſa ſunt tanto ſcelere numina.* Ennius[5]:

Et Poinei ſolitei ſos ſacruficare puellos.

Silius Italicus[6]:

Mos fuit in populis quos condidit advena Dido,
Poſcere cæde Deos veniam, ac flagrantibus aris,
Infandum dictu, parvos imponere natos.

Erat igitur Saturnus, qui victimas humanas capiebat: ſtatua ejus ænea brachiis protenſis amplectebatur infantes primum, deinde excuſſos in ignem devolvebat; ne vagitus audiretur, perſtrepebant Sacerdotes undique tubis & tympanis, *Diodorus Siculus*[7], *Plutarchus*[8]. Diram ſuperſtitionem Phœnices excogitaverunt primi; quorum Rex ΙΛΩ, qui poſt mortem in Saturni ſidus conſecratus eſt, (itaque Ilum de Saturno Deo invenias quoque apud *Plautum*[9]) hoſtilibus vicinorum armis oppreſſus fere, filium ſuum unicum regiâ ſtolâ indutum, aris impoſuit, ſacrificiis Dii placati averterunt cladem, hoſtesque prælio inferiores abierunt: ejus ſucceſſores in ſimili periculo, eidem Regi inter Deos relato filios ſuos per

(1) *lib.* VII. (2) *lib.* I. *cap.* 31. (3) *lib.* IV. *Hiſtor.* (4) *lib.* XVIII. *Hiſtor.* (5) *lib.* VII. *Annal.* (6) *lib.* 4. *de Bello Punico.* (7) *lib.* XX. (8) περὶ Δεισιδαιμονίας. (9) *in Pœnulo.*

per vivicomburium immolaverunt. Scribit *Porphyrius*[1], plenam victimarum talium fuiſſe Hiſtoriam *Sanchuniathonis*. Dicitur ergo Saturnus *comediſſe filios ſuos in Græcorum fabula*; nimirum quod eos ipſe immolaviſſet. Imitabantur Hebræi deſertores in Tophet & Benhinnom, 2. *Reg.*[2] 2. *Chron.*[3] *Pſalm.*[4] *Jerem.*[5] *Ezechiel.*[6] *Zephan.*[7] & Cuthæi advenæ ab Aſſyriis in religione Adramelech, 2. *Reg.*[8]. Recentiores Hiſpanorum navigationes ejusmodi ſtatuas Saturni pro immolandis pueris invenerunt in Mechoacanâ & aliis Indiæ Occidentalis provinciis, quæ Africam ſpectant, teſte *Franciſco Mendozâ*[9]. Et *Benjamin Tudelenſis* in quadam Maris rubri Inſulâ Chenaragâ vidit pueros uſtulatos inter tympanorum & tubarum ſtrepitus, quod ipſe narrat[10], & adde[11], *L'empereur*[12]. Quæ ſacrilega ſacra a Pœnis & Tyriis provenerunt, qui maria illa ſoli fere navigaverunt olim. Cretenſes Phœnicum coloniæ τὸ Κρόνου ἐν ταῖς τεκνοφονίαις ἐθρήσκευον, dicente *Athenagora*. Hæc de filiis exuſtis, cæterum (quando calamitas publica nulla erat) luſtrabant tantum, id eſt, inter duos ignes medios ducebant pedibus nudis in honorem Molochi, *Deut.*[13] 2. *Reg.*[14] Græci vocabant φοιβάζειν, & Tyrrheni in Italia, quod ab Oriente veniſſent, adhibebant februationes iſtas, ut monet *Daniel Heinſius*[15].

XII. MELECHET, *Jerem.*[16]. De Sole exponunt *Vatablus*[17], *Crellius*[18]. Rectius de Luna interpretantur *Grotius*[19], *Serarius*[20], *Torniellus*[21], *Conradus Rittershuſius*[22]. Probat contextus. Mulieres depſunt, molam parant, conficiunt placentas ſive liba, ut offerant Numini. Pari modo Græci & Aſiani collyras mulierum ope factas

(1) *lib.* II. *de Abſtinent. animal.* (2) XVI. 3. *cap.* XXI. 6. *cap.* XXIII. 10. 13. (3) XXVIII. 3. (4) CVI. 37. 38. (5) VII. 31. 32. *cap.* XIX. 5. 11. (6) XLIII. 7. 9. (7) I. 5. (8) XVII. 31. (9) *in Itinerario.* (10) *in* מצאגות *pag.* 108. (11) *Commentariis.* (12) *pag.* 214. (13) XVIII. 10. (14) XVI. 3. *cap.* XXI. 6. (15) *in Ariſtarcho ſacro ad Nonni paraphraſin. cap.* 24. (16) VII. 18. *cap.* XLIV. 17. (17) *in Notis.* (18) *de Deo cap.* 13. (19) *in Notis.* (20) *in Joſuam Commentario pag.* 290. (21) *in Annalibus ſacris Tom.* I. *pag.* 176. (22) *Notatis ad Salvianum pag.* 350. 351.

factas Lunæ offerebant, uti conſtat ex *Euſtathio*[1], *Heſychio*[2], *Julio Polluce*[3], unde allegant *Caſaubonus*[4], *Johan. Henricus Urſinus*[5].

XIII. MIPLEZETH, 1. *Reg.*[6], 2. *Chron.*[7] Hoc Alexandrini exponunt de Aſtarthe, & ſequitur non obſcure *Seldenus*[8]. Biblia Romana & *Hieronymus* vertunt *Priapi ſimulachrum*, de quo multis pertractat *Toſtadus*[9]. De Pane Deo paſtorum explicat *Caſtalio*[10]. De Sole *Tholoſanus*[11], qui ſub nomine *Mithræ* a Perſis cultus fuit in antris & umbroſis ſpeluncis, ſacra vero peregerunt mulieres perpetuæ caſtitatis voto obſtrictæ, uti referunt *Herodotus*[12], *Xenophon*[13], *Juſtinus*[14], *Plinius*[15]. Poſtremum hoc verius multo eſt, nam priora illa fabulis Græcorum nituntur, quæ in Oriente vel ſero vel nunquam innotuerunt.

XIV. RIMMON, 2. *Reg.*[16] (& fortiori pronunciatione Ῥεμφαν *Act. Apoſt.*[17].) De Venere exponunt *Caſpar. Sanctius*[18], *Cornelius a Lapide*[19], *Serarius*[20]. De Jove Tonante mavult *Scaliger*[21]. Optime ſecundum tenorem veteris Ægyptiacæ dialecti explicant *Ludovicus de Dieu*[22], *Salmaſius*[23], *Daniel Heinſius*[24], *Balduinus Walæus*[25], ut indicetur Saturnus. Certe vetuſti Græci Saturnum vocabant Ῥεμβων, voce ex Oriente petita, unde ῥεμβεσθαι format *Heſychius*[26], quod eſt γυρᾶσθαι, *vagari*, eſtque Saturnus loco inter aſtra erratica ſupremo poſitus.

XV.

(1) *Scholiis ad lib.* XI. *Iliad.* (2) *in Lexico.* (3) *in Onomaſtico lib.* VI. *cap.* 14. (4) *Notis ad Athenæum pag.* 305. (5) *lib.* II. *Quæſtion. Biblicar. num.* 21. 22. 23. 25. 26. (6) XV. 13. (7) XV. 16. (8) *Syntagm.* 2. *de Diis Syris cap.* 5. (9) *Quæſt.* II. *in lib.* 2. *Regum cap.* XV. *& quæſt.* 23. *in lib.* 2. *Chron.* XV. (10) *in Notis Biblicis pag.* 361. (11) *lib.* XII. *de Republ. cap.* 18. *num.* 12. (12) *lib.* I. (13) *lib.* VIII. (14) *lib.* X. (15) *lib.* VI *cap.* 26. (16) V. 18. (17) VII. 43. (18) *Commentar. ad h.l. pag.* 1490. (19) *Commentar. ibid. pag.* 243. (20) *in Commentario pag.* 296. (21) *lib.* I. *Animadverſ. in Manil.* (22) *Commentario ad Acta pag.* 69. 70. (23) *libro de Annis Climactericis pag.* 597. (24) *lib.* V. *Exercitat. Sacrar. cap.* 3. (25) *Commentario perpetuo ad Acta Apoſtolica pag.* 1097. (26) *in Lexico.*

XV. SACA, vel per geminationem literæ capitalis, SESACH, *Daniel.*[1] *Jerem.*[2] Ita Chaldæi vocabant Junonem aut Venerem cœleſtem, quam Phœnices appellabant *Uraniam*, *Aſtarten*, *Dercetonem*, *Atergatim*, nominibus variantibus multum, quod etiam Numinibus aliis contigiſſe patet. Firmant hoc *Strabo*[3], & *Joſ. Scaliger*[4], *Johannes Seldenus*[5], *Caſaubonus*[6]. Ejus feſtum quinque dierum celebrabant Aſſyrii quotannis, & per tempus illud Domini ferebant imperium ſervorum ſuorum, quod ex *Beroſo* & *Cteſiâ* refert *Athenæus*[7]. Prorſus ut Romani in Saturnaliis, de quibus vide *Macrobium*[8]. Σακκῶν ἑορτὴ eſt quoque apud *Dionem Chryſoſtomum*[9], ubi de Perſis refert, quod victorum aliquem morte damnatum, in ſella regali collocaverint, pretioſis veſtibus induerint, honore magno affecerint, dapibus vinoque expleverint, inde ſomno ſepultum nudaverint, flagellaverint, ſuſpenderint.

XVI. THAMMUS, *Ezech.*[10] Hunc fuiſſe Adonidem Veneris amicum, quem Græci quotannis feſto lugubri colebant, putant *Hieronymus* & *Theodoretus*. Res conſtat ex *Theocrito*[11], *Ovidio*[12]. Rectius vero de Oſiride & Api bove exponunt *Johannes Seldenus*[13], *Tremellius* & *Piſcator*[14], de quo *Plutarchus* librum integrum ſcripſit Tibullus[15]:

Barbara Memphitem plangere docta bovem.

Adde quæ ſunt *ſupra*[16], & porro vide *Plinium*[17], *Solinum*[18], *Pomponium Melam*[19], *Strabonem*[20]. Erant enim tunc Judæi multi, qui ſtudebant rebus Ægyptiacis, eorumque cultus irreligioſos perinde ac mores civiles æmulabantur, quomodo fieri ſolet ab illis, qui ſerviliter adulantur.

CAP.

(1) I. 7. (2) XXV. 25. *cap.* LI. 39. 41. (3) *lib.* XII. *Geograph.* (4) *lib.* VI. *de Emendat. Temp. pag.* 276. (5) *Syntagm.* 2. *de Diis Syriis cap.* 13. (6) *in Animadverſis ad Athenæum lib.* VIII. *pag.* 603. (7) *lib.* XIV. *Dipnoſophiſt.* (8) *lib.* 1. *Saturnal. cap.* 7. (9) *Orat.* 4. *de regno.* (10) VIII. 14. (11) *Idyll.* 23. & 28. (12) *lib.* X. *Metamorph.* (13) *Syntagm.* 2. *de Diis Syriscap.* 11. (14) *in Notis.* (15) *lib.* 1. *Eleg.* 8. (16) *cap.* V. *diſt.* 1. (17) *lib.* 1. *cap.* 46. (18) *Polyhiſtor. cap.* 36. (19) *lib.* 1. *cap.* 9. (20) *lib.* XVII. *Geograph.*

CAP. VII.

De Statuis & Simulacris Deorum.

I. ROMANI priſci Solis, Lunæ, Terræ, viſibilium Deorum cultu defuncti, annis multis ſtatuas nullas habebant. *Quod ſi adhuc manſiſſet, caſtius Dii obſervarentur*, ait *Varro* loco illo quem deſcripſit *Auguſtinus*[1]. Atque idem *Varro* addiderat: *Qui primi ſimulacra Deorum populis poſuerunt, ii civitatibus & metum demſerunt & errorem addiderunt.* Perſæ abſtinebant a ſimulacris, eratque illis pervigil Ignis unicum ſymbolum Dei magni, SOLIS uti dictum eſt *ſupra*[2]. De Judæis non eodem modo profani cenſent. Juvenalis[3]:

Quidam ſortiti metuentem ſabbatha Patrem
Nil præter nubes & Cœli lumen adorant.

Cerimonias Judaicas & Sabbatha deſcribit. Dicit *eos adorare Cœli lumen & nubes.* Quod vulgo legitur (& *Juſtus Lipſius*[4] retinendum eſſe cenſet) *cœli numen*, hoc merito improbat *Wilhelmus Canterus*[5]. Calumnia vero eſt, perinde ut cum *Ariſtophanes*[6] cavillatur, Socratem adorare Nubes. Sane Judæos docuerat Moſes τὸν θεὸν πᾶν ἓν εἶδος χωρὶς, ut *Strabo* refert[7]. Moſes inquam ἐκ τυχὼν ἀνὴρ optimo encomio, quod ei tribuit *Dionyſius Longinus*[8]. Hi ergo & quoque Socrates Idolis ſpretis, cœlum τῷ τοῦ θεοῦ ἔδρᾳ intuendo, Opificem mundi inviſibilem ſola mente apprehenſum invocabant. Petronius[9]:

Judæus licet & porcinum Numen adoret,
Et cœli ſummus advocet auriculas.

Ita enim legit *Janus Douſa*[10], & exponit, auricolas, id eſt, cultores aurarum, ætheris ac nubium. Nos legendum cenſemus, *& cilli ſummas advocet auriculas.* Senſum dedimus *in Auctariis ad Pappum*[11], ubi videri poteſt.

K Omni-

(1) *lib.* IV. *de Civitate Dei cap.* 36 (2) *cap.* 6. *num.* 10. (3) *Sat.* 14. (4) *Notatis ad Tacitum lib* V. *Hiſtor. n.* 13. (5) *lib.* IV. *Lect. novar. cap.* 4. (6) ἐν Νεφέλαις. (7) *lib.* XVI. (8) περὶ ὕψους. (9) *in fragmentis pag.* 211. (10) *lib.* III. *Præcidaneorum c.* 6. (11) *p.* 113.

Omnino enim hac in re *Johan. Seldenus* [1], & *Simon Abbes Gabbema* [2] fruſtra conantur. Tacitus [3]: *Judæi mente ſolâ, unumque Numen intelligunt, profanos qui Deorum imagines, mortalibus materiis, in ſpecies hominum, effingant. Summum illud & æternum, neque mutabile neque interiturum. Igitur nulla ſimulacra urbibus ſuis nedum templis ſunt.* Recte iſta; non etiam recte illa quæ ſequuntur: *Rex Antiochus demere ſuperſtitionem & mores Græcorum dare annixus, quo minus teterrimam Gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus eſt.* De Antiocho Epiphane intelligenda ſunt, & motas ab eo perſecutiones referunt *libri duo Maccabæorum.* Proinde ſcribit *Cicero* [4], de Judæorum religione, *eam abhorrere ab imperii ſplendore, gravitate nominis & majorum inſtitutis.* Et Cajus Agrippæ filius Judæam prætervectus apud Hieroſolymas non ſupplicavit, quod Auguſtus laudabat, teſte *Suetonio* [5]. Diſerte Plinius [6]: *Judæa gens contumelia Numinum inſignis. Plinius* dixerat alibi [7]: *Effigiem Dei formamque quærere, imbecillitatis humanæ eſt.* Laudat, quod accuſat Gentis odio, neque poterat latere eum *Varronis* dictum accuratum, quod ſupra protulimus, atque noverat ipſe, quod Numa Pompilius diſcipulus Pythagoræ nefas eſſe dixerat, imaginem aut effigiem aliquam Deo tribuere, ut narrat *Plutarchus* [8], & confer *Hugonem Grotium* [9], *Philippum Mornæum* [10], *Johan. Henricum Boeclerum* [11], *Johannem Seldenum* [12]. Melior inter Græcos & pietati æquior ſecta Stoicorum vetabat, ſimulacra & templa ponere in honorem Deorum, quoniam indigna eſſent majeſtate Numinis. Ita *Zeno Citticus* [13], quem allegat *Theodoretus Cyrenſis* [14]. *Sophoclis* verba in eundem ſenſum adducit *Autor Paræneſeos ad Græcos*, ubi repre-

(1) *Syntagm. de Diis Syris pag.* 307. (2) *Notis variis ad b. l. p.* 245. (3) *lib.* v. *Hiſtor.* (4) *pro Flacco.* (5) *lib.* 11. *cap.* 93. (6) *lib.* XIII. *cap.* 4. (7) *lib.* 11. *cap.* 2. (8) *in Vitis illuſtribus pag.* 38. (9) *Annotatis ad Decalogum pag.* 31. (10) *libro de Veritate Relig. Chriſtianæ cap.* 21. (11) *Annotatis Politicis ad lib.* v. *Taciti hiſtor. pag.* 183. (12) *lib.* 1. *de Jure Naturæ & Gentium ſecundum Hebræos cap.* 2. (13) *de Republicâ.* (14) *Serm.* 3. *ad Infideles.*

reprehendit Θεῶν ἀγάλματα ἐκ λίθων τε καὶ ξύλων. Eſt Chæremonis dictum ſimile apud *Euſebium* [1].

II. A Chaldæis, Indis & Phœnicibus ſunt Statuæ, ab iis ad Ægyptios pervenerunt, de quibus *Herodotus* [2] refert. βωμοὺς τε καὶ ἀγάλματα καὶ ναοὺς Θεοῖσι ἵδρυνέίμαι σφέας πρώτους. Porro ad Græcos, qui tradiderunt Romanis. Videamus Statuas Deorum ordine illo, quo Deos ipſos retulimus. JUNONIS Reginæ Statua erat ſpecie fœminæ in ſolio ſedentis, coronam in capite nubibus obvoluto, ſceptrum oſtentabat dexterâ *Antonius Auguſtinus* [3], cincta Iride, quæ miniſtra ejus erat, Pavones ad latera ſtabant ocellatas caudas ſuas diſpandentes. Nam hæ aves propriæ Junonis erant.

Laudatas oſtendit avis Junonia pennas.

Ovidius [4]. Atque indidem eſt, quod Pavo imprimeretur Numiſmatis Auguſtarum inter Divos relatarum, uti Aquila eſt in Nummis Auguſtorum, itaque nomina ſortiebantur, *Auguſti Joves* dicti ſunt, *Auguſtæ* vero *Junones*, teſte *Antonio Auguſtino* [5]. Propter Jovem Ammonem ipſa quoque *Juno cornigera* pingebatur, uti eſt apud *Gorlæum* [6], *Ortelium* [7]. Junonis ſignum è Marmore Eſtenſi eſt apud *Joh. Baptiſtam de Cavalleriis* [8]. VESTA erat mulier velato capite ſedens ad aram, in quâ luculentus ignis ardebat, *Antonius Auguſtinus* [9]. Ejus ſignum è Marmore Vaticano eſt apud *Joh. Baptiſtam de Cavalleriis* [10] MINERVA galeata & criſtata, haſtata ſæpe, uti oſtendunt picturæ *Gorlæi* [11], *Petri Appiani* [12], *Ortelii* [13], tenens clypeum in latere, ubi Gorgonis caput inſcripum erat. Ejus ſignum è Marmore

(1) *lib.* 11. *Præparat. Euangel. cap.* 3. (2) *in Euterpe.* (3) *in Numiſmatis Tab.* 40. *num.* 3. *Tab.* 53. *num.* 18. (4) *lib.* 1. *de Arte amandi.* (5) *Tab.* 16. *num.* 20. *Tab.* 27. *num.* 24. *Tab.* 30. *num.* 22. *Tab.* 36. *num.* 24. *Tab.* 42 *num.* 23. *Tab.* 47. *num.* 19. *Tab.* 62. *num.* 24. *Tab.* 64. *num.* 12. (6) *in Theſauro Numiſmatum Tab.* 26. *num.* 3. 4. *Tab.* 27. *num.* 1. 2. 3. (7) *de Capitibus Deorum & Dearum num.* 29. (8) *lib.* 1. *Antiquit. Romanar. Tab.* 47. (9) *in Numiſmatis tab.* 25. *num.* 6. (10) *lib.* 1. *Antiquit. Romanar. Tab.* 9. (11) *in Theſauro Tab.* 35. *num.* 14. & *Tab.* 43. *num.* 10. & *Tab.* 44. *num.* 2. 3. (12) *in Inſcription. p.* 374. (13) *l. d. num.* 38.

Farneſiano eſt apud *Joh. Baptiſtam de Cavalleriis* [1]. CERES ferebat ſpicam corollam in capite *Gorlæus* [2], *Ortelius* [3], & manipulum ſpicarum in dextera, alias etiam facem ardentem *Gorlæus* [4], *Antoninus Auguſtinus* [5], quam olim in nocturnis umbrarum evocationibus ſub Plutone magiſtro accenderat. Claudianus [6]:

Noctivago tædas inflammatura labori.

Cereris ſignum è Marmore Eſtenſi eſt apud *Joh. Baptiſtam de Cavalleriis* [7]. DIANA cum religatâ in coronam comâ, arcum & ſagittas tenebat venatrix ſedula, *Ortelius* [8], *Abrahamus Gorlæus* [9]. Ejus ſignum è Marmore Eſtenſi eſt apud *Joh. Baptiſtam de Cavalleriis* [10]. VENUS puellæ ſpecie in conchâ de mari prodibat, roſis & floribus coronata, Cupidine alato (uti eſt apud *Ortelium* [11],) *Gorlæum* [12], & Amoribus comitata vel Joco *Petrus Appianus* [13], aliquando vecta curru, quem Columbæ trahebant. Ejus ſignum è Marmore Eſtenſi eſt apud *Joh. Baptiſtam de Cavalleriis* [14].

III. MARS aut in curru aut in equo ſedebat armatus, cum haſtâ & flagello uti eſt apud *Gorlæum* [15], adſtante Gallo, ave pugnaciſſima galeatus, uti pingunt *Gorlæus* [16], *Antonius Auguſtinus* [17], *Ortelius* [18]. Comitis ejus BELLONÆ ſignum eſt apud *Joh. Baptiſtam de Cavalleriis* [19]. MERCURIUS juvenis formoſus, in capite & pedibus alatus, *Ortelius* [20], *Gorlæus* [21], *Petrus Appia-*

(1) *lib. 1. Antiquitat. Romanar. Tabb. 38. & 57.* (2) *in Theſauro Tab. 10. num. 4. & Tab. 22. num. 8. 9. 10. 11. 12. 13. & Tab. 23. num. 1. 2. 3. 4.* (3) *l. d. num. 8. 9.* (4) *l. d. Tab. 23. num. 6. & Tab. 35. num. 15. Tab. 36. num. 1. 2. Tab. 37. num. 3. 4. 5.* (5) *Tab. 1. num. 4.* (6) *lib. III. de Raptu Proſerpinæ.* (7) *lib. 1. Antiquitat. Romanar. Tabb. 45. & 67. & 77.* (8) *l. d. num. 14.* (9) *in Promptuario Annulorum num 143. & in Theſauro Numiſmatum Romanorum Tab. 1. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Tab. 10. n. 7. 8. Tab. 19. num. 3. 4. Tab. 30. num. 9 Tab. 31. num. 1. 2.* (10) *lib. 1. Antiquit. Romanar. Tab. 46.* (11) *l. d. num. 13. & 55.* (12) *l. d. Tab. 19 num. 6.* (13) *in Collectaneis Inſcriptionum pag. 451.* (14) *lib. 1. Antiquit. Romanar. Tabb. 51. & 52.* (15) *l. d. Tab. 13. num. 1. & Tab. 25. n. 4.* (16) *in Promptuario Annulorum num. 17.* (17) *Tab. 6. num. 2.* (18) *l. d. num. 33.* (19) *lib. 1. Antiquitat. Romanar. Tab. 60.* (20) *l. d. num. 34.* (21) *l. d. Tab. 43. num. 3.*

Appianus [1], & rurſum *Gorlæus* [2], caduceum tenebat manu uti eſt apud *Gorlæum* [3], *Petrum Appianum* [4], *Chiffletium* [5], & marſupium a Zonâ pendebat. JUPITER Rex conſidebat in ſolio, ſceptrum inſigne majeſtatis oſtendebat ſiniſtra, aut dextra haſtam & ſiniſtra fulmen (quomodo Nummi pingunt apud *Gorlæum*[6], & Annulorum gemmæ apud eundem [7]) in capite diadema habebat, fulmen dextrâ jaculabatur trifidum *Ortelius* [8], *Gorlæus* [9], *Johan. Jac. Boiſſardus* [10], adſtante prope Aquilâ: Ammonius in capite habebat cornua recurva, *Ortelius* [11]. NEPTUNUS balenæ tergo inſidens, capillo & facie torvus manu tridentem verſabat, *Gorlæus* [12], *Petrus Appianus* [13], *Ortelius* [14]. VULCANUS ſenex cum pileo turbinato & malleo ad incudem pulſabat, *Ortelius* [15], *Gorlæus* [16], *Ant. Auguſtinus* [17]. APOLLO imberbis juvenis (ut ſeptuaginta Nummis ordine depictis monſtrat *Gorlæus* [18]) manu dextrâ continebat arcum & ſagittas, teſtudinem vero ſiniſtra, ſtellam unam habebat in vertice, *Gorlæus* [19], *Antonius Auguſtinus* [20], Tibullus [21]:

Solis æterna eſt Phœbo, Bacchoque juventa,
Nam decet intonſus crinis utrumque Deum.

Sæpe etiam pone ſtantem habebat pharetram, *Ortelius* [22], *Gorlæus* [23]. Ejus ſimulacrum è Marmoribus Belvedere eſt apud *Joh. Baptiſtam de Cavalleriis* [24].

IV. JANUS facie geminâ (apud *Gorlæum* [25], *Antonium*

(1) *in Inſcriptionum collectaneis pag.* 230. (2) *in Promptuario Annulorum* 70. 75. 168. (3) *l. d. Tab.* 19. *num.* 9. *Tab.* 20. *num.* 1. (4) *libro dicto pag.* 422. 464. (5) *part.* 1. *Veſont. cap.* 20. (6) *Tab.* 11. *num.* 3. 4. 5. 7. 9. *Tab.* 12. *num.* 1. 2. (7) *in Dactyloth. num.* 158. (8) *l. d. num.* 26. (9) *l. d. Tab.* 13. *num.* 2. & *Tab.* 39. *num.* 6. 7. (10) *part.* III. *Antiq. Romanar. fol.* 129. (11) *l. d. num.* 25. (12) *l. d. Tab.* 13. *num.* 8. & *Tab.* 29. *num.* 14. (13) *in Inſcriptionibus pag.* 456. (14) *l. d. num.* 36. & 37. (15) *l. d. num.* 59. (16) *l. d. Tab.* 3. *n.* 5. 6. (17) *Tab.* 50. *num.* 16. (18) *l. d. Tab.* 4 *n.* 3. 4. 5. (19) *Tab.* 35. *num.* 9. & *in Promptuario Annulorum num.* 96. 111. 177. (20) *Tab.* 12. *num.* 11. 14. 15. (21) *lib.* 1. *Eleg.* 4. (22) *l. d. num.* 3. (23) *Tab.* 28. *num.* 5. (24) *lib.* 1. *Antiquitat. Romanar. Tab.* 4. (25) *l. d. Tab.* 18. *num.* 1. *Tab.* 4 *num.* 1. & *in Scalpturis Gemmarum num.* 29.

nium Auguſtinum [1]) virgam & clavem tenebat manu. SATURNUS incanus & prolixe barbatus ſenex; manu dextrâ falcem tenebat, (*Gorlæus* [2]) ſimulatque Anguem, qui ore caudam ſuam apprehendendo mordebat, ſiniſtrâ infantem ad os admovebat ut devoraret. *Ortelius* [3]. GENIUS vir mediæ ætatis amiculo ad tergum veſtitus, habebat in capite ſertum è platani foliis, & apud aram aſſidens dextrâ pateram porriciebat, ſiniſtrâ ſpicas cum ariſtis tenebat. (*Gorlæus* [4]) vel climacterem a quo lebetes ad ignem ſuſpenduntur. (*Gorlæus* [5]) aut vero dextrâ porrigebat ariſtatam ſpicam, ſiniſtrâ pateram variegatis fructibus plenam. *Gorlæus* [6]. SOL inſtar viri denſo & criſpante undique capillo vel etiam radiis protenſis a capite ornati. *Ortelius* [7], inſiſtens bigis quas propellit curſu pleno. *Gorlæus* [8]. ORCUS ſenex torvus, niger, hiſpidus, fuſcinam pone extendens quâ Metallarii fodinas ſcrutantur, *Ortelius* [9]. LIBER imberbis, corniger in fronte, coronatus ſertis è pampino, hederâ & ficu, (*Ortelius* [10], *Johan. Jac. Boiſſardus* [11].) Claudianus [12]:

——— *Leniſque ſimul procedit Iacchus*
Crinali florens edera. ——— ———

Sedebat in curru quem Tigris, Pardus, Lynx, Elephantus trahebant, Satyris & Baſſaridibus comitatus, (*Jacobus Boiſſardus* [13],) dextrâ racemum protendebat (*Gorlæus* [14]) ſiniſtrâ poculum. TELLUS ſive Cybele matronæ ſpecie tres in capite geſtabat turres, cujus imago è Marmore Viridarii Pontificis eſt apud *Joh. Baptiſtam de Cavalleriis* [15], & tympanum pulſabat, (*Gorlæus*

(1) *Tab.* 41. *num.* 9. (2) *l.d. Tab.* 24. *num.* 7. 8. *& in Scalpturis Gemmarum num.* 64. (3) *l. d. num.* 48. (4) *l.d. Tab.* 38. *num.* 10. *& in Promptuario Annulorum num.* 2. 49. (5) *in Promptuario dicto num.* 74. (6) *l. d. num.* 78. 190. 195. *& in Scalpturis Gemmarum num.* 113. 118. 121. (7) *l. d. num.* 49. *&* 50. (8) *in Promptuario Annulorum num.* 77. (9) *l. d. num.* 43. (10) *l.d. num.* 4. (11) *part.* 3. *Antiquit. Roman. fol.* 149. (12) *lib.* 1. *de Raptu Proſerp.* (13) *part.* 5. *Inſcript. Romanar. fol.* 30. (14) *in Dactyliothecâ num.* 31. 82. (15) *lib.* 1. *Antiquit. Romanar. Tab.* 12.

laus[1], *Jacobus Boiſſardus*[2], & rurſum *Gorlæus*[3], *Ortelius*[4].) Virgilius[5]:

——— —— *Qualis Berecynthia mater*
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes.

Claudianus[6]:

Non buxus, non æra ſonant, torvique leones
Summiſere jubas, adytis gaviſa Cybele
Exſilit, & pronas intendit ad oſcula turres.

Et[7]:

Aurea ſanctarum decus immortale comarum
Defluxit capiti turris. ——— ———

Et[8]:

——— —— *Huc Orgia ſecum*
Tranſtulit, & Phrygios Genitrix turrita leones.

Sedebat enim in curru, quem trahebant Leones uti eſt apud *Boiſſardum*[9]. LUNÆ imago ſatis nota eſt, & confer *Antonium Auguſtinum*[10], ubi eſt Luna cum bigis.

V. HERCULES indutus Leonis Nemæi exuviis clavam dextrâ geſtabat, *Ortelius*[11], *Gorlæus*[12], *P. Appianus*[13], *Johan. Jac. Boiſſardus*[14]. Ejus ſignum è Marmore Farneſiano eſt apud *Joh. Baptiſtam de Cavalleriis*[15]. CASTOR & POLLUX gemini prope ſecum adſtantes, & uterque Stellam, vel fatuos ignes, in capite habens, *Ortelius*[16], *Gorlæus*[17], quanquam Stellas non ſemper appoſitas haberent, uti eſt apud eundem *Gorlæum*[18]. Porro cum Stellis appictis ſunt in iiſdem Numiſmatis[19], cum

(1) *l. d. Tab.* 17. *num.* 5. *Tab.* 18. *num.* 9. *Tab.* 28. *num.* 8. *Tab.* 37. *num.* 6. 7. 8. 9. 10. 11. (2) *part.* 3. *Antiquit. Roman. fol.* 47. *part.* 5. *fol.* 33. (3) *in Promptuario Annulorum num.* 141. (4) *l. d. num.* 13. (5) *lib.* VII. *Æneid.* (6) *lib.* 1. *de Raptu Proſerp.* (7) *lib.* II. *in Eutropium.* (8) *lib.* III. *de Laudibus Stiliconis.* (9) *l. d.* (10) *in Numiſmatis Tab.* 53. *num.* 23. (11) *l. d. n.* 21. (12) *in Promptuario Annulorum n.* 159. 164. *in Scalpturis Gemmarum num.* 58. *& in Theſauro Numiſmatum Tab.* 12. *num.* 7. 8. *& Tab.* 38. *num.* 2. 6. *& Tab.* 43. *num.* 6. (13) *in Inſcriptionibus pag.* 170. 171. (14) *part.* 3. *fol.* 101. 103. (15) *lib.* 1. *Antiquitat. Romanar. Tabb.* 27. *&* 61. *&* 75. (16) *l. d. num.* 7. (17) *l. d. Tab.* 1. *num.* 9. *& Tab.* 18. *num.* 3. 4. (18) *l. d. Tab.* 16. *n.* 6. (19) *Tab.* 40. *num.* 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. *& Tab.* 41. *num.* 1. 2. 3.

interjectâ ſemilunâ [1]. ÆSCULAPIUS laureatus manu tenebat baculum nodoſum, *Ortelius* [2] quandoque etiam Serpentem, (*Johan. Jac. Chiffletius* [3]) aut ſerpentem baculo circumvolutum *Gorlæus* [4], Æſculapii ſignum è Marmore Farneſiano eſt apud *Joh. Baptiſtam de Cavalleriis* [5]. ROMULUS armatus totus & haſtam manu tenens: alias parvus & cum Remo fratre jacens hianti ore ut prehenderet Lupæ mammas, teſte *Cicerone* [6], eſtque Nummus apud *Gorlæum* [7], nec non Sarda inciſa apud *Gorlæum* [8], & Lupa ſub ficu Ruminali duos illos puellos lactans eſt apud eundem *Gorlæum* [9], *Antonium Auguſtinum* [10], & confer *Johan. Jacobum Boiſſardum* [11]. Tale ſimulacrum Lupæ, a qua ſugunt Remus & Romulus è Marmore Vallenſi eſt apud *Joh. Baptiſtam de Cavalleriis* [12]. PRIAPUS nudus totus & cum pene grandi, curva falce armatus. Tibullus [13]:

——— *Bacchi reſpondet ruſtica proles*
Armatus curvâ ſic mihi falce Deus.

VI. SATYRI & SILENI deformes, auriti admodum cornigeri aliqui, capripedes & nudi omnes. *Johan. Jac. Boiſſardus* [14], *Gorlæus* [15]. Satyri ſignum è Marmore Cæſiano eſt apud *Joh. Baptiſtam de Cavalleriis* [16]. NYMPHÆ comatæ & pulcræ Virgines, mammoſæ, ab homine incipientes, manu tenentes palmæ ramum, *Gorlæus* [17], FLORA amictu eleganti apud *Ortelium* [18]. Ejus Deæ imago è Marmore Vaticano eſt apud *Joh. Baptiſtam de Cavalleriis* [19], FAUNUS ſenex torvus & horridus. TRITON barbatus & villoſus, concham inſo-

(1) *ibid n.* 13. 11. (2) *l. d. num.* 1. (3) *in Deſcriptione Veſontionis part.* 1. *pag.* 179. (4) *in Promptuario Annulorum num.* 39. 60. (5) *lib.* 1. *Antiquitat. Romanar. Tabb.* 39. & 40. (6) *lib.* 1. *de Divinat.* (7) *Tab.* 44. *num.* 7. (8) *in Promptuario Annulorum num.* 1. (9) *in Gemmarum ſcalpturis num.* 49. (10) *Tab.* 1. *num.* 2. (11) *part.* 2. *Antiquit. Roman. cap.* 2. *Tab.* 14. (12) *lib.* 1. *Antiquitat. Romanar. Tab.* 84. (13) *lib.* 1. *Eleg.* 4. (14) *part.* 3. *Antiquit. Romanar. fol.* 149. (15) *in Promptuario Annulorum num.* 31. 55. (16) *lib.* 1. *Antiquitat. Romanar. Tabb.* 22. & 87. (17) *in Scalpturis Gemmarum num.* 68. (18) *l. d. num.* 18. (19) *lib.* 1. *Antiquitat. Romanar. Tabb.* 16. & 33.

inſonans. PAN caprinâ facie apud *Gorlæum* [1], *Petrum Appianum* [2], *Ortelium* [3], cornibus hirtis, pectore a ſideribus radiante, capripes & altero pede incurvus. SERAPIS habitu ſenis in capite radiantis, quod a Sole eſt, & caniſtrum in capite gerentis, *Ortelius* [4], *Gorlæus* [5], *Antonius Auguſtinus* [6]. Scilicet, quod agricolationem docuiſſet panesque facere, quos caniſtris impoſitos ferebant Ægyptii, *Geneſ.* [7] ISIS Fœmina ornata, manu ſiſtrum tenens *Antonius Auguſtinus* [8], *Ortelius* [9], & Lunam corniculatam in capite habens (uti pingit *Inſcriptio* Capuana apud *Petrum Appianum* [10]. De totâ re porro videris *Vincentium Chartarium Rhegienſem* [11], & *Wilhelmum Canterum* [12], *Franciſcum Svertium* [13].

VII. Stabant Deorum Statuæ in publico, ſuper erectâ columnâ, & lunatas umbellas argenteas, æreas, ligneas, impoſitas habebant. Tibullus [14]:

Sic umbroſa tibi contingant tecta Priape,
Ne capiti Soles, ne noceantve nives.

Cauſa præcipua erat, ne ab avibus conſpurcarentur. *Clemens Alexandrinus* [15]: αἱ ὑ χελιδόνες κμὴ τῶν ὀρνέων τὰ πλεῖστα, κατεξαιρῦσιν αὐτῶν τ ἀγαλμάτων εἰς πτέρμνα. Quo ſpectat illud Horatii [16]:

——— *Merdis caput inquiner albis*
Corvorum. ——— ———

Μιωίσκους vocant *Ariſtophanes* [17], & alii Græci, habentque illas impoſitas in templis Chriſtianorum Statuæ Divorum Rei cauſam Pictores ignorant; ideoque μιωίσκους ſive orbiculos radiatos picturis etiam adhibent, quæ tamen illis non habent opus, ut monent *Scaliger* [18], & *Simon Abbes Gabbema* [19].

* Scaliger *ad Priap.* 83.

(1) *l. d. Tab.* 20. *num.* 1. 2. (2) *in Auctariis ad Inſcriptiones Orbis.* (3) *l. d. num.* 39. (4) *l. d. num.* 45. (5) *in Promptuario Annulorum num.* 29. 193. (6) *Tab.* 8. *num.* 15. *Tab.* 40. *n.* 22. 23. (7) XL. 16. (8) *Tab.* 67. *num.* 14. (9) *l. d. num.* 27. (10) *in Collectaneis pag.* 136. (11) *de Imaginibus Deorum.* (12) *in Tabulis Deorum.* (13) *Notis ad Ortelium.* (14) *lib.* 1. *Eleg.* 4. (15) *Exhortatione ad Gentiles.* (16) *lib.* 1. *Sat.* 8. (17) *in Avibus.* (18) *Notatis ad Catalecta Virgilii fol.* 475. (19) *Notis variis ad Priapeja pag.* 53.

VIII. Erant infectæ colore, μίλτῳ καὶ φύκῃ, *Sapient.* [1] μίλτον *rubrica* eſt, eâque utuntur Alexandrini ad *Jerem.* [2] ubi in Ebræo eſt שׁשׁר / quod ibidem *Tremellius* [3] exponit de *colore florido Indico.* Φύκῃ, id eſt, algâ rubente, quæ proprie *fucus* eſt ſecundum notionem vocis Græcæ, uti docet *Joh. Gerhardus Voſſius* [4]. Ergo fuerunt miniatæ cumprimis, non ſolum ornatus gratiâ, ſed etiam ne cariem ſentirent, vel imbrium guttis perfuſæ attraherent eas & computreſcerent. Minium enim præparatum & ſuperillitum adverſus talia conſervat, quamobrem hodie etiam ita fit. Tibullus [5]:

Pomoſiſque ruber cuſtos ponatur in hortis,
Terreat ut ſcæva falce Priapus aves.

Et [6]:

Ruber ſedere cum rubente faſcino.

Virgilius [7]:

Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipſi.
Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem.

De Jove miniato eſt apud *Plinium* [8], & confer *Johannem Brodæum* [9].

IX. Ne migrarent & civitatem deſererent, Deos ſuos catenis vinctos & ferramentis affixos in cuſtodiâ retinebant. Petronius [10]: *Juvenes adhuc laborum expertes patiemur ſtatuarum ritu pannos & vincula.* Nam & *pannos*, id eſt, amicula, injiciebant ſtatuis, unde ſunt *veſtitores Divinorum ſimulachrorum*, apud *Julium Firmicum* [11]. Epiſtola *Barucho* annexa [12]: *Ornant Deos ipſos aureos, argenteos & ligneos, tanquam homines, veſtimentis.* Refert *Pauſanias* [13], quod Spartani Martis ſtatuam vinctam in columna attinuerint. Ne ſcilicet excederet urbe & ad hoſtes commigraret. De Tyriis eadem narrat *Curtius* [14], ubi vide *Freinshemium* [15], *Raderum* [16].

X. Erant

[1] XIII. 14. [2] XXII. 14. [3] *in Notis.* [4] *in Lexico Etymologico pag.* 226. [5] *lib.* I. *Eleg.* 1. [6] *lib.* IV. *Eleg.* 15. [7] *Bucolic.* 10. [8] *lib.* XXXIII. *cap.* 7. [9] *lib.* III. *Miſcellan. cap.* 13. [10] *in Satyrico pag.* 119. [11] *lib.* III. *Aſtronomiæ cap.* 12. [12] *verſ.* 10. [13] *in Laconicis.* [14] *lib.* IV. *cap.* 11. [15] *in Notis lib.* IV. *cap.* 3. *num.* 22. [16] *in Commentario pag.* 131.

X. Erant Simulacra velut Aſylum, quo metu deſperatæ ſalutis fugiebant, & vitæ gratiam ibi impetrare ſe poſſe credebant, quando ab inſequente hoſte ad necem forte raperentur. Virgilius [1]:

—— *Divûm amplexa ſimulacra tenebant.*

XI. Picturæ Deorum erant cum Nimbo. Tales enim apparebant, id eſt, in luce obſcura, Virgilius [2]:

—— *Et purâ per noctem in luce refulſit*
Alma parens, confeſſa Deam. ——

Et paulo poſt:

Jam ſummas arces Tritonia, reſpice. Pallas
Inſedit, nimbo effulgens. —— ——

Ob eandem cauſam viſæ etiam majores Deorum apparentium imagines. De Curtio Rufo ita loquitur Tacitus [3]: *oblata ei ſpecies muliebris, ultra modum humanum.* (ubi vide *Juſtum Lipſium* [4].) Nimbus ergo ſplendor eſt circum Deorum corpora. Rurſum Virgilius [5]:

—— *Viſi ante oculos adſtare jacentis*
Inſomnis, multo manifeſti lumine. ——

Lumine, id eſt, nimbo ſuo. Et [6]:

At Venus ætherios inter Dea candida Nimbos
Dona ferens aderat. ——

Et [7]:

Hoc Venus obſcuro faciem circumdata Nimbo
Detulit. —— ——

Horatius [8]:

Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo.

Nubes vehiculum Dei, etiam in *Literis Sacris*, *Exodi* [9], 1. *Reg.* [10] 2. *Chron.* [11] *Apocal.* [12]

XII. Pertinet huc Radioſa facies Moſis Legiſlatoris, qui cum Deo præſens egerat hactenus, & Majeſtatem ejus cominus viderat, adeoque reverſuro ad Populum

[1] *lib.* II. *Æneid.* [2] *lib.* II. *Æneid.* [3] *lib.* XI. *Annal.* [4] *in Annotatis num.* 66. [5] *lib.* III. *Æneid.* [6] *lib.* VIII. [7] *lib.* XII. [8] *lib.* I. *Carm.* 2. [9] XIII. 21. *cap.* XIX. 9. *cap.* XL. 34. [10] VIII. 10. 11. [11] v. 13. 14. [12] I. 7.

lum ſuum accidit, *tantâ claritudine facies ejus renideret, ut intueri eum Populus non valeret*, dicente *Sulpitio Severo* [1]. Hiſtoria legitur *Exodi* [2], & confirmat *Paulus*, 2. *Corinth.* [3], ubi eſt δοξα προσωπου. In Ebræo eſt קרן עור פניו quod vertit *Aquila*, κεκερατωδης ἰδω, unde eſt illud Hieronymi, *ignorabat Moſes quod facies ejus cornuta eſſet*. Veroſimile eſt, Radios illos aſſurrexiſſe in ſpeciem Cornuum, adeoque ſcribit Aben Esdra [4], *quod Mneves Deus Corniger in Ægypto cultus, fuerit Moſes cum Radiante facie*. A quo tamen diſſentimus, & Mneves hic Oſiris erat, bovis ſpecie adoratus, quod arare terras & fruges ſerere docuerat, *ſupra* [5]. Cœterum Pictorum ludibrium eſt, quod vera Cornua Moſi affingunt, neſcientes illud quod imitatur ſpeciem, diſcernere ab eo quod revera tale eſt. Confer *Sixtinum Amama* [6], *Bellarminum* [7].

CAP. VIII.

De Templis & Aris Deorum.

I. ARÆ ſunt vetuſtiſſimi uſus, cœperuntque cum Sacrificiis, quæ ab Adamo & poſteris ejus offerebantur *Geneſ.* [8]. Et fuerunt apud Gentes illas, quibus Templa non lubebat condere, uti ſunt Perſæ, Phœnices, Celtæ. His enim luci erant vice Templorum, & in illis poſitæ Aræ, vel in excelſis montibus, ceu locis Soli & Lunæ magis propinquis. Itaque *Guilh. Stuckius* [9], itemque [10], *Johan. Gerhardus Voſſius* [11], ſuſpicantur, Græcorum βωμὸς profluxiſſe ex protrita atque in *Literis Sacris* paſſim obvia voce במות *excelſa*, quo nomine cum montes atque colles, tum Altaria quoque & ſacella in iiſdem a Gentilibus exſtrui ſolita notan-

(1) *lib.* 1. *Hiſtor. ſacræ cap.* 33. (2) XXXIII. 11. *cap.* XXXIV. 29. (3) III. 7. 8. 13. (4) *Commentario ad Exodi* 11. (5) *cap.* V. *n.* 1. (6) *in Antibarbaro Biblico pag.* 517. (7) *lib.* 11. *de Eccleſ. triumphante cap.* 4. (8) IV. 3. (9) *in Ariani periplum.* (10) *de Sacris Gentilium fol.* 63. (11) *in Lexico Etymologico pag.* 39.

notantur. De Perſis hoc affirmant *Herodotus* [1], (ubi eſt, ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν ὀρέων ἀναβαίνοντες θυσίας ἔρδειν.) *Strabo* [2], *Laertius* [3]. Proinde Xerxes cum immenſis copiis Græciam ingreſſus, omnia Deorum Templa vaſtavit, *ruinis & ignibus delevit*, quæ ſunt verba Alexandri Magni, apud *Curtium* [4], & de illo Xerxis facto vide porro *Solinum* [5], *Valerium Maximum* [6], *Pauſaniam* [7]. Scilicet Magi criminabantur (μωρίῃ ἀπενείκαντες, ait *Herodotus* [8].) Græcos, quod Deos, includerent parietibus, cum tamen omnia illis patentia eſſent, uti *Cicero* [9], refert. A Phœnicibus eſt, quod horum incola Abraham conſecrat Lucum Deo vero, *Geneſ.* [10]. De Celtis Lucanus [11]:

Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo,
Obſcurum cingens connexis aëra ramis,
Et gelidas alte ſubmotis ſolibus umbras,
Hunc non ruricolæ Panes, nemorumque potentes
Silvani, Nymphæque tenent, ſed barbara ritu
Sacra Deûm, ſtructæ ſacris feralibus aræ.

Et Claudianus [12]:

——— ——— *Lucoſque vetuſtâ*
Relligione truces & robora numinis inſtar
Barbarici noſtræ feriant impune ſecures.

Truces vocat quod ſolerent in eis victimas humanas offerre. Eadem ſcribit *Tacitus* de Germanis: *Cæterum nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris ſpeciem aſſimulantur, ex magnitudine Cœleſtium arbitrantur: Lucos ac Nemora conſecrant, Deorumque nominibus appellant ſecretum illud, quod ſolâ reverentiâ videtur.* Atque hinc anſam cepit *Michaël Piccartus*, ut peculiari Oratione quæ exſtat *in Philoſophiâ Altorffinâ* [13], contenderet adverſus *Tacitum*, Germanos patriæ ſuæ indigenas non eſſe, verum a Perſis originem habere, ac digreſſos ex Aſiâ,

(1) *lib.* I. (2) *lib.* XIV. (3) *l.d.* (9) *lib.* II. *de Legib.* (10) *lib.* I. (4) *lib.* III. *cap.* 19. (5) XXI. 33. (11) *lib.* III. *Pharſal.* *in Polybiſtore cap.* 53. (6) *lib.* II. (12) *lib.* I. *de Laud. Stilicon.* (13) *cap.* 10. (7) *in Arcadicis.* (8) *pag.* 555.

Asiâ, tunc dum Alexander Macedo Persiam affligebat, in Germaniæ agris hactenus desertis consedisse. Hæc ille. Atqui hæc assertio falsa est, quandoquidem cum *Tacito* præstiterit Germaniæ decus antiquum tueri, non vero emendicatum aliquod. *Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus est) Tuisconem Deum terrâ editum & filium Mannum, originem Gentis conditoresque*, ait *Tacitus Editum terrâ*, nimirum quod fuerit è primis Nohæ posteris, statimque post dispersionem Gentium primam in regiones Aquilonares migraverit autor Germanorum, a quibus insecutis deinceps seculis propagari cœperunt Vandali, Suedi, Norvegi, Dani. Hâc de re luculenter differunt *Michaël Beutherus*[1], *Philippus Cluverius*[2].

II. Aræ* erant lapideæ plurimum, & in consecrandis



illis verbis conceptis obligabant sese ad Numinis ejus cultum, ac rogabant vicissim quod favere bono proposito vellet. *Inscriptio* Dalmatica: CN. DOMITIUS. VALENS. II. VIR. I. D. PRÆEUNTE. C. JULIO. SEVERO. PONTIFICE. LEGEM. DIXIT. IN. EA. VERBA. QUÆ. INFRA. SCRIPTA. SUNT. JUPITER. OPTIME. MAXIME. QUANDOQUE. TIBI. HODIE. HANC. ARAM. DABO. DEDICABOQUE. OLLIS. LEGIBUS. OLLISQUE. REGIONIBUS. DABO. DEDI-

* Talis aræ formam habemus in nummo Domitiani apud J. Gutherium *l.* III. *de Jure Pontif. c.* 6.

(1) *in Animadversionibus Historicis pag.* 11. (2) *lib.* 1. *German. Antiquæ cap.* 9.

DEDICABOQUE. QUAS. HIC. HODIE. PALAM. DIXERO. UT. INFIMUM. SOLUM. HUJUS. ARÆ. EST. SI. QUIS. HIC. HOSTIA. SACRUM. FAXIT. QUOD. MAGMENTUM. NEC. PROTOLLAT. ICCIRCO. TAMEN. PROBE. FACTUM. ESTO. CÆTERÆ. LEGES. HUIC. ARÆ. EÆDEM. SUNTO. QUÆ. ARÆ. DIANÆ. SUNT. IN. AVENTINO. MONTE. DICTÆ. HISCE. LEGIBUS. HISCE. REGIONIBUS. SICUTI. DIXI. HANC. TIBI. ARAM. JUPITER. OPT. MAX. DICO. DEDICOQUE. UTI. SIS. VOLENS. PROPITIUS. MIHI. COLLEGISQUE. MEIS. DECURIONIBUS. COLONIS. INCOLIS. COLONIÆ. MARTIÆ. JULIÆ. SALONÆ CONJUGIBUS LIBERISQUE. NOSTRIS. *Gruterus* [1]. Quandoque ceſpites aggeſti loco Aræ ponebantur, ubi victima erat extemporanea, aut Diis ruſticis oblatio fiebat. Silius Italicus [2]:

Ceſpite de viridi ſurgunt properantius ara.

Virgilius [3]:

In medioque focos & Diis communibus aras
Gramineas. ——— ———

Ovidius [4]:

Araque gramineo viridis de ceſpite fiat.

Tibullus [5]:

At ſibi quisque dapes & feſtas exſtruet alte
Ceſpitibus menſas. ——— ———

Feſtas vocat ob impoſitas dapes, ſive epulas publicas & ſolennes, quas ex ſtatis pecorum frugumque proventibus dapatice & feſtorum dierum aut ſacrificiorum cauſa a ruſticis celebrari mos erat, ut annotat *Janus Douſa* [6]. Horatius [7]:

Hic vivum mihi ceſpitem, hic
Verbenas pueri ponite.

Vivum, id eſt, virentem quique terræ humore alitur, ait *Lambinus* [8]. Idem [9]:

Quid velint flores & acerra thuris,
Plena, miraris, poſitusque carbo in

Ceſpite

[1] *in Volumine pag.* 23. [2] *lib.* VII. [3] *lib.* XII. *Æneid.* [4] *lib.* V. *Triſt. eleg.* 5. [5] *lib.* II. *Eleg.* 5. [6] *ad h. l. pag.* 343. [7] *lib.* I. *Carm.* 19. [8] *Commentar. h. l. pag.* 70. [9] *lib.* III. *Carm.* 8.

Ceſpite vivo.

Glebam virentem appellat *Juvenalis* [1].

III. Templorum * ſtructuræ magnificæ ſunt a Chaldæis, Aſſyriis, Ægyptiis, Græcisque, & ab illis Romani acceperunt. Nullus Templorum in populo Dei uſus erat per tempus bene multum, ſed Lucos habebant, & in illis Aras, exemplo Abrahami, Geneſ. [2] *Poſuit altare Domino & invocavit nomen Domini*, id eſt, prædicando monſtravit Deum eſſe rerum omnium Opificem ſummum & unice venerandum, uti refert *Joſephus* [3], & ei adde *Maimonidem* [4]. Luci ſunt אשרות *Judic.* [5] אשרים *Eſa.* [6] ἄλση, ὄρχαδες, ἄδοι apud *Homerum*, *Plutarchum*, *Xenophontem*, videlicet nemuſcula conſita ſecus Altare, dicti inde, quod perpetuis Sacrificiorum ignibus lucebant. Permiſit Deus ante latam legem, ut de Abrahamo conſtat, *Geneſ.* [7] Vetuit poſt legem latam, ut ſchiſmatis anſam præriperet, *Deut.* [8] Sic etiam Excelſa, id eſt, montes editiores, tolerata pro Sacris exercendis, *Judic.* [9] 1. *Sam.* [10] 1. *Reg.* [11] ἱερὰ ἐν ὄρεσιν ponit *Apollonius Rhodius* [12]. Sed Templo condito intra Paleſtinæ fines deinceps vetabantur, ut religionis unitas eo melius conſervaretur. 1. *Reg.* [13], 11. [14], *Hoſeæ* [15]. Salomon Rex juſſu Dei aggreſſus maximi precii fabricam, condidit Templum, decus Orientis. quod fruſtra impugnat *Sebaſtianus Francus* Enthuſiaſtarum progenitor [16]. Stetit annis 442. tunc a Chaldæis in cineres redactum eſt, manſitque deſolatum annis 168. inde Zorobabel Princeps ſerio reparavit & abſolvit feliciter, *Aggæi* [17]. Crevitque munificentia non indigenarum ſolum, verum etiam peregrinorum Regum, Alexandri Magni, Seleuci, Antiochi Magni. Ab Epiphane haut

* Vide hæc irridentem Lucianum *de Sacrif.* 367.

[1] *Sat.* 12. [2] XII. 5. [3] *lib.* 1. *Antiquitat. cap.* 8. [4] *de Idololatria cap.* 1. *ſect.* 7. [5] III. 7. [6] XVII. 8. [7] XXI. 33. [8] XVI. 21. [9] VI. 19. 25. [10] IX. 13. *cap.* X. 8. [11] III. 2. 4. [12] *lib.* II. *Argonaut.* [13] XV. 12. 14. *cap.* XXII. 43. [14] XVI. 4. *cap.* XVII. 9. 10. 11. [15] IV. 13. [16] *in Chronico Univerſali fol.* 48. [17] II. 2.

haut leviter afflictum eſt, ſed perſtitit tamen aduſque Herodis Magni tempora, qui in Populi gratiam demolitus particulas inſigniores, magnis ſumptibus eduxit eas iterum, ac novum velut Templum effecit: portæ uni impoſuit Aquilam auream, ut exhiberet ſymbolum Imperii Romani, quandoquidem Judæa in Provinciam redacta erat, & a Romanis Triumviris ipſe acceperat Imperium Paleſtinæ, *Joſephus*[1]. Ναὸν μέγιστον & θεικαλλίστατον vocat *Dion.*[2] De Herodis reſtauratione ſonant illa verba, *quadraginta & ſex annis ædificatum eſt Templum iſtud*, Johan.[3] Ceperat ille conſilium de ſacro opere communibus impenſis promovendo, cum regnaverat hactenus annis octodecim, teſte *Joſepho*[4], qui erat vigeſimus ſeptimus æræ Julianæ. Annum integrum transmiſit, interim dum conſultabat, itaque occepit rem decimo nono anno Regni, qui eſt viceſimus octavus Julianus. Adjectis quadraginta ſex annis, quorum in verbis ſupra poſitis mentio eſt, exſurget annus Julianus LXXIV. qui fuit XVI. annus Tiberii, eoque anno conflictum hunc Judæorum adverſus Jeſum Nazarenum ferviſſe, conſtat ex *Luca*[5]. Ita recte docent *Joſephus Scaliger*[6], *Georgius Calixtus*[7], *Ludovicus Capellus*[8], *Caſaubonus*[9], *Spondanus*[10], *Cornelius a Lapide*[11], a quibus non recte divortium faciunt *Toletus*[12], *Chriſtianus Matthias*[13], *Janus Druſius*[14], *Daniel. Feſſelius*[15].

IV. Unicum hoc Templum illi habebant, in quo ſolennes conventus quotannis agebantur, pro ſtabiliendâ concordiâ in Sacris ritibus. Cæterum licebat in caſu neceſſitatis habere alibi Lucos & Aras, tantum ne adeſſet pravus de Idolis conceptus. Dicebat Elias, *Aras*

(1) *lib.* XVII. *Antiquitat. cap.* 8. & *lib.* I. *de Bello Jud. cap.* 21. (2) *lib.* XL. *Hiſtor.* (3) II. 20. (4) *lib.* XV. *cap.* 14. (5) III. 1. (6) *lib.* VI. *de Emendat. Tempor. fol.* 499. (7) *lib.* II. *Concordiæ Euangelicæ cap.* 5. (8) *Spicilegio ad h. l.* (9) *Exercitat.* 13. *ſect.* 23. (10) *in Epitomâ Annal. Baronii pag.* 19. (11) *Commentar. ad Johan. pag.* 285. (12) *Commentar. ad Johannem pag.* 227. (13) *in Syſtemate Hiſtorico pag.* 249. (14) *lib.* IV. *Præteritorum Novi Teſtam.* (15) *in Promptuario Biblico pag.* 85.

tuas everterunt Domine. 1. Reg. [1]. Erant inter decem tribules qui verum Deum colebant, cumque non liceret adire Templum Hierosolymitanum (ex lege quam Rex dixerat, 1. *Reg.* [2]) domi Aras posuerunt, ut bene annotat *Rabbinus Kimchi.* Aras promiscue in duabus Tribubus, quia vero Deo sacratæ erant, permiserunt Reges pietatis studio clarissimi, 1. *Reg.* [3] & 11. [4]. Extra fines Palæstinæ licitum erat Proselytis habere Aram pro Sacrificiis vero Deo oblatis, 2. *Reg.* [5]. Verba expressa sunt: *Detur servo tuo onus duorum mulorum de terrâ, non enim faciet servus tuus amplius holocaustum aut sacrificium Diis alienis, sed Domino.* Annotant quidem Vinarienses: *Annon capiet famulus tuus Giesi de illis quæ tibi obtuli, aliquid saltem, quanquam ea vix terræ manipulo comparanda sint respectu beneficiorum, quæ a te accepi.* Hæc illi, quos refellunt verba proxime cohærentia, *non enim offeret servus tuus Diis alienis, sed Domino tantum.* Ergo terram petebat, unde Aram componere posset in honorem Dei Israëlis, volebatque signo illo testari, non alium Deum sibi deinceps cordi futurum ac eum qui in terrâ Israëlis coleretur, uti *Grotius* [6] observat. Tacitus [7]: *Est Judæam inter Syriamque Carmelus, ita vocant montem Deumque, nec Simulacrum vel Templum, ita tradiderunt majores, Aram tamen & reverentiam.* De quo loco exposita quædam videas *in Auctariis nostris* [8].

V. Romæ Templorum plena fuerunt omnia. Laudat Cicero [9]: *Græci & nostri, ut augerent pietatem in Deos, eosdem urbes illas, quas nos, incolere voluerunt: affert enim hæc opinio religionem utilem civitatibus.* Immigraverant in Urbem variæ Gentes, effeecerantque ut Urbs commune Populorum domicilium & quoque Sacrorum omnium receptaculum esset. Præter Ædiculas & Sacella innumera, *quadringenta viginti quatuor Templa Romæ erant*, uti *in Notitiâ Imperii Occidentalis* scriptum est.

Magni-

(1) XIX. 10. (2) XII. 16. *cap.* XV. 17. (3) XIV. 15. *cap.* XXII. 44. (4) XV. 4. 35. (5) V. 17. (6) *in Notis Euangelicis pag.* 667. (7) *lib.* 11. *Histor.* (8) *pag.* 278. (9) *lib.* 11. *de Legib.*

Magnifica illa proculdubio, & cum opulentis Sacerdotiis conjuncta. In condendis eis locandisque præcipua erat Augurum opera, qui aream ritibus certis expiabant, & poſtquam exſtructum erat Fanum, conſecrabant victimis cæſis, quod erat *inaugurare*, ut *Varro* teſtatur. Et Diis Inferis quidem Aras ſub terrâ ponebant: Superis vero in clarâ luce, ut prolixius deſcribunt *Flavius Blondus* [1], *Johan. Wilh. Stuckius* [2]. Præcipua recenſebimus ordinem ſecuti, quem in numerandis Diis præmiſimus. JUNONEM Reginam a Vejentibus cultam, poſt everſam urbem illam, deportavit in Urbem Camillus victor, eique Templum in monte Aventino condidit, *Livius* [3], & pingit *Jacobus Laurus* [4]. Aliud quoque ſed minoris operis operæque in honorem Junonis Reginæ ſtruxit Flaminius in bello adverſus Ligures occupatus *Livius* [5]. Junonis Templum eſt apud *Joh. Baptiſtam de Cavalleriis* [6]. VESTÆ † Templum rotundum



Numa Pompilius conſecravit, *Dionyſius Halic.* [7], eſtque pictura apud *Jacobum Laurum* [8], *Jacobum Meurſium* [9], *Sebaſtianum Serlium* [10], *Antonium Auguſtinum* [11], & *Joh. Bapti-*

† Conſpectum ejus ſervat appoſitus nummus ex J. Gutherii *l.* II. *de Jure Pontif. c.* 10.

(1) *lib.* I. *de Româ triumph.* (2) *de Sacris & Sacrificiis Gentilium pag.* 60. (3) *lib.* III. (4) *in Antiquitat. Roman. part.* I. *num.* 26. (5) *lib.* IX. (6) *lib.* 2 *Antiquitat. Romanar. Tab.* 5. (7) *lib.* II. (8) *l. d. num.* 12. (9) *in Iconibus Romæ veteris pag.* 98. (10) *lib.* III. *Architecturæ fol.* 12. (11) *in Numiſmatis Tab.* 20. *num.* 37. *Tab.* 31. *num.* 21.

Baptiſtam de Cavalleriis [1]. MINERVÆ Templum antiquiſſimum erat in monte Aventino, ut memorat *Ovidius* [2], & magnificum aliud eidem Divæ Fanum exſtruxit Pompejus M. poſt feliciter confectum bellum Aſiaticum, *Plinius* [3]. Depingit *Jacobus Laurus* [4]. CERERIS Templum in Circo Maximo poſuit Dictator Poſthumius, qui Volſcos prælio magno vicerat, *Dionyſius Halic.* [5] DIANÆ Templum ſtruxit Rex Servius Tullius, & Latinis incolis donavit, *Dionyſius Halic.* [6]. VENERIS Genitricis Fanum ante pugnam Pharſalicam vovit, & potitus victoriâ condidit Julius Cæſar, quod ab Julo Æneæ filio, Veneris nepote oriundus eſſet. In eo Auguſtus Cæſar locavit Julii Statuam æneam cum Stella crinita ſuper capite ejus, quæ poſt cædem ejus effulſerat, *Appianus* [7]. Templum deformat *Jacobus Laurus* [8], & *Joh. Baptiſta de Cavalleriis* [9], & de ſtella vide quæ dicemus *infra* [10].

VI. MARTIS Templum operis antiquiſſimi in campo Martio erat a Romulo primordia habens, qui ſe Martis filium eſſe putabat. Martis Ultoris Templum maximum in foro ſuo exſtruxit Auguſtus bello Philippico, quod Julii Cæſaris ulciſcendi cauſâ ſuſceperat. Depingit *Jacobus Laurus* [11]. Aliud minoris impenſæ Delubrum Marti ultori poſuit in Capitolio, eoque militaria ſigna quæ Parthi reſtituerant, ſuſpendit, *Ovidius* [12], *Dion Caſſius* [13], *Suetonius* [14]. Effigies eſt in Nummis apud *Antonium Auguſtinum* [15]. MERCURII Ædes * duæ minus nobiles, quas depingit *Jacobus Laurus* [16]. JOVIS Feretrii Templum *primum omnium eſt quod Romæ conſecratum eſt*, ait *Livius* [17]. Romulum habebat auto-

* Nos & aliam appoſuimus ex F. Nardino *l.* VII. *de Roma vet. c.* 3.

(1) *lib.* II. *Antiquitat. Romanar. Tab.* 2. (2) *lib.* VI. *Faſtor.* (3) *lib.* VII. *cap.* 26. (4) *part.* 2. *Antiquitat. num.* 8. (5) *lib.* IX. (6) *lib.* IV. (7) *lib.* II. *de Bello civili.* (8) *part.* 1. *Antiquit. num.* 23. (9) *lib.* II *Antiquitat. Romanar. Tab.* 6. (10) *cap.* XII. *n.* 10. (11) *part.* 2. *Antiquit. Roman. num.* 10. (12) *lib.* V. *Faſtor.* (13) *lib.* LIV. (14) *lib.* II. *cap.* 29. (15) *Tab.* 12. *num.* 23. (16) *part.* 2. *Antiquitat. num.* 25. (17) *lib.* I.



autorem, & ſtabat in monte Capitolino: atque idem Romulus in Palatino Templum condidit Jovi STATORI, *Livius*[1], prope quod erat domus Ciceronis, quam delineat *Jacobus Laurus*[2]. Numa Pompilius Jovi ELICIO Aram dedicavit in monte Aventino, *Livius*[3]. Clariſſimum maxime erat CAPITOLIUM quod a Tarquinio Priſco & Servio Tullio inchoatum, demum regiis ſumptibus Regum ultimus Tarquinius Superbus in monte Tarpejo, eminentiſſimo Urbis loco, conſtructum perfecit, mole ampliſſimum, faſtigiatis ſupra tectis puro fulgebat auro, dona & ornamenta varia intus habebat, Jovis Imperatoris Deorumque omnium Simulacra, coronas aureas ingenti numero, tabulas æneas quibus Leges; Senatuſconſulta, Fœdera priſca ſimul & nova inſcripta reſervabantur ad poſteritatem *inſtrumentum Imperii pulcerrimum & antiquiſſimum*, ait *Plinius*[4], & adde *Suetonium*[5]. Deſcribit peculiari libro *Juſtus Rycquius*, ac porro depingunt *Bartholomæus Marlianus*[6], *Jacobus Laurus*[7], *Jacobus Meurſius*[8]. Nec ſolum tecta inaurata, ſed fores ipſæ laminis aureis erant obductæ, ac perſtiterunt uſque ad tempora Honorii, tunc enim Stilico aurum detraxit, *Zoſimus*[9]. In hoc Delubro vota ſolennia concipiebantur, Conſules togam ſumebant, peracto triumpho adſcendebant eodem vi-

(1) *l. d.* (2) *part.* 2. *num.* 12. (3) *l. d.* (4) *lib.* XXXIII. *cap.* 3. (5) *in Veſpaſiano cap.* 8. (6) *in Topographiâ lib.* 11. *cap.* 6. 7. 9. (7) *part.* 1. *Antiquit. num.* 4. 10. 11. (8) *in Iconibus Romæ novæ pag.* 595. *& Iconibus Romæ veteris pag.* 225. (9) *lib.* V.

ctores Conſules & victimas offerebant. Ibidem aſſervabantur libri Sibyllini arcâ plumbeâ concluſi. Ejus pars aliqua erat Templum JOVIS TONANTIS, quod Cæſar Auguſtus condidit, teſte *Suetonio* [1]. Effigies cernitur in Nummis apud *Antonium Auguſtinum* [2]. Fulmine tactum prodigii vice erat, ut narrant *Livius* multis locis, Suetonius [3]:

—— —— Rubente
Dexterâ ſacras jaculatus arces
Terruit urbem.

ait *Horatius* [4]. Deflagravit Syllæ ævo, & mox reſtauratum, *Plinius* [5]. Sub Vitellio iterum in cineres redactum eſt: reparavit Veſpaſianus & cum obitu ejus denuo exuſtum, refecit Domitianus, *Suetonius* [6]. De Capitolio multa differit *Lipſius* [7]. JOVI ULTORI Templum erexit Agrippa nepos Auguſti, & *Pantheon* vocavit, id eſt, *concurſum Deorum*. Opus exquiſitæ artis, habens foramen amplum in medio fornice, per quod allapſa lux Templum univerſum illuſtrat, ut non ſit opus feneſtrâ aliâ. Integrum hodie videre licet, quod Barbarorum irruptiones ei pepercerint, tunc cum alia Delubra vexarentur ignibus & ruinis. Vocatur *Maria rotunda*, vel *Sanctorum omnium*, quibus dedicavit Bonifacius IV. Papa, impetratâ poteſtate a Phocâ latrone, quem ipſe voto ſuo abſolverat feceratque Cæſarem, ut deſcribunt *Lipſius* [8], *Stephanus Forcatulus* [9], *Jacobus Laurus* [10], *Spondanus* [11], *Georgius Fabricius* [12], *Bernhardus Gamuccius* [13], *Sebaſtianus Serlius* [14], *Jacobus Meurſius* [15]. Noſtro ævo Urbanus VIII. P. R. tabulatis æreis ademptis latericium parietem elegantis operæ loco permiſit. Hoc

(1) *lib.* II. *cap.* 29. (2) *Tab.* II. *num.* 3. (3) *lib.* XII. *cap.* 15. (4) *lib.* I. *Carm.* 2. (5) *lib.* XIII. *cap.* 13. *lib.* XIX. *cap.* 1. (6) *lib.* X. *cap.* 6. *& lib.* XII. *cap.* 5. (7) *lib.* III. *de Magnitud. Romæ cap.* 5. (8) *l.d. cap.* 6. (9) *lib.* I. *de Gallorum Imperio.* (10) *part.* I. *Antiquit. Roman. num.* 13. (11) *in Epitomâ Annal. pag.* 671. (12) *in Deſcriptione Urbis Romæ pag.* 78. (13) *lib.* III. *Antiquit. Roman. pag.* 206. (14) *lib.* III. *Architecturæ cap.* 4. (15) *in Iconibus Romæ novæ pag.* 475.



TEMPLUM IANI QUADRIFRONTIS

Hoc docet *Inſcriptio :* URBANUS. VIII. PONTIFEX. MAXIMUS. VETUSTAS. AHENEI. LACUNARIS. RELIQUIAS. IN. VATICANÆ. COLUMNAS. ET. BELLICA. TORMENTA. CONFLAVIT. UT. DECORA. INUTILIA. ET. IPSI. PROPE. FAMÆ. IGNOTA. FIERENT. IN. VATICANO. TEMPLO. APOSTOLICI. SEPULCHRI. ORNAMENTA. IN. HADRIANA. ARCE. INSTRUMENTA. PUBLICÆ. SECURITATIS. ANNO. DOMINI. MDCXXXII. PONTIF. IX. Scilicet, *quod non fecerant omnes Barbari hoc fecit unus Barberinus*, uti Paſquinus joco dicebat. Ejus figuram habet *Joh. Baptiſta de Cavalleriis* [1]. NEPTUNI Templum aliquod erat Romæ, uti *Publius Victor* [2] memorat. VULCANI Templum extra Urbem poſuit Romulus, & Camerinenſium ſpolia eo contulit, *Plutarchus* [3]. APOLLINIS Templum marmoreum totum conſtruxit Auguſtus in monte Palatino, & Bibliothecam adjunxit, poſtquam Ægyptum felici bello devicerat. Ovidius [4]:

Ducor ad intonſi candida Templa Dei.
Signa peregrinis ubi ſunt alterna columnis,
Belides, & ſtricto barbarus enſe pater:
Quæque viri docto veteres fecêre novique
Pectore, lecturis inſpicienda patent.

Intonſum Deum vocat, ut *ſupra* [5], & confer *Propertium* [6], *Suetonium* [7].

VII. JANI bifrontis Templum Romulus Latinus & Tatius Sabinus pace invicem facta in foro Boario condiderunt: Numa Pompilius vero conſecravit Bello, ut pacis tempore clauſum eſſet, pateret in bello. Virgilius [8]:

Sunt geminæ belli portæ, ſic nomine dicunt,
Relligione ſacræ, & ſævi formidine Martis,
Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri

(1) *lib.* II. *Antiquitat. Romanar. Tab.* 7. (2) *in Regione nona.* (3) *in Quæſtionibus Roman. num.* 47. (4) *lib.* III. *Triſtium eleg.* 1. (5) *cap.* VII. *num.* 3. (6) *lib.* II. *Eleg.* 31. (7) *lib.* II. *cap.* 29. (8) *lib.* VII. *Æneid.*

Robora: nec cuſtos abſiſtit limine Janus.

Clauſit tempore ſuo Auguſtus. Horatius [1]:

Janum Quirini clauſit.

Virgilius [2]:

Aſpera tum poſitis miteſcent ſecula bellis,
Cana Fides & Veſta, Remo cum fratre Quirinus
Jura dabunt; diræ ferro & compagibus arctis
Claudentur belli portæ. —— ——

De Auguſto ſonant, qui per omne Imperii ſui tempus hoc Fanum ter clauſit. Primo, cum vicerat Antonium: ſecundo, cum rediit a bello Cantabrico: tertio, cum naſcebatur Jeſus Nazarenus, pacis æternæ Princeps, ut teſtatur *Oroſius* [3]. Non multum abit inde Suetonius [4]: *Janum Quirinum ſemel atque iterum a condita urbe ante memoriam ſuam clauſum, in multo breviore temporis ſpacio, terra marique pace parta, ter clauſit.* Cæſar Nero, qui Templum Jani clauſit, exprimitur in Nummis apud *Antonium Auguſtinum* [5]. Sub Imperatoribus Chriſtianis duravit inſtitutum, itaque *Ammianus Marcellinus* [6] in geſtis Conſtantini Cæſaris memorat clauſum juſſu ejus Janum, & confer *Juſtum Lipſium* [7], *Berneggerum* [8], *Jacobum Meurſium* [9]. Ejus figura in foro Boario eſt apud *Joh. Baptiſtam de Cavalleriis* [10]. SATURNI Templum exſtruxit Tullus Hoſtilius, poſtquam Albanos & Sabinos devicerat, eratque in faſtigio ejus Triton cum buccina poſitus, *Macrobius* [11], *Jacobus Laurus* [12]. SOLIS & LUNÆ Ædes conſecravit Tatius Sabinorum Rex, *Dionyſius Halicarnaſ.* [13] Ab eodem fuerunt Ædes ORCI in regione undecimâ. LIBERI patris Ædes ſtabant extra Urbem in via Nomentana. Bacchi Templum eſt apud *Joh. Baptiſtam de Cavalleriis* [14]. TELLU-

(1) *lib.* IV. *Carm.* 15. (2) *lib.* 1. *Æneid.* (3) *lib.* VI. *Hiſtor. cap.* 10. (4) *lib.* 11. *cap.* 22. (5) *Tab.* 21. *num.* 10. 11. 6) *lib.* 11. *cap.* 22. (7) *in Electis lib.* 11. *cap.* 20. (8) *Notis ad Suetonii Auguſtum pag.* 103. (9) *in Iconibus Romæ nove pag.* 273. (10) *lib.* 11. *Antiquitat. Romanar. Tab.* 1. (11) *lib.* 1. *Saturnal. cap.* 8. *lib.* 11. *cap.* 6. (12) *part.* 1. *Antiq. Roman. num.* 29. (13) *lib.* 1. (14) *lib.* 11. *Antiquitat. Romanar. Tab.* 9.


HERCVLI ROMANO DD
L. HERODES.
HERCVLI S AEDES IVXTA TIBERIM

LURIS Fanum unum erat in monte Palatino, alterum in Aventino. Meminit Ovidius[1]:

Huic Remus inſtiterat fruſtra, quo tempore fratri
Prima Palatinæ regna dediſtis aves,
Templa patres illic oculos exoſa viriles
Leniter acclivi conſtituere jugo.

& utrumque pingit *Jacobus Laurus*[2].

VIII HERCULIS Ædes plurimæ erant, ad portam Trigeminam, in monte Quirinali, in foro Boario, in Circo Flaminio, ut pingit *Jacobus Laurus*[3] CASTORIS & POLLUCIS Templum Senatus conſtruxit in honorem Fratrum geminorum, quod duo juvenes equis vecti apparuiſſent in acie Romanorum adverſus Latinos pugnantium, ac hoſtes in fugam compuliſſent, *Livius*[4], *Dionyſius Halic.*[5], *Suetonius*[6]. ÆSCULAPII Templum erat extra Urbem, & vocabant *Æſculapium*. Suetonius[7]: *Cum quidam ægra & affecta mancipia in Inſulam Æſculapii tædio medendi exponerent.* Nimirum ibidem incubabant ægroti valetudinis cauſâ, ut per ſomnium monerentur de remediis pro valetudine recipiendâ adhibendis, & in eodem Fano remedia monſtrata aut ſomniata in tabulis notabant, gratias agebant, vota ſolvebant, *Strabo*[8], *Philoſtratus*[9], *Herodianus*[10], *Janus Gruterus*[11], *Georgius Fabricius*[12]. Et qui morbo liberatus non erat, apud *Plautum*[13]. Deum accuſat:

Migrare certum eſt jam nunc è Fano foras,
Quando Æſculapii ita ſentio ſententiam,
Ut qui me nihil faciat, nec ſalvum velit.

Depingunt *Jacobus Laurus*[14], *Johan. Jacobus Boiſſardus*[15], *Jacobus Meurſius*[16], *Joh. Baptiſta de Cavalleriis*[17]. Stabat

(1) *lib.* v. *Faſtor.* (2) *part.* 2. *Antiquitat. Rom. num.* 26. *part.* 3. *n.* 14. (3) *part.* 1. *Antiquit. Roman. n.* 28. (4) *lib.* 11. (5) *lib.* VII. (6) *lib.* VI. *cap.* 1. (7) *lib.* V. *cap.* 25. (8) *lib.* VIII. *Geograph.* (9) *in Apollonio lib.* 1. *cap.* 5. (10) *lib.* IV. *Hiſtor.* (11) *in Volumine Inſcriptionum è marmoribus Romanis pag.* 71. (12) *in Deſcriptione Romæ p.* 85. (13) *in Curculione Act.* 2. *ſc.* 1. (14) *part.* 1. *Antiquitat. Roman. num.* 18. (15) *part.* 2. *Antiquitat. Roman. cap.* 9. *tab.* 13. (16) *in Iconibus Romæ novæ pag.* 137. (17) *lib.* 11. *Antiquitat. Romanar. Tab.* 18.

bat in Insulâ Tiberinâ quæ ab eo tempore esse cœpit, cum Reges Urbe ejecti sunt, opes eorum direptæ, ager Marti consecratus, segetes ab agris projectæ in Tiberim velut exsecrabiles, fueruntque tantæ ut in medio ejus alveo constiterint, porro aquis restagnantibus & a concursu arenarum inhibitis effectum est, ut Insula Tiberina prodiret, ubi Delubrum Æsculapio positum est, ac Divo illi consecrata, addito Nosocomio pro his qui valetudine infirmâ essent, *Bartholomæus Marlianus* [1], *Bernhardus Gamuccius* [2], *Aristides* [3], *Caspar Gevartius* [4]. QUIRINI Templum in colle Quirinali erat, & non procul inde sepulchrum ejus, memoriæ sanctissimæ apud posteros. Depingunt *Jacobus Laurus* [5], *Jacobus Meursius* [6]. VERTUMNI Templum erat in vico Thusco.

IX. Templorum quædam simulacra erant armaria illa, in quibus Idola reposita *minori formâ (icunculas* vocat *Suetonius* [7]) stabant ut possent ubique & clanculum circumferri pro cultu adhibendo. Locus est *Actor.* [8] Ἀρτεμιδος ναὸς ἀργυροῦς Ἀρτέμιδος. Colebatur Diana in urbe Epheso, Dearum maxima, & ναοὶ sunt armariâ illa ubi reponerentur Divæ ejus Simulacra parva, ne aliquid perfecto cultui deesset. Recte ita monet *Erasmus* [9], & sequuntur *Casaubonus* [10], *Pricæus* [11]. Negat vero Beza [12]: *Non video*, ait, *quomodo arculæ istæ ναοὶ possint dici, nisi idoneis testibus probetur, Templi specie fuisse fabricatas, quod mihi ne verisimile quidem videtur. Simpliciter accipio, Demetrium hunc Templa argentea Dianæ solitum producere, id est, aut in nummis aut in aliis imagunculis celeberrimi illius Templi typum repræsentare.* Reponimus *Bezæ*, nisi idoneis testibus probetur, ejusmodi Nummos olim fuisse, non videmus, unde sententia illa

(1) *in Topographiâ urbis lib.* VII. *cap.* 6. (2) *lib.* IV. *Antiquitat. Romanar. pag.* 180. (3) *in Orationibus sacris.* (4) *Commentariis ad Numismata Imperatorum pag.* 72. (5) *part.* I. *Antiquit. Roman. n.* 25. (6) *in Iconibus Romæ veteris pag.* 96. (7) *lib.* VI. *cap.* 56. (8) XIX. 24. (9) *in Notis.* (10) *Annotatis ad h. l. pag.* 451. (11) *Notis ibid.* (12) *in Notis magnis pag.* 91.

la defendi poſſit. Atqui Ædiculas ex auro vel argento confectas indigitari, plurimis optimæ fidei Scriptorum teſtimoniis probabitur. νεὼς Ἥρας βραχὺς ὅπλα τραπέζης ἔνδον eſt apud *Dionem Caſſium* [1], & apud eundem [2], eſt νεὼς μικρὸς ἦν ἐν αὐτῷ ἀετὸς χρυσοῦς. De quo inſigni loco diſſeremus porro *infra* [3]. Erat aurea vel argentea effigies Aquilæ in ſacrario conſtitutæ. Id Sacrarium imponebatur haſtæ, quæ ex parte inferiori acuta erat, quo in terram defigi poſſet. Meminit tum Aquilæ argenteæ, tum Sacrarii ejus *Cicero* [4]. Ναΐσκους & πινακοθήκας refert *Strabo* [5]. Sunt ergo ναοὶ ἄγγροι Templi ejus præclari εἰκονισμοὶ, & in illis Diva ipſa tutelaris velut cultoribus ſuis. Καὶ πήσας αὐτῷ ἄξιον οἴκημα, ἐν τοίχῳ ἔθηκεν αὐτὸ, *Sapient.* [6], οἴκημα eſt Ædicula. Tertullianus [7]: *Si Templum, ſi Aram, ſi Ædiculam ejus inſtruxeris.* Aliud eſt Templum, aliud Ædicula, Apulejus [8]: *In ipſo fere meditullio Hipponiæ Deæ ſimulachrum reſidens Ædiculæ, quod accurate corollis roſeis equidem recentibus fuerat ornatum*, & confer *Janum Gruterum* [9]. Nam quod *Juſtus Lipſius* emendare vult, *reſidens ſedicula*, non ita bene factum eſt, uti monet *Johannes Brantius* [10]. Fiebant etiam è ligno Fanula iſta, *Herodotus*, τὸ δὴ ἄγαλμα ἐὸν ἐν νηῷ μικρῷ ξυλίνῳ καπακεχρυσωμένῳ περικυμίζεσι. Et tunc erant inaurata, quod nos docet *Herodotus* verbis modo allegatis. *Inſcriptio* Arciſatenſis: MERCURIO. L. COMINIUS. POLLIO. MILES. LEG. XIII. GEM. BENEFICIARIUS. LEGATI. CONSULAR. ARAM. ET. TECTUM. V. S. L. M. *Gruterus* [11]. Hic *tectum* eſt Ædicula, non quidem portatilis ea, ſed quæ loco fixa protegebat ſtatuam a tempeſtatibus, & reverentiam conciliabat. *Inſcriptio* Vogeſenſis: DEO. MERCURIO. ATTEGIAM. TEGULITIAM. COMPOSITAM. SEVERINIUS. SATULLINUS. C. F. EX. VOTO. POSUIT. L. L. M. *Gruterus* [12]. *Attegia* eſt caſula in

(1) *lib.* XXXIX. (2) *lib.* XL. (3) *lib.* III. *cap.* 1. *diſt.* 6. (4) *Catilinariâ* 1. & 2. (5) *lib.* XIV. *Geograph.* (6) XIII. 15. (7) *de Idololatriâ.* (8) *lib.* III. *Mileſiar.* *pag.* 141. (9) *lib.* VI. *Suſpicionum cap.* 4. (10) *Notis ad Apulejum pag.* 94. (11) *in Volumine pag.* 51. *num.* 4. (12) *l. d. pag.* 54. *num.* 11.

in modum fanuli, ſed lapidea, unde *tegulitiam* vocat.

CAP. IX.

De Cerimoniis Sacrorum.

I. CERIMONIAS vocabant cultus externos, quorum ope Sacra poſſent expedire commode & rite. Antiquum verbum eſt *Cerus*, id eſt, ſanctus & ſacer quoniam Cerimoniæ veluti inſtrumenta erant, & adminicula pro excitanda cordis devotione. Atque indidem *Cere* eſt. Virgilius [1]:

Qui Cerete domo. ——— ———

Erat a Pelaſgis condita in Hetruria, religioſis cultibus celebris, de qua meminerunt *Strabo* [2], *Juſtinus* [3], atque eandem urbem *Livius* [4] vocat, *Sacrarium Populi Romani, diverſorium Sacerdotum, ac receptaculum Romanorum Sacrorum.* Plura habent *Joſephus Vicecomes* [5], *Johan. Gerh. Voſſius* [6]. Quod enim *Stuckius* [7], originem vocis petit ab Ebræo חרם *devovere*, non placet.

II. Sub initio Sacrorum inclamabat Præco, *Hoc age*, *Plutarchus* [8]. Agere debebant præſentia intentiſque animis in eam rem & cogitationem incumbere, ne perfunctorie & obiter, præſentes corpore, abſentes animo, darent operam Sacris, praviſque cogitationibus aut abſtraherent ſeipſos aut alios exemplo ſeducerent, προσέχειν τοῖς ἱεροῖς ἢ μηδὲν ἔργον ἐμβαλεῖν μεταξὺ, μηδὲ χρείαν ἀσχολίας ait *Plutarchus* [9]. Hoc eſt quod alias docebant: FAVETE ANIMIS. Et addebant: FAVETE LINGUIS. Poëtarum teſtimonia ſunt multa. Horatius [10]:

Odi profanum vulgus & arceo
Favete linguis.

Vir-

[1] *lib.* X. *Æneid.* [2] *lib.* V. *Geog.* [3] *lib.* XX. *Hiſtor.* [4] *lib.* VII. [5] *lib.* I. *de Antiquis Baptiſmi Ritibus cap.* 2. [6] *in Lexico Etymologico pag.* 88. [7] *de Sacris & Sacrificiis Gentilium pag.* 3. [8] *in Numa.* [9] *in Vitâ Coriolani.* [10] *lib.* III. *Carm.* I.

Virgilius [1]:

Ore favete omnes. —— ——

Martialis [2]:

Linguis omnibus & favete votis.

Tibullus [3]:

Dicamus bona verba, venit natalis ad aras,
Quisquis ades, linguæ vir mulierque fave.

Certe non licebat eis esse garrulis, qui aderant, sed attenti compressa voce audiebant: aut si dicere vellent, non quidem aliena, sed præsentia unice curanda erant. Hoc erat, parcere verbis male ominatis, itaque precibus ad Deos recitatis gratia eorum poscebatur. Ovidius [4]:

En Deus est, Deus est, animis linguisque favete,
Quisquis ades, dixit. ——

Et [5]:

Prospera lux oritur, linguis animisque favete,
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

Et [6]:

Concipiamque bonas ore favente preces.

Horatius [7]:

—— —— *Vos o pueri & puellæ*
Jam virum expertæ male ominatis
Parcite verbis.

De eadem re Tacitus [8]: *Quem enim diem vacuum pœna, quum inter Sacra & vota, quo tempore verbis etiam profanis abstineri mos esset, vincula & laqueus inducantur?* ubi vide *Justum Lipsium* [9]. Et Propertius [10]:

Sacra facit vates, sint ora faventia sacris.

Græci dicebant εὐφημεῖν. Vetabantur ore proferre, quod mentem è divinis alienam esse arguebat. Confer *Josephum Castalionem* [11], *Torrentium* [12], *Dan. Heinsium* [13], *Casaubonum* [14], *Brissonium* [15]. III. Stan-

[1] *lib.* v. *Æneid.* [2] *lib.* x. *Epigram.* 87. [3] *lib.* II. *Eleg.* 2. [4] *lib.* v. *Metamorphos.* [5] *lib.* I. *Fastor.* [6] *lib.* III. *Trist. eleg.* 7. [7] *lib.* III. *Carm.* 14. [8] *lib.* IV. *Annal.* [9] *in Annotatis num.* 152. [10] *lib.* IV. *Eleg.* 6. [11] *in Observationibus Decad.* 2. *cap.* 10. [12] *Notis ad Horatium pag.* 183. [13] *Notis ad Silium Italicum pag.* 149. [14] *Notis ad Theophrasti charact. pag.* 131. [15] *lib.* I. *Formul. pag.* 8.

III. Stantes decenti corporis habitu eoque modeſto, venerabantur Deos. Sæpius incurvati ſalutabant & facie terram propenſa. Geniculantes quoque procumbebant, capite operto ſemper & oſculis dexteræ impactis, (quod Simulacra in altum collocata ore premere non poſſent) illa cum gaudio projiciebant ſurſum, Idola verſus. Sedebant in luctu, & cum maxime turbati opem Deorum appeterent. Tibullus[1]:

Illius ad tumulum fugiam, ſupplexque ſedebo.

Quod ſtantes venerabantur, eſt teſtis Martialis[2]:

Multis dum precibus Iovem ſalutat
Stans. —— ——

IV. Capite operto promiſcui (nam & Sacrorum Miniſtri, quique eos occaſione aliquâ imitari velle videbantur, caput velabant) adſtabant. οὐ θεὸς προσκυνοῦντες ἀπακαλύπτουται τὴν κεφαλὴν, ait *Plutarchus*[3], & ſunt exempla talia in *Sacris Literis*, *Exodi.*[4], 1. *Reg.*[5]. Plautus[6]:

Quis hic eſt, qui operto capite Æſculapium
Salutat? —— ——

Et vide *infra*[7]. Morem abrogaverunt Chriſtiani, adeoque *capite nudo precari voluiſſe*, refert Tertullianus[8], *quia non erubeſcerent*. Nimirum mares. Aliter fœminæ quæ capite operto intererant Sacris, unde eſt illa Apoſtoli informatio, quam ſecundum mores optimarum Gentium præſcribit, 1. *Corinth.*[9]. De quo pluribus agunt *Benedictus Juſtinianus*[10], *Ludov. Capellus*[11], *Salmaſius*[12].

V. Idola fere in baſi collocata nominem admittebant propius, ut ſive ore ſive manibus contingere poſſet. Ergo dexteram ori admoventes oſculum labiis premebant, & ad Numen projiciebant. Loca ſunt in *Sacris Literis* 1. Reg.[13] *Et omne os quod non adoravit Babalem oſcu-*

(1) *lib.* II. *Eleg.* 7. (2) *lib.* XII. *Epigram.* 78. (3) *in Quæſtionibus Romanis.* (4) III. 6. (5) XIX. 13. (6) *in Curculione Act.* III, *ſc.* 1. (7) *cap.* XII. (8) *in Apologetico.* (9) XI. 4. 5. (10) *in Commentario pag.* 549. (11) *in Spicilegio pag.* 87. (12) *de Comâ.* (13) XIX 18.

oſculans manum. Illud *manum* addit *Interpres Romanus*, cum non ſit in Ebræo, verum non male explevit ſenſum. Jobi [1]: *Si vidi Solem cum fulgeret & Lunam incedentem clare, & oſculatus ſum manu meâ os meum.* *Vatablus* [2] explicat: *Tacui apud me.* Caſtalio [3]: *admirabundus & tacitus Solem adorarem.* Quaſi eſſet, ut alibi, *digito compeſce labellum.* Impertinens vero eſt, itaque ad præſens negotium referunt *Aben Eſdras*, *Cocchius*, *Tremellius*, *Pineda*, *Vinarienſes Scholiaſtæ.* Negat *Jobus*, quod Solem adoraverit unquam, exemplo profanarum Gentium *, ut oſcula manu exciperet ac verſus aſtra jaceret. Hoſeæ [4]: *Homines qui ſacrificant, vitulos oſculantur.* Eo modo, ut dictum eſt & conſentit *Rivetus* [5]. Autorum verba manifeſta ſunt. Minutius Felix [6]: *Cæcilius Simulacro Serapidis notato, ut vulgus ſuperſtitioſus ſolet, manum ori admovens oſculum labiis preſſit.* Apulejus [7]: *Si Fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratiâ manum labris admovere.* Lucianus [8]: *Ego ſperabam ſic futurum* τὴν χεῖρα τῷ στόματι προσαγόντα *& cum ille manum ori admovet, ut adoraret Deos.* † Ab illo more eſt quod hodieque conſuevimus, ut in ſalutandis viris honoratis noſtram ipſi manum ori admovere ſolemus *baiſe les mains*, ut Galli vocant, *Antonius Muretus* [9], *Lipſius* [10], *Turnebus* [11], *Scipio Gentilis* [12], *Caſpar Barthius* [13]. Nec tantum cum Sacris aderant, verum etiam cum aliquod Fanum præterirent, aut Lignum Lapidemve aliquem effigiatum, unctum, ſertisque coronatum proſpicerent, quod Numini conſecratum

* Lucianus *de Saltation. p.* 792. Ἔνδοι ἐπειδὰν ἔωθεν ἀνασταίης προσεύχονται τὸν ἥλιον, οὐχ' ὥσπερ ἡμεῖς τὰν χεῖρα κύσαντες ἀγόμεθα ἐντελῆ ἡμῶν εἶναι τὴν εὐχήν, ἀλλ' ἐκεῖνος &c.

† Idem *de Sacrif.* 368. ὁ δὲ πίτης ἠσπάσατο τὸν θεὸν, φιλήσας μόνον τὴν αὐτοῦ δεξίαν.

(1) XXXI. 26. 27. (2) *in Notis.* (3) *in Notis. pag.* 609. (4) XIII. 2. (5) *Commentar. b. l. pag.* 394. (6) *in Octavio.* (7) *in Apologiâ priore.* (8) *in Encomio Demoſthenis.* (9) *lib.* X. *Variar. Lect. cap.* 1. (10) *lib.* II. *Elector. cap.* 6. (11) *lib.* I. *Adverſar. cap.* 17. *lib.* XXII. *cap.* 23. (12) *Commentario ad Apuleji Apologiam pag.* 280. (13) *lib.* XXXII. *Adverſarior. cap.* 13.

tum eſſet, Geniumve tutelarem deſignaret manum ad os referre, Deosque ut faverent, ſervarent, juvarent, voce leni rogabant. * Tibullus [1]:

Nam veneror ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in trivio florea ſerta Lapis.

Venerari eſt oſculis honorare, & vide quæ ad hæc verba *Jacobus Nicolaus Loënſis* [2] monet. Propertius [3]:

Et quicunque ſacer, qualis ubique Lapis.

Lubricatum Lapidem & ex olivi unguine irrigatum, refert *Arnobius* [4], (ubi vide *Elmenhorſtium* [5]) Porro *effigiatos, unctos & coronatos Lapides*, habet Minutius Felix [6]: *Truncus dolamine effigiatus & Lapis unguine delibutus* eſt apud *Apulejum* [7]: Παντα λιθον λιπαρον περισπωντες, ait *Clemens Alexand.* [8] † Lapides illos proprio nomine vocabant βαιτύλους, idque prodit moris originem, videlicet exemplum Jacobi in Bethel, *Geneſ.* [9] *Auguſtinus* [10]. Quanquam abuſus corruperit factum, ut notant *Joſephus Scaliger* [11], *Julius Cæſar Bulengerus* [12], *Johan. Gerh. Voſſius* [13]. Cæterum Simulacro ipſi oſculum figebant, quando ita commode fieri poterat. Unde *Cicero* [14] ait, æneum Herculis Simulacrum, attritum habuiſſe mentum & rictum, ab iis qui ad illum adoraturi venerant, *quia in precibus & gratulationibus non ſolum adorare, ſed etiam oſculari ſolent.*

VI. Quod geniculantes procubuerint, exemplo ſunt a Pœnis miſſi Legati, *qui ubi in caſtra venerunt, more ado-*

* Lucianus *Pſeudomant.* 766. τα περι τους θεους παντυ νοσων, και αλλοκοτα περι αυτων πεπισρωκως, ει μονον απλιμμενον πε λιθον, η ιστεφανωμενον θεασαιτο, προς πιπλων αει και προσκυνων, και επι πολυ παρεστως, και ευχομενω και τ'αγαθα παρ' αυτου αιτων. Idem *Concil. Deor.* 714. τοιγαρουν ουκ ετι συ, ω Απολλον, ευδοκιμεις, αλλα ηδη πας λιθος και πας βωμος χρησμωδει, ος αν ελαιω περιχυθη, και στεμμασι εχη, και γοητος ανδρος ευποριση, οιοι πολλοι εισι.

† Vide Theophraſtum *Charact.* c. 17. ibi Caſaubonum.

(1) *lib.* I. *Eleg.* I. (2) *lib.* II. *cap.* 18. (3) *lib.* I. *Eleg.* 4. (4) *lib.* I. *Adv. Gentes pag.* 22. (5) *in Obſervationibus pag.* 37. (6) *in Octavio.* (7) *lib.* I. *Floridor.* (8) *lib.* VII. *Stromat.* (9) XXVIII. 18. 19. (10) *lib.* XVI. *de Civit. Dei cap* 38. (11) *in Animadverſ. Euſebianis pag.* 188. (12) *lib.* I. *de Pictura ſtatuariâ pag.* 54. (13) *in Lexico Etymologico pag.* 60. (14) *lib.* IV. *in Verrem.*

adorantium procubuerunt, dicente *Livio*[1]. In *Sacris* exempla ſunt *Matth.*[2] *Actor.*[3] Et porro ad Reges, qui velut Numina viſibilia ſunt, honor tranſlatus eſt. Amalecita venit ad Davidem, corruit in terram & incurvavit ſe illi, 2. *Samuel.*[4] Regiam Davidis majeſtatem, quæ illi poſt Saulis obitum debebatur, veneratus. Proſtrato corpore venerari Regem, Perſis mos erat, & vocabant προσκυνεῖν, *Juſtinus*[5], *Cornelius Nepos*[6]. Nempe divinum aliquid Regibus ſuis tribuebant populi, τῶν θεῶν εἴδωλα ut *Plutarchus* loquitur. *Æſchylus*[7] luculenter hunc morem inducit, nec non *Euripides*[8]. De Rege Dario *Curtius*[9]: *Rex curru paulo ante vectus, & Deorum a ſuis honoribus cultus.* De Mardocheo ad ſummos, & regiis æmulos honores evecto eſt *in libro Eſthera*[10], ubi vide Druſii *Commentaria*[11]. Græci libertatis ſuæ tenaces eo modo neminem ſalutabant, ut *Herodotus*[12] & Hermolaus apud *Curtium*[13] docent. Europæis cæteris ignotum honorem ſoli Angli receperunt & Regibus ſuis obtulerunt. *Godelevius*[14] notat: *Permiſerunt ſe vere adorari Perſæ, Medi, Babylonii, deinde eum Diabolicum honorem appetivit Alexander, poſtremo & Romani Tyranni. Hinc Dion devicto Decebalo: Mox ad Trajanum deductus illum humi procumbens, ſuppliciter adoravit.* Inconſideratius agit, cum vocat *Diabolicum*, quod toto Oriente omnium Gentium moribus receptum erat, & vero Macedones urgendo patrios mores adverſus Regem ſuum, ethico rigore aliquo trahebantur verius quam ut politicâ liberalitate duci vellent. Scilicet Græcorum, quorum pars magna erant, libertate frui malebant, quam concedere in Perſarum mores. De Trajano excuſatur facile, quatenus perpetua conſuetudo fuit, ut victi, quando vitæ gratiam poſcunt, armis projectis in genua procumbant, & victoris clementiam votis ſeriis apprecentur.

(1) *lib.* XXX. *Hiſtor.* (2) XXVI. 39. (3) XX. 36. (4) I. 2. (5) *lib.* VI. (6) *in Vitâ Cononis.* (7) *in Perſis.* (8) *in Phœniſſis.* (9) *lib.* V. *cap.* 23. (10) *cap.* III. 2. (11) *pag.* 94. (12) *in Polymniâ.* (13) *lib.* VIII. (14) *Commentario ad Livium pag.* 192.

VII. Orabant Deos cœleſtes manibus *ad cœlum ſublatis*, quæ ſunt verba Horatii [1]:

——— ——— *Et ambas*
Ad cœlum tendit palmas. ———

Virgilius [2], nec non Lucretius [3]:

——— ——— *Pandere palmas*
Ante Deûm delubra. ——— ———

Τὰς χεῖρας ἀναχὼν εἰς τ' ἠέρνὸν, ait de Horatiorum patre *Dionyſius Halicarnaſ.* [4], & de Mario *Plutarchus* [5], νιψάμενον τὰς χεῖρας ἢ πρὸς τ' ἠέρνὸν ἀναχών. Idque fiebat εἰς ἱκετίας ἔμφασιν, monente *Heliodoro* [6]. Gentium omnium inter orandum habitus ille fuit, quatenus Deus eminenter in cœlo gloriam ſuam manifeſtat, *Pſalm.* [7]. Scriptor *libri de Mundo* [8]. πάντες ἄνθρωποι ἀνατείνομεν τὰς χεῖρας εἰς τ' ἠέρνόν. *Curtius* [9] de Dario, *ad Cœlum manus tendens*, & de Rege eodem *Athenæus* [10]. Δαρεῖος τοῦτο μαθὼν ἤυξατο, τῷ Ἡλίῳ τὰς χεῖρας ἀνατείνας. Rurſum *Curtius* [11] de Alexandro, *manus ad Cœlum tendens*. Προστύχεσθαι explicatur per illud ἐπαίρειν ὁσίας χεῖρας, 1. *Timoth.* [12], *Eſai.* [13], *Threnor.* [14], eſtque memorabile exemplum Moſis, *Exodi* [15], & Salomonis 1. *Regum* [16]. Pro Chriſtianis unum adducam Salvianum [17]: *Cur ad Cœlum quotidie manum tendimus*, (& *Conr. Rittershuſius* [18].) Vocabant, *manibus ſupinis precari*. Virgilius [19]:

Dicitur ante aras, media inter numina Divûm,
Multa Jovem manibus ſupplex oraſſe ſupinis.

Horatius [20]:

Cœlo ſupinas ſi tuleris manus.

Cœterum Deos Inferos manibus pronis, id eſt, terram verſus demiſſis orabant, ſcilicet contrario geſtu, (ut notat

[1] *lib.* II. *Sat.* 5. [2] *lib.* X. *Æneid.* [3] *lib.* V. [4] *lib.* III. [5] *in Vitâ ejus.* [6] *lib.* IX. *Æthiopic.* [7] CXV. 3. & CXXIII. 1. [8] *cap.* III. [9] *lib.* IV. *cap.* 25. [10] *lib.* XIII. *cap.* 8. [11] *lib.* VII. *cap.* 15. [12] II. 8. [13] I. 15. [14] III. 41. [15] XVII. 10. 11. [16] VIII. 45. [17] *lib.* III. *de Gubernatione Dei. pag.* 17. [18] *Commentario ad h. l. pag.* 87. [19] *lib.* IV. *Æneid.* [20] *lib.* III. *Carm.* 23.

tat *Euſtathius*[1],) itaque Aras ſubterraneas quoque ponebant illis. *Inſcriptio* Hiſpanica : PLUTONI. DEO. IN. LOCO. SUB. TERRA. COND. PERICULO. OCEANI. LIBER. ARAM. POSUIT. FABIUS. VICELIANUS. EX. VOTO. *Gruterus*[2].

VIII. Lacrymas addebant. *Manantibus lacrymis*, de Alexandro ait *Curtius*[3]. De viris notorium cumprimis eſt, operto capite fleviſſe. *Darius capite velato diu flevit*, Curtius[4], ac porro de eodem[5], *capite deinde velato, ne inter gemitus digredientem velut a rogo intueretur in humum pronum corpus abjecit*, ubi vide *Nicolaum Blancardum*[6]. Eodemque modo Rex David velavit caput quando flevit 2. *Samuel.*[7]. Meminit quoque *Iſocrates*[8]. De Petro eſt *Marci*[9], καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαιε. *Beza* vertit : *Et cum ſe proripuiſſet* (nempe foras) *flevit*. Eum refellit *Daniel Heinſius*[10], ſed vix melius quicquam profert. *Grotius*[11] annotat : *Non tantum recordatus eſt in animo eorum quæ Chriſtus dixerat, ſed præterea etiam fletu teſtatus eſt mœrorem.* Neque hoc valet. Conſtat vim Græcæ vocis neglectam eſſe plurimis Interpretibus, adeoque hoc dicit Euangeliſta, *& ſuperinjiciens flevit*. Docent *Salmaſius*[12], *Balduinus Walaus*[13], eſtque inter varias gloſſas collectore *Theophylacto*, ἐπικαλυψάμενος τῷ κεφαλῷ. *Superinjiciens*, id eſt, capite obvoluto, quomodo ſolebant viri, cum lacrymas cierent, operire faciem. Hoc volebat Timanthes pictor, qui Agamemnonem depingebat, ut faciem velatam haberet, quando Iphigenia debebat immolari, teſte *Plinio*[14]. Scilicet indecens videri quidem poſſet, verum quis vetet, cum ſic fluit natura ? Locus de Hebræis eſt 1. Samuel.[15] : *Hauſerunt aquam & effuderunt coram Domino*. Exponunt Chaldæus interpres, Grotius, Tremellius[16] : *Aqua*

[1] *ad lib.* VI. *Iliad.* [2] *in Volumine pag.* 97. [3] *l. d.* [4] *l. d.* [5] *lib.* V. *cap.* 12. [6] *in Annotatis pag.* 471. [7] XV. 30. *cap.* XIX. 4. [8] *in Trapeziticis.* [9] XIV. 72. [10] *lib.* II. *Exercitat. ſacrar. cap.* 9. [11] *pag.* 548. [12] *de Fœnore trapezitico pag.* 272. [13] *Commentario perpetuo ad Euangelia pag.* 465. [14] *lib.* XXXV. *cap.* 10. [15] VII. 6. [16] *in Notis.*

qua effusa lacrymas copiosas denotat. Allegoria durior est, quam ut approbari possit. Rectius *Vinarienses Scholiastæ* & *Drusius*[1] volunt, cerimoniam legalem fuisse, quâ veras aquas hauriendo & fundendo repræsentaverint peccatorum remissionem, a Deo precibus seriis impetrandam: *Evanescant peccata nostra coram te, uti hæc aqua fusa.* Confer *Esai.* [2].

IX. Vultu conversо ad Orientem precabantur *, instituto antiquissimo a Chaldæis & Persis accepto, quod Romani retinebant. Virgilius[3]:

Illi ad surgentem conversi lumina Solem
Dant fruges manibus salsas. ——

Ubi confer notas *Danielis Heinsii*[4]. Tertullianus[5]: *Plerique vestrum ad Solis ortum labia vibratis.* *Apulejus*[6], de quodam precaturo ait: *Orientem obversus.* Latinus Pacatus Drepanius[7]: *Nam ut divinis rebus operantes in eam Cœli plagam ora convertimus, a quâ lucis exordium est.* Mutavit Abrahamus & eum secuti Hebræi ad Occidentem versâ facie oraverunt, ne perinde ut Gentes viderentur Solem venerari, quod testatur *Maimonides*[8], & vide *nostra Auctaria*[9]. Desertores legis aliter fecerunt. Locus est Ezechiel.[10]: *Adoratio virorum Orientem versus ad Solem ferebatur. Et dixit Deus, aversi sunt ad provocandum me, ecce autem applicant ipsi ramum ad nares suas.* Rem bene declarat *Hieronymus*[11]. Significat viros illos pro venerandis Idolis applicavisse ad nares suas ramos consecratos. Rami sunt οἱ θάλλοι, *infra*[12], & hujusmodi ramorum ad nares applicatio erat vice ejus, quod alias jaciebant oscula, *supra*[13]. Itaque *Clemens Alexandrinus*[14] dixit, ἡ τὸ τῶν θαλλῶν τῶν διδομένων τοῖς θεοποιοῖς. Rursum Christiani, tum ut a Judæis diversi

* Vide de la Cerda in 8. Æn. 69.

(1) *Commentario ad h. l.* (2) XLIV. 22. (3) *lib.* XII. *Æneid.* (4) *ad Silium Italicum pag.* 124. (5) *in Apologetico.* (6) *lib.* II. *Milesiar. pag.* 127. (7) *cap.* III. *Panegyrici ad Theodosium.* (8) *in Moreh Nevochim lib.* III. *cap.* 45. (9) *ad Pappum pag.* 223. (10) VIII. 16. 17. (11) *in Commentario.* (12) *cap.* XI. *distinct.* 19. (13) *distinct.* 5. (14) *lib.* V. *Stromatum.*

diverſi eſſent, ad Orientem vertebant faciem, & indidem eſt, quod Templa omnia condita ſunt ut Aræ ſpectent Orientem, *Clemens Alexandrinus* [1], *Paulinus* [2], *Damaſcenus* [3], & ex illis *Rodolfus Hoſpinianus* [4], *Polydorus Virgilius* [5], *Juſtus Lipſius* [6], *Johannes Durantes* [7], *Spondanus* [8]. Tum ut loca quædam Scripturæ de Meſſiâ prolata exprimerent devotione ſuâ. Tale eſt illud: *Vobis vero qui timetis nomen meum, orietur Sol juſtitiæ, Malach.* [9]. Alluſit Zacharias pater Baptiſtæ, *Lucæ* [10]: *Inviſit nos Oriens ex alto.* ἀνατολὴ hic ſane eſt Oriens, uti contra *Bezam* diſſerit *D. Heinſius* [11].

X. Nefas erat Deum Deamve alio quam nomine ſuo appellare, neque votum obtinebat qui vel nomen mutabat vel Deum pro Deâ ſupponebat. Et cum ambigerent, modeſte diſſimulabant nomen aliquod proprium, dicebant vero illud: QUISQUIS ES. Ovidius [12]:

Sic ubi diſpoſitam quiſquis fuit ille Deorum.

Aut illud: *Si Deus, ſi Dea es.* Vel aliter: *Sive tu Deus es, ſive tu Dea es.* Docent hoc *Arnobius* [13], *Petrus Victorius* [14], *Jacobus Pontanus* [15], *Ludovicus Carrio* [16], *Boxhornius* [17], & exempla ſunt apud *Virgilium* [18], *Plautum* [19], *Catonem* [20], *Aulum Gellium* [21], *Macrobium* [22]. *Inſcriptio* Romana: SIVE. DEO. SIVE. DEÆ. C. TER. DEXTER. EX. VOTO. POSUIT. *Gruterus* [23]. Vel denique congerebant omnia nomina & cognomina, ut ſi non prodeſſent ſingula, juvarent plurima atque ita in arbitrio eorum ponebant, vellent adſciſcere è multis nomen illud, quo maxime delectantur. Coronis uſitata

(1) *lib.* VII. *Stromat.* (2) *Epiſt.* 12. (3) *lib.* V. *Orthod. fidei cap.* 13. (4) *in Hiſtoriâ Sacrament. lib.* III. *pag.* 226. 227. (5) *de Inventor. Rerum lib.* V. *cap.* 9. (6) *Notis ad Tacitum lib.* III. *Hiſtor. num.* 33. (7) *lib.* I. *de Ritibus Eccleſiaſticis cap.* III. *num.* 4. 5. 6. (8) *in Epitomâ Annal. Baronii pag.* 87. 102. (9) IV. 2. (10) I. 78. (11) *lib.* III. *Exercit. cap.* I. (12) *lib.* I. *Metamorph.* (13) *lib.* III. *Adverſus Gentes pag.* 104. (14) *lib.* XIII. *Variar. Lect. cap.* 2. (15) *in Bellariis Atticis pag.* 309. (16) *lib.* I. *Emendat. c.* II. (17) *Notis ad quæſt. Roman.* 13. (18) *lib.* IV. *Æneid.* (19) *Rudentibus Act.* I. *ſc.* 4. (20) *de re Ruſticâ cap.* 139. (21) *lib.* II. *cap.* 28. (22) *lib.* III. *Saturnal. cap.* 15. (23) *in Volum. pag.* I.

precum erat ista : *Seu quo alio nomine invocare volueris.* Hæc est illa βαττολογία, quam prohibet Christus *Matth.*[1], ubi vide *Grotium*[2], *Casaubonum*[3], *Dilherrum*[4]. Quia enim dubitabant, an satis oportune Deos suos compellarent gravioribus negociis forte implicitos, vel quia non semper domi essent, nec omnibus, ut magnus ille quorumvis Sacrorum insectator *Lucianus* dicebat, ergo vel pudorem incutere illis agmine precum, vel nominum multitudine placere illis volebant, unde illæ apud *Homerum*, *Orpheum*, *Pindarum* orationes informes & multiformes, quia fere solis nominibus & cognominibus absolvuntur. Estque simile carmen seculare ab *Horatio* scriptum[5]. Reprehendit etiam ille apud Terentium :

Ohe jam desine Deos uxor obtundere gratulando
Tuam esse inventam gnatam, nisi illos tuo ex ingenio judicas,
Ut nihil credas intelligere, nisi idem dictum est centies.

XI. Ut eo major precum effectus esset, genibus perreptabant delubra. *Dion.*[6] de Cæsare triumphante, οὐκ ἀναβαθμὲς οὐκ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ τοῖς γόνασιν ἀνεβρίχησατο. Tibullus[7] :

Non ego tellurem genibus proverrere supplex
Et miserum sancto tundere poste caput.

Proverrere legit *Janus Gebhardus*[8], quod *perrepere* est in editione *Scaligeri*, verum sensus non variat. Juvenalis[9] :

——— ——— *Inde Superbi*
Totum Regis agrum nuda ac tremebunda cruentis
Ereptet genibus. ——— ———

Et addit :

——— ——— *Si candida jusserit Io,*
Ibit ad Ægypti finem, calidasque petitas
A Meroë potabit aquas. ——— ——— Per-

(1) VI. 7. 8. (2) *in Annotatis pag.* 140. (3) *Exercitat.* XIV. *sect.* 8. (4) *Tom.* 1. *Disputationum Philologicarum pag.* 189. (5) *in fine Epodon.* (6) *lib.* XLIII. (7) *lib.* 1. *Eleg.* 5. (8) *in Animadversionibus ad h. l. pag.* 22. (9) *Sat.* 6.

Pertinet ad ſomnia quæ Io ſive Iſis & Oſiris credebantur immittere illis, qui in Fanis dormiebant, *ſupra* [1], Arnobius [2]: *Cum per omnia ſupplices irent Templa, cum Deorum ante omnium ora proſtrati, limina ipſa converrerent oſculis*, & Heraldus [3]. Id *templa verrere* Livius appellat [4]. *Claudianus* [5]:

Numinibus votiſque vacas, & ſupplice crine
Verris humum. —— ——

Silius Italicus [6]:

Verrunt tecta Deûm. —— ——

Verrunt crinibus ſcilicet, & conf. *Dan. Heinſium* [7]. Similiter *Polybius* [8], σπλύνουσι ταῖς κόμαις τὰ τῶν ἱερῶν ἐδάφη.

XII. Et porro Aris advolvebantur, aut ſaltem eas tangebant, Virgilius [9]:

Talibus orantem dictis Araſque tenentem.

Et [10]:

Talibus orabat dictis, Araſque tenebat.

Horatius [11]:

Immunis Aram ſi tetigit manus.

Plautus [12]:

Te obſecramus, Aram amplexantes.

Propertius [13]:

Nunc o Bacche tuis humiles advolvimur Aris.

Credebant, Aris ineſſe maximam religionem, ita ut etiam ibi fontes vel qui adverſus vim injuſtam alias tuti eſſe non poterant, vitæ gratiam quærerent, ne a lictoribus corriperentur Tibullus [14]:

Sed Veneris ſanctæ conſidam vinctus ad Aram,
Hæc notat injuſtos, ſupplicibuſque favet.

Βωμοὶ θεῶν τῶν δέλων καταφυγὴ ſunt apud *Euripidem* [15]. De Joabo eſt exemplum, 1. *Reg.* [16] quod tamen non juva-

(1) *cap.* v. *diſt.* 2. (2) *lib.* I. *Adv. Gentes pag.* 29. (3) *in Animadverſis pag.* 47. (4) *lib.* III. *Hiſtor.* (5) *de Laudibus Serenæ.* (6) *lib.* VI. (7) *Notis ad Silium pag.* 90. (8) *lib.* VIII. (9) *lib.* IV. *Æneid.* (10) *lib.* VI. *Æneid.* (11) *lib.* III. *Carm.* 23. (12) *in Rudent. Act.* III. *ſc.* 1. (13) *lib.* III. *Eleg.* 15. (14) *lib.* IV. *Eleg.* 12. (15) *in Andromachâ.* (16) II. 28.

juvabat homicidam & perduellem, *Exodi* [1]. Nimirum credebant, Aras & Simulacra præsentium Deorum testimonia certissima esse. Pausaniæ amicus Argilius resignatæ epistolæ, qua continebantur arcana, reus, cum se vitæ periculum apud dominum iratum certo incurrisse novisset, *in Neptuni Fanum confugit, quod Tænari est & violari nefas Græci putant*, ait *Cornelius Nepos* [2]. Et paulo post, *eo ille index confugit, in Aræ consedit.* Deinde, *quem cum supplicem Dei videret in Aræ sedentem.* De Pausaniâ ipso capitis accusato, *in ædem Minervæ confugit*, estque idem apud *Aelianum* [3]. Similiter Florus [4]: *Quintius Mutius Scævola Pontifex Vestales amplexus Aras.* Et confer *Cœlium Rhodiginum* [5], *Alexandrum Neapolitanum* [6].

XIII. Ut in precibus publicis Aras, ita in privatis precibus aut Mensam aut Postes domus interponebant. Nam illa quidem sacrata erat Genio, hæ vero in Larium tutelâ sancta. Quod tangerent Mensam, testatur Ovidius [7]:

Tange manu Mensam, tangunt quo more precantes.

Serviebant argumento huic flores, serta, coronæ, quas Postibus imponebant, Virgilius [8]:

Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant,
Amplexæque tenent Postes atque oscula figunt.

& confer *Turnebum* [9].

XIV. Ne quid Deorum memoriâ excideret, vota sua & preces in tabellâ scriptas cera consignare atque ita Deorum statuis affigere solebant. Petronius [10]: *Nam & mihi simulacrum Neptuni, quod Bajis ter stylo notaveram, videbatur dicere, in navi Lycæ Gitonem invenies.* Dicit, Tryphenam vota nuncupavisse Neptuno, eaque in simulacro ejus cerâ perlito exaravisse stylo acuto. Juvenalis [11]:

Ergo

(1) XXI. 14. (2) *in Viris.* (3) *lib.* IX. *Variæ Historiæ cap.* 41. (4) *lib.* III. *cap.* 21. (5) *lib.* VI. *cap.* 13. (6) *lib.* III. *cap.* 20. (7) *lib.* I. *Amorum eleg.* 4. (8) *lib.* II. *Æneid.* (9) *lib.* XII. *Adversar. cap.* 5. (10) *in Satyrico pag.* 124. (11) *Sat.* X.

Ergo ſupervacua hæc aut pernicioſa petuntur,
Propter quæ fas eſt genua incerare Deorum.

Incerare, id eſt, in tabellis cerâ obductis deſcribere & ad Deorum genua apponere. Hunc ſenſum malim cum *Farnabio* [1], *Turnebo* [2], *Jano Guilhelmo Laurenbergio* [3], *Jacobo Pontano* [4], *Johan. Gerhard. Voſſio* [5], nec placet gloſſa alia *Ramireſii* [6]. Indidem eſt illud Prudentii [7]:

——— —— *Genua incerare Dianæ.*

Pro quo vulgo legitur *genua incurvare Dianæ*, ſed corrupte. Quamobrem *Prudentius* [8] idem dixit, *ſaxa illita ceris. Adſignatam orationem* vocat *Tertullianus* [9]. Apulejus [10]: *Votum in alicujus Statuæ femore aſſignaſti.* Et Propertius [11]:

Impoſuit proræ publica vota tuæ.

Senſu eodem: nam in prorâ erat Tutela navis, adeoque vota ibi affigi debebant. Et confer *Janum Rutgerſium* [12].

XV. Quæcunque rogaverant, ea ut rata eſſent, Diis propitiis, precabantur. Martialis [13]:

Di tibi dent quicquid Princeps Trajane mereris,
Et rata perpetuo, quæ tribuêre velint.

Inſcriptio Romana: DIIS. PROPITIIS. M. ACTINII. VIVATIS. *Gruterus* [14]. Quid hoc loco notet *vivatis*, dicetur *infra* [15]. Rebus proſpere ac feliciter geſtis grates Diis agebant, & in Templis appendebant pro memoriâ ad poſteros teſtimonium rei factivæ. *Inſcriptio* Veronenſis: DEO MAGNO. ÆTERNO. L. STATIUS. DIODORUS. QUOD. SE. PRECIBUS. COMPOTEM. FECISSET. V. S. L. M. *Gruterus* [16]. Juvenalis [17]:

Et quam votivâ teſtantur ſana tabella
Plurima. ——— ——— M 5 Et

(1) *in Notis pag.* 93. (2) *lib.* XXX. *Adverſar. cap.* 19. (3) *in Antiquario pag.* 225. (4) *in Bellariis Atticis pag.* 421. (5) *in Lexico Etymolog. pag.* 124. (6) *Notis ad Martialem pag.* 121. (7) *in Apotheoſi pag.* 282. *Operum.* (8) *lib.* 1. *Contra Symmachum.* (9) *de Oratione.* (10) *in Apologiâ priori pag.* 309. (11) *lib.* IV. *Eleg.* 6. (12) *lib.* V. *Variar. Lection. cap.* 5. (13) *lib.* X. *Epigram.* 34. (14) *in Volumine pag.* 4. *n.* 9. (15) *lib.* II. *cap.* 1. *diſt.* 4. (16) *l. d. pag.* 17. *num.* 7. (17) *Sat.* 12.

Et idem [1]:

Confer & hoc veteris tollunt qui grandia templi
Pocula adorandæ rubiginis, & populorum
Dona vel antiquo positas a rege coronas.

Horatius [2]:

——— ——— *Vestimenta potenti*
Suspendisse maris Deo.

CAP. X.

De Feriis & diebus festis.

I. SIVE pro rebus feliciter gestis debebant grates solvi Diis, sive pro gerendis rebus debebant illi rogari, celebratæ sunt SUPPLICATIONES ad omnia Deorum pulvinaria. Horatius [3]:

——— *Nunc Saliaribus*
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, sodales.

Erant Supplicationes Feriæ publicæ, quibus ab omni opere servili abstinebant, & Deos precibus venerabantur. Pulvinaria* sunt lecti quos penes Deorum Simulacra



* Horum formam exprimit nummus Ænobarbi, quem ex J. Gutherio *l.* III. *de Jure Pontif. c.* 9. huc translatum vides.

(1) *Sat.* XIII. (2) *lib.* I. *Carm.* 5. (3) *lib.* I. *Carm.* 37.

lacra collocatos habebant, ut ibi deponerentur, velut infantes delicati. *Lectiſternia* vocant Romani Livius[1]: *Lectiſternio tunc primum in Urbe facto, per dies octo Apollinem, Latonam, Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum tribus quam ampliſſime tunc apparari poterat, ſtratis lectis placaverunt.* Et[2]: *Tertio tunc poſt conditam Urbem Lectiſternium fuit pacis Deorum expoſcendæ cauſâ.* Hæc ibi. Acceperunt a Græcis, ut teſtantur *Æmilius Probus*[3], & *Pauſanias*[4].

II. Erant hæ Feriæ indictivæ, quibus ut rite fierent omnia, per Præcias, ſive (ut deinde vocari cœperunt) Præcones edici ſolitum, ut litibus & jurgiis abſtinerent, & cum inimicis quoque benigniter comiterque ſermones conferrent. Refert *Cicero*[5], & exemplum præbet Scipio Africanus, qui victis Pœnis in Capitolium adſcendebat, ut Diis omnibus ſacrificium faceret, *hodie*, ait, *litibus & jurgiis ſuperſederi æquum eſt.* Livius[6].

Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.

Ovidius[7]. Eodem Præcone vulgabatur, *ne opifices agerent ſervile opus.* In jure Pontificio Romano, cujus pars magna ab Etruſcis erat, (Etruſci vero ab Ebræis acceperant) quo loco de Feſtis diebus agebatur, hæc verba exſtabant, *ne famulæ opera patranto.* Cauſa erat, quod cum vidiſſet Sacerdos facientem opus, polluerentur Sacra. Attamen uſus indulgentior, & cum neceſſitatis caſus erat, famula opera multa excuſabat. Qui trabem tecti fractam ſuffulciebat, ne omnino corrueret illud, aut qui bovem de foveâ, ne periret, educebat, hoc licite faciebat, quomodo ex reſponſo Pontificis Scævolæ annotat *Macrobius*[8]. Nec aliter Virgilius[9]:

Quippe etiam Feſtis quædam exercere diebus,
Fas & jura ſinunt. Rivos deducere nulla
Relligio vetuit, ſegeti prætendere ſepem,

Inſi-

(1) *lib.* v. *A. U. C.* 212. (2) *lib.* VII. (3) *in Vitâ Timothei.* (4) *in Arcadicis & Phocicis.* (5) *lib.* I. *de Divinat.* (6) *lib.* XXXVIII. (7) *lib.* I. *Faſtor.* (8) *lib.* I. *Saturnal. cap.* 19. (9) *Georg.* I.

Insidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantemque gregem fluvio mersare salubri.

III. Multa hic sunt, quæ legi Mosaicæ similia sunt, *Exodi* [1]. Tantum quod maximus rigor aderat, adeoque lapidibus obruebatur ille qui ligna in Sabbatho collegerat, *Numer.* [2] Rigorem detergebat casus necessitatis, ad quem provocat Christus, *Matth.* [3] Sed tamen illæ exceptiones quorundam erant, non omnium, adeoque Essæi ne quidem loco movebantur in Sabbato, etiamsi naturæ purgatio juberet, *Josephus* [4]. Similem de Sabbathi requie conceptum habebant illi, qui mori potius ob hostium impetum, quam adversus eos armis sese tueri volebant in Sabbatho, 1. *Maccab.* [5] Ergo concursu Populi facto, ne omnes perirent, sanciverunt Asidæi decreto publico, quod irruentem Sabbatho hostem armis excipere vellent, 1. *Maccab.* [6] Unde est celebre dictum in Misnâ Thalmudicâ: *Omne opus prohibetur in Sabbatho nisi sit pro animâ.* Quomodo etiam Romani in Saturni Feriis abstinebant bello. Scilicet, ut ipsi non lacesserent hostem, neque enim Saturni ævo fuisse bella credebant. Atqui cum eos lacessebat hostis non obstantibus Feriis vim vi repellebant, *Macrobius* [7]. De Sabbathi otio sacro vide adversarum sententiarum conflictum apud *Amesium* [8], *Antonium Walæum* [9], *Stephanum Curcellæum* [10], *Hugonem Grotium* [11], *Ludovicum Capellum* [12], *Balduinum Walæum* [13], *Abrahamum Heidanum* [14], *Johannem Cocchium* [15].

IV. Templa ornabant ramis è lauru, olivâ, hederâ. Virgilius [16]:

Nos

(1) XII. 16. *cap.* XX. 8. 9. 10. (2) XV. 32. (3) XII. 11. (4) *lib.* II. *de bello Judaic. cap.* 7. (5) XXXVI. 37. 38. (6) II. 39. (7) *lib.* I. *Saturnal. cap.* 7. 10. 16. (8) *lib.* II. *Medullæ Theolog. cap.* 2. *dist.* 10. (9) *de Sabbatho pag.* 102. (10) *de esu Sanguinis & Sabbatho cap.* 6. (11) *in Annotatis Euangelicis ad Matth.* 12. *pag.* 223. & *ad Matth.* 24. *pag.* 410. (12) *in Spicilegio post messem pag.* 35. (13) *Commentario perpetuo ad Euangelistas pag.* 270. (14) *Disputat. de Sabbatho num.* 16. (15) *de Sabbatho & quiete Novi Testamenti pag.* 39. (16) *lib.* II. *Æneid.*

Nos Delubra Deûm miſeris, quibus ultimus eſſet
Ille dies feſtâ velamus fronde per urbem.

Et [1]:

Præterea fuit in tectis de marmore Templum,
Conjugis antiqui miro quod honore colebat,
Velleribus niveis & feſta fronde revinctum.

Nec non domos privatas, Juvenalis [2]:

Cuncta nitent, longos erexit janua ramos
Et matutinis operatur feſta lucernæ.

Perſius [3]:

Herodis venêre dies, unctâque feneſtrâ
Diſpoſitæ nebulam pinguem vomuêre lucernæ
Portantes violas. —— ——

Unde conſtat, quod Lucernas etiam accenderint & diſpoſuerint ardentes, de quo confer *Juſtum Lipſium* [4]. Porro Templis reverentiam eam præſtabant, ut in illis prohiberent ſpuere & mungere, μὴ πτύειν ἐνὲ ἀπομύξασθαι, inquit *Arrianus* [5].

V. Præterea habebant Ferias ſtatas, quas peculiari titulo Diis his vel illis conſecraverant. In tutelâ JUNONIS erant omnium menſium Calendæ. Ovidius [6]:

Vindicat Auſonias Junonis cura Calendas.

Auſonias dicit, quia carebant illis Græci, ſecundum proverbium: *Ad calendas Græcas.* Calendas Junii ſacrificia dabantur Junoni Monetæ, de quibus meminit *Ovidius* [7]. Calendis Martii novus ignis in VESTÆ fano reponebatur, *Solinus* [8], & eidem Divæ ejuſdem menſis die ſexto fiebant Sacra, quæ deſcribit *Ovidius* [9]. Rurſum IX. Junii Feſtum magnum Veſtæ erat, quo die paſſim convivia ante focos agitabantur, aſini floribus coronati & velut monilia è panibus minutis conſtricta ferentes, per Urbem circumducebantur, molæ ſertis impoſitis ornabantur Ovidius [10]:

Ante

(1) *lib.* IV. *Æneid.* (2) *Sat.* 12. (3) *Sat.* 5. (4) *lib.* I. *Electorum cap.* 3. (5) *lib.* V. *Diſſertation. Stoicar. cap.* 11. (6) *lib.* I. *Faſtor.* (7) *lib.* VI. *Faſtor.* (8) *in Polybiſtor. cap.* 3. (9) *lib.* III. *Faſtor.* (10) *lib.* VI. *Faſtor.*

Ante focos olim ſcamnis conſidere longis
Mos erat, & menſæ credere adeſſe Deos.
Nunc quoque cum fiunt antiquæ ſacra Vacunæ,
Ante Vacunales ſtantque ſedentque focos.
Venit in hos annos aliquid de more vetuſto,
Fert miſſos Veſtæ pura patella cibos.
Ecce coronatis panis dependet aſellis.
Et velant ſcabras florida ſerta molas.

CEREALIA fiebant IX. Aprilis : matronæ imitatæ luctum Cereris ob Proſerpinam amiſſam, Urbem planctu implebant, vocabantque *Sacra Eleuſinia* & *Nuptias Orcinas*, *Livius* [1]. Deſcribit peculiari libro *Johannes Meurſius*. In ejuſdem Divæ honorem celebrabant *Ambarvalia*, lætam meſſem precati. Chorum ducebant Hierophantriæ : *Inſcriptio* Beneventana : FABIÆ. ACONIÆ. PAULINÆ. C. F. FILIÆ. ACONIS. CATULINI. V. C. EX. PRÆF. ET. CONSULIS. ORDIN. UXORI. VETTI. PRÆTEXTATI. V. C. PRÆF. ET. CONSULIS. DESIGNATI. SACRATÆ. APUD ELEUSINAM. DEO. BACCHO. CERERI. ET. CORÆ. SACRATÆ. APUD LAERNAM. DEO. LIBERO. ET. CERERI. ET. CORÆ. SACRATÆ. APUD ÆGINAM. DEABUS. TAUROBOLITÆ. ISIACÆ? HIEROPHANTRIÆ. DEO. HECATÆ. GRÆCO. SACRATÆ. DEÆ. CERERIS. *Gruterus* [2], Virgilius [3] :

Hæc tibi ſemper erunt, & cum ſolennia vota,
Reddemus Nymphis & cum luſtrabimus agros.

Vocabant alias SUOVETAURILIA, teſtibus *Catone* [4], *Feſto Pompejo* [5], & *Inſcriptionibus* apud *Gruterum* [6]. Nimirum Suem, Ovem & Taurum poſt maturatas fruges ter circum arva ducebant, omneſque cum jubilo & choro ſequebantur, chorago primas ducente, qui coronâ quernâ ornatus carmen ſingulare in laudem Cereris decantabat, vino & lacte libabant, inde porcum immolabant. Virgilius [7] :

——*An-*

(1) *lib.* XXII. (2) *in Volumine pag.* 309. *num.* 3. (3) *Bucolic.* 5. (4) *de Re Ruſticâ cap.* 141. (5) *lib.* XVIII. *de Verborum ſignificat.* 439. (6) *in Volumine pag.* 119. (7) *lib.* 1. *Georgic.*

——— ——— *Annua magnæ*
Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis,
Extremæ ſub caſum hiemis, jam vere ſereno,
Tunc agni pingues & tunc molliſſima vina,
Tunc ſomni dulces, denſæque in montibus umbræ.
Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret,
Cui tu lacte favos & miti dilue Baccho,
Terque novas circum felix eat hoſtia fruges,
Omnis quam chorus & ſocii comitentur ovantes
Et Cererem clamore vocent in tecta, neque ante
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quam Cereri tortâ redimitus tempora quercu,
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.

Deſcribit quoque Tibullus[1]:

Quiſque adeſt, faveat, fruges luſtramus & agros
Ritus ut a priſco traditus extat avo.
Bacche veni dulciſque tuis è cornibus uva
Pendeat, & ſpicis tempora cinge Ceres.

Nec vero hoc ſacrificium a ruſticis ſolum fiebat, ſed Romani cives etiam ex inſtituto Romuli Urbem, pomœrium, diſtrictum totum intra quintum & ſextum lapidem per duodecim Fratres Arvales, cœſis victimis & fines obeundo luſtrabant. *Plinius*[2], *Aulus Gellius*[3], *Plutarchus*[4]. Et meminit Lucanus[5]:

Mox jubet & totam pavidis a civibus urbem
Ambiri & feſto purgantes mœnia luſtro,
Longa per extremos pomeria cingere fines
Pontifices ſacri quibus eſt permiſſa poteſtas.

Confer *Inſcriptionem* Romanam quam a *Fulvio Urſino* erutam profert *Janus Gruterus*[6].

VI. Sacra DIANÆ fiebant XIII. Auguſti. Propertius[7]:

Hoc utinam ſpatiere loco, quodcunque vacabis
Cynthia, ſed tibi me credere turba vetat.

Cum

(1) *lib.* II. *Eleg.* 1. (2) *lib.* XVII. *cap.* 2. (3) *lib.* VI. *cap.* 7. (4) *in Quæſtionibus Rom. num.* 33. (5) *lib.* I. *Pharſal.* (6) *in Volumine pag.* 117. 118. 119. 120. 121. 122. (7) *lib.* II. *Eleg.* 23.

Cum videt accenſis devotam currere tædis,
In nemus & Triviæ lumina ferre Deæ.

Horatius[1]:

Quam nec ferre pedem dedecuit choris,
Nec certare joco, nec dare brachia
Ludentem nitidis virginibus, ſacro
Dianæ celebris die.

Mulierum Sacra erant, eæque ab Urbe faces ardentes in Aricinum nemus, ubi Dea illa religioſe colebatur, portabant. Venatores domi ſe quietos continebant, & Canes ſertis redimitos laute habebant. Statius[2]:

——— ——— *Ipſa coronat*
Emeritos Diana canes, & ſpicula tergit,
Et tutas ſinit ire feras. ———

Immolabantur ei Canes, ut notant *Scholiaſtes*[3], & *Lycophron*[4], ubi eſt κυνοσφαγὴ θεὰ, de quo multis agunt *Bernhardus Realinus*[5], *Johan. Brodæus*[6], *Thomas Reineſius*[7]. Calendis Aprilis VENERI Sacra fiebant, ac mulieres coronatæ myrteis ſertis per fontes & flumina ſeſe lavabant. Ovidius[8]:

Rite Deam colitis Latiæ matreſque nuruſque,
Et vos queîs vitta longaque veſtis abeſt.
Aurea marmoreo redimicula demite collo,
Nunc alii flores, nunc nova danda roſa eſt,
Vos quoque ſub viridi myrto jubet ipſa lavari.

In ejuſdem Divæ honorem XXIII. Aprilis peracta ſunt VINALIA, quæ olim voverat Æneas prælio Mezentium aggreſſurus, victorque conſtituit, ut die illo Veneri liberalis copia vini effunderetur, atque illud a quovis petente biberetur, *Plutarchus*[9], & *Boxhornius*[10].

VII. Calendis Martii erant MATRONALIA, quia in honorem MARTIS obibant Matronæ, in teſtimonium feliciter dirempti prælii iſtius, cum inter medias acies

(1) *lib.* II. *Carm.* 12. (2) *lib.* III. *Sylvar. Carm.* 1. (3) *ad Theocriti Pharmaceutriam.* (4) *in Alexandrâ.* (5) *in Variis annotat. cap.* 13. (6) *lib.* I. *Miſcellan. cap.* 24. (7) *in Lectionibus variis lib.* I. *cap.* 15. (8) *lib.* IV. *Faſtor.* (9) *in Quæſt. Rom. num.* 45. (10) *Commentario ibid.*

ácies ſtando pugnantes Romanos ac Sabinos precibus ſuis ad pacem redegerant olim. Ovidius [1]:

An quia committi ſtrictis mucronibus auſæ
Finierant lacrymis Martia bella ſuis?

Nam reliquæ cauſæ ab eodem prolatæ negligi poſſunt. Dona tunc Uxoribus dabantur a Maritis, Amicis, Cognatis. Tibullus [2]:

Martis Romani feſtæ venere Calendæ,
Exoriens noſtris hic fuit annus avis.
Et vaga nunc certâ diſcurrunt undique pompâ,
Perque vias urbis munera, perque domos.

Munera de *Strenis* interpretatur *Simon Abbes* [3], in quo fallitur, nam Strenæ dabantur Calendis Januariis, uti dicam *infra* [4]. De muneribus iſtis porro vide *Horatium* [5], *Martialem* [6], *Suetonium* [7]. Eo ipſo die Salii Martis Sacerdotes Feſtum Anciliorum inchoabant, ac deinceps peragebant inter epulas lautiſſimas & ſaltationes publicas (quæ tunc ævi pars religionis erant, ut conſtat è facto Davidis, 2. *Samuel.* [8] & diſceptatione *Saliani* [9],) addebantque canticum *Mamurium Veturium*, id eſt, memoriam veterem, ut exponit *Varro* [10]. Nam Sabinorum, unde Numa oriundus erat, lingua iſto ævo non aliter ſonabat. Multis de hac re ſcribit *Ovidius* [11]. Porro Decembris XIII. in campo Martio Equus immolabatur Marti, quoniam Equus eſſet pars magna præliorum, atque horum patronus Mars, *Plutarchus* [12]. Martis comes BELLONA, ejuſque Sacra fiebant III Junii per Sacerdotes, dictos *Bellonarios*, uti Scholiaſtes vetus *ad Juvenalem* [13] monet. Ovidius [14]:

Mane ubi bis fuerit, Phœbusque iteraverit ortus,
Factaque erit poſito rore bis uda ſeges:
Hac ſacrata die Thuſco Bellona duello
Dicitur, & Latio proſpera ſemper adeſt.

(1) *lib.* v. *Faſtor.* (2) *lib.* I. *Eleg.* 1. (3) *Commentar. ad h. l. pag.* 354. (4) *num.* 8. (5) *lib.* III. *Carm.* 8. (6) *lib.* v. *Epigr.* 85. (7) *in Veſpaſiano cap.* 19. (8) VI. 14. (9) *Tom.* 3. *Annalium Vet. Teſtam. pag.* 495. 496. (10) *lib.* v. *de LL.* (11) *l. d.* (12) *in Quæſt. Roman.* (13) *Sat.* 6. (14) *lib.* VI. *Faſtor.*

De cruentis ac vere immitibus Sacris teſtimonia multa colligi poſſent. Sanguinem de inciſis per gladiolum humeris, lacertis, femore, excipiebant parmulis, & Deæ offerebant. Tibullus[1]:

Hæc ubi Bellonæ motu eſt agitata, nec acrem
Flammam, non & amens verbera torta timet.
Ipſa bipenne ſuos cædit violenta lacertos,
Sanguineque effuſo ſpargit inulta Deam:
Statque latus præfixa veru, ſtat ſaucia pectus,
Et canit eventus quos Dea magna monet.

Confer *Tertullianum*[2], *Lactantium*[3]. Faciebant tale quid Phœnices in honorem Bahalis & Molochi, *Deut.*[4] 1. *Reg.*[5] *Jerem.*[6] *Maimonides*[7].

VIII. Dies feſtus Mercatorum erat XV Junii, iſque MERCURIO ſacer, & tunc de fonte Mercurii ad Portam Capenam adſpergebant ſe Mercatores laureo termite immerſo. Ovidius[8]:

Templa tibi poſuere Patres ſpectantia Circum
Idibus, ex illo eſt hæc tibi feſta dies.
Te quicunque ſuas profitentur vendere merces,
Thure dato, tribuas ut ſibi lucra, rogant.
Eſt aqua Mercurii portæ vicina Capenæ,
Si juvat expertis credere, numen habet.
Huc venit incinctus tunicâ Mercator, & urnâ
Purus ſuffuſâ, quam ferat, haurit aquam.
Uda fit hinc laurus, lauro ſparguntur ab udâ
Omnia, quæ dominos ſunt habitura novos.
Spargit & ipſe ſuos lauro rorante capillos.

VULCANALIA fiebant XXIII Auguſti, *Varro*[9]. Nimirum pro avertendo incendio Urbis. *Inſcriptio* Romana: HÆC. AREA. INTRA. HANC. DEFINITIONEM. CIPPORUM. CLAUSA. VERUBUS. ET. ARA. QUÆ. EST. INFERIUS. DEDICATA. EST. EX. VOTO. SUSCEPTO. QUOD. DIU. ERAT. NEGLECTUM. NEC. REDDITUM. INCENDIORUM.

(1) *lib.* 1. *Eleg.* 7. (2) *in Apologetico cap.* 9. (3) *lib.* 1. *cap.* 11. (4) XIV. 1. (5) XVIII. 28. (6) XLI. 5. (7) *de Idololatriâ cap.* 12. *ſect.* 13. (8) *lib.* V. *Faſtor.* (9) *lib.* V. *de LL.*

RUM. ARCENDORUM. CAUSA. QUANDO. URBS. PER. NOVEM. DIES. ARSIT. NERONIANIS. TEMPORIBUS. ET. HAC. LEGE. DEDICATA. EST. NE. CUI. LICEAT. INTRA. HOS. TERMINOS. ÆDIFICIUM. EXSTRUERE. MANERE. NEGOTIARI. ARBOREM. PONERE. ALIUDVE. QUID. SERERE. ET. UT. PRÆTOR. CUI. HÆC. REGIO SORTI. OBVENERIT. LITATURUM. SE. SCIAT. ALIUSVE. QUIS. MAGISTRATUS. VOLCANALIBUS. X. KAL. SEPT. OMNIBUS. ANNIS. VITULO. ROBIO. ET. VERRE. *Gruterus*[1], *Petrus Appianus*[2]. Calendæ Januariæ erant cumprimis celebres ex inſtituto Regis Numæ, & JANO conſecratæ. Tunc deſignati Conſules inibant conſulatum & comitati frequente populo adſcendebant in Capitolium, ubi Jovi Opt. Max. offerebant juvencos, & thura adolebant, pro ſuâ quisque & publicâ ſalute. Ovidius[3]:

Cernis odoratis ut luceat ignibus æther,
Et ſonet accenſis ſpica Ciliſſa focis?
Flamma nitore ſuo Templorum verberat aurum,
Et tremulum ſummâ ſpargit in æde jubar.
Veſtibus intactis Tarpejas itur in arces,
Et Populus feſto concolor ipſe ſuo eſt.
Jamque novi præeunt faſces, nova purpura fulget,
Et nova conſpicuum pondera ſentit ebur.

Hoc vocabant, *aperire annum*. Statius[4]:

Inſignemque aperit Germanicus annum.

Strenam eo die (vel Apophoreta) mittebant Amici Amicis, Patroni Clientibus, Principes Subditis, & vice verſâ accipiebant Clientes a Patronis, Subditi a Principibus, ita felicem anni ſucceſſum voventes, inſtituto veteri quod Tatius Sabinus poſt factam cum Romulo pacem ſancivit. Ovidius[5]:

At cur læta tuis dicuntur verba Calendis,
Et damus alternas accipimusque preces?

Exempla habent *Suetonius*[6], *Plinius*[7], *Dion Caſſius*[8],

(1) *in Volumine pag.* 61. (2) *in Collectaneis pag.* 273. (3) *lib.* I. *Faſtor.* (4) *lib.* IV. *Sylv. carm.* 1. (5) *lib.* I. *Faſtor.* (6) *lib.* II. *cap.* 57. *lib.* III. *c.* 34. *lib.* IV. *c.* 42. (7) *lib.* V. *Epiſt.* 14. (8) *lib.* LVII.

Symmachus[1], (& confer *Juſtum Lipſium*[2].) Jano fiebant Sacra ex illis, quæ ipſe orbis bono excogitaverat. Ovidius[3]:

Jane tibi primum thura merumque fero.

Statuæ ejus laureæ novæ imponebantur, veteribus abjectis. Ovidius[4]:

Laurea flaminibus quæ toto perſtitit anno,
Tollitur, & frondes ſunt in honore novæ.

& adde *Solinum*[5].

IX. SATURNALIA incipiebant XVII Decembris, & durabant quinque diebus, inde erat appendix duorum dierum, SIGILLARIA dicta. A Græcis & Inſulanis ordinata, quorum extorres Pelaſgi in Italia conſederunt, & Ferias illas conſecraverunt, vivos homines pro victimis offerendo, quod crudele ſacrificium Hercules abrogavit, & vivi hominis loco ſimulacrum fictile hominis (id *Sigillum* vocabant) in fluvium projicere eos docuit, *Feſtus Pompeius*[6]. Nam & in Sacris aliis, quæ re ipſâ exhiberi non poterant, ſimulabantur rite, erantque pro veris, & *Sacra dicis cauſâ facta eſſe* pronunciabatur, ut obſervat *Petrus Pithæus*[7]. Agitabant convivia ſeptem diebus, & dona invicem dabant capiebantque, *Martialis*[8]. Saturni Simulacrum, quod alias ſemper catenis alligatum ſtabat ne concideret, (perinde ut alia hoc fulcimento indigebant) tunc ſolutum & vinculis exutum erat. Statius[9]:

Saturnus mihi compede exſolutâ,
Et multo gravidus mero December.

Tunc Domini invitabant eis: argumento quod ſeculis illis, quæ propius ab origine rerum aberant, perinde liberi fuiſſent omnes. ἴδεις ἐπ' ἐμοῦ δοῦλον ὧν, ait Saturnus ipſe apud *Lucianum*[10]. Martialis[11]:

Unctis

(1) *lib.* x. *Epiſt.* 28. (2) *Notis ad Tacitum lib.* IV. *Annalium num.* 151. 152. (3) *lib.* I. *Faſtor.* (4) *lib.* III. *Faſtor.* (5) *in Polybiſtor. cap.* 3. (6) *in Fragmentis a Fulvio Urſino editis pag.* 206. (7) *lib.* II. *Adverſarior. cap.* 8. (8) *lib.* IV. *Epigram.* 46. *lib.* XIV. *Epigram.* 3. (9) *lib.* I. *Sylvar. carm.* 6. (10) *Dialog.* I. Κρονίων. (11) *lib.* XI. *Epigram.* 7.

Unctis falciferi ſenis diebus,
Regnator quibus imperat fritillus,
Verſus ludere non laborioſo,
Permittis, puto, pileata Roma.

Uncti dies ſunt Feriæ, quod tunc epulis aſſiderent, & *falcifer ſenex* eſt Saturnus. Cætera pertinent ad ludos promiſcuos, & *pileata Roma* dicit, quod tunc Domini libertatem pro tempore darent Servis, atque hi pileis uterentur tantiſper. Pileus eſt libertatis ſignum, *infra* [1], *Dion.* [2] ἐν τοῖς Κρονίοις οἱ δοῦλοι τὸ τῶν δεσποτῶν σχῆμα μεταλαμβάνοντες ἑορτάζουσι. Catullus [3]:

Saturnalibus optimo dierum.

Nam & Pueri ipſi tunc gaudebant, plaudentes dicebant, σήμερον Σατουρνάλια ἀγαθά, teſte *Epicteto* [4]. *Bona Saturnalia* hoc ſenſu dixit Martialis [5]:

Iſte tibi faciet bona Saturnalia porcus.

Et prodente eodem clamabant, *Io Saturnalia* [6]. Confer *Solinum* [7], *Athenæum* [8]. Tale Feſtum erat Sacceæ apud Babylonios, de quo retuli *ſupra* [9].

X. PLUTONI Sacra erant FERALIA, celebrata XVIII. Febr. Ad Sepulchra defunctorum epulas deferebant amici, quas in pauperum uſus erogabant, imitati Græcorum mores ἐν τοῖς ᾅδου δείπνοις. Locus Tobiæ [10]: *Effunde panes tuos in ſepulturam juſtorum*, alium habet ſenſum. Sepulto aliquo viro bono proximos ejus ſolabantur mittendo cibos & vinum optimum, quod conſtat ex *Jer.* [11]. Cæterum apud Sepulcra epulari & facere δοχὰς ἐπιταφίους non erat mos Hebræorum. Æneas primus inſtituit, deinde cum oblita erant, ad uſum revocavit Numa Pompilius ingens Cerimoniarum magiſter, *Ovidius* [12], *Macrobius* [13], Eidem conſecrata erant LEMURIA, quæ peragebantur IX. XI. XIII. Maji pro depellendis Lemuribus, id eſt, ſpectris & nocturnis

(1) *lib.* IV. *cap.* 1. *ſect.* 4. (2) *lib.* LVIII. (3) *Epigram.* 14. (4) *apud Arrianum.* (5) *lib.* XIV. *Epigram.* 70. (6) *lib.* XI. *Epigr.* 2. (7) *in Polybiſtor. cap.* 3. (8) *lib.* XIV. *cap.* 17. (9) *cap.* 6. *num.* 15. (10) *cap.* IV. 18. (11) XVI. 7. (12) *lib.* II. *Faſtor.* (13) *lib.* I. *Saturnal. cap.* 13.

terriculis, concitatis per Manes, uti putabant, in quos eſſet ſummum imperium Plutonis. Horatius [1]:

Quin ubi perire juſſus exſpiravero,
Nocturnus occurram furor:
Petamque vultus umbra curvis unguibus,
Quæ vis Deorum eſt Manium.

Origo eſt a Romulo, qui Remum fratrem occiderat, novamque urbem crudeli victimâ inauguraverat, inde ſpectris nocturnis vexatus, quotannis Sacra manibus ejus peragenda ordinavit, ſolio regaliter inſtrato & coronâ aureâ impoſitâ velut in honorem conſortis regni. Virgilius [2]:

—— —— Remo cum fratre Quirinus
Jura dabunt. —— ——

Nimirum propter Sacra inſtituta illa quæ Remum fratris collegam eſſe pronunciabant. Adverſus quem ſenſum fruſtra conatur *Servius* [3]. Poſtero ævo ſunt addita quædam, ut narrat Ovidius [4]:

Hinc ubi ſuſtulerit formoſa ter Heſperus ora,
Ter dederint Phœbo ſidera victa locum,
Ritus erit veteris nocturna Lemuria ſacri,
Inferias tacitis Manibus illa dabunt, &c.

XI. LIBERALIA, (αἱ Διωνυσίων ἑορτὴ 2 *Maccab.* [5]) in BACCHI honorem plurima erant, præcipua vero XVII. Martii a vetulis hederâ coronatis, domi apud foculum peracta ſunt, eaque deſcribit prolixe *Ovidius* [6]. Alia erant XXIV. Decembris, dicta BRUMALIA. Nam *Bromius* eſt Bacchus. Romulus inſtituit ac tribus ordine diebus Senatum totum convivio magnifico excepit, uti refert *Cælius Rhodiginus* [7]. BACCHANALIA fiebant menſe Octobri tribus diebus ultimis, Viri Fœminis, Virginibus Juvenes permixti, nudi, pampinis coronati & penes femoralia alligati, manibus gerebant thyrſos, id eſt, haſtas foliis hederæ obductas, vel pampini. Propertius [8]: *Hæc*

(1) *lib.* v. *Carm.* 5. (2) *lib.* 1. *Æneid.* (3) *Commentar. ad lib.* 1. *Æneid. pag.* 199. (4) *lib.* v. *Faſtor.* (5) vi. 7. (6) *lib.* iii. *Faſtor.* (7) *lib.* xxviii. *c.* 24. (8) *lib.* iii. *Eleg.* 2.

Hæc ederas legit in thyrſos. ——

Virgilius [1]:

Et foliis lentas intexere frondibus haſtas.

Et [2]:

Aſt aliæ tremulis ululatibus æthera complent,
Pampiniaſque gerunt incinctæ pellibus haſtas.

Dicit, *incinctæ pellibus.* Gerebant enim pelles cervorum in quibuſdam partibus corporis, ut omnes inſaniæ numeros in ſacris inſanis complerent. Nocte mediâ accenſis facibus ductorem habentes Orgiophantam per Urbem diſcurrebant ſaltantes, canentes modis inconditis (ταυροφθόγγοι, ut ait *Æſchylus* [3],) & ingeminantes ſuum illud βακχικὸν ἀπιφθέγμα (uti vocat *Demoſthenes* [4],) *Evohe.*

Evohe Bacche fremens, ——

ait *Virgilius* [5]. & plura habent *Catullus* [6], nec non Horatius [7]:

—— *Et lyncem Menas flexura corymbis*
Evion ingeminat, —— ——

ait *Perſius* [8]. *Inſcriptio* Peuteolana: LIBERO. PATRI. SACRUM. T. T. FLAVII. ECLECTIANUS. ET. OLYMPIANUS. FIL. EJUS. SACERDOTES. ORGIOPHANTÆ. *Gruterus* [9]. Diſcurrebant per amentiæ ſpeciem, ut nec vultus nec geſtus comptus maneret. Hoc eſt, *thiaſos inducere Baccho*, uti loquitur *Virgilius* [10]. Nam *thiaſos* exponunt *Servius* [11], *Taubmannus* [12], quod ſint *chorus orgia celebrantium cum vociferatione & ſaltu*, θεῖα ἄϊσμα. Res cum ſtupris multis conjuncta erat, unde permotus Senatus abrogavit demum nequiſſima Sacra (tantum quod Julius Cæſar partem Sacrorum reſtauravit) quæ cum famæ & pudicitiæ damno præſenti fiebant, ne quis paterfamilias perpeſſi adulterii ſuſpicione careret, *Livius* [13], *Perſius* [14], *Juvenalis* [15], *Auguſtinus* [16].

(1) *Bucolic.* v. (2) *lib.* VII. *Æneid.* (3) ἐν Ἠδονοῖς. (4) *Oratione contra Cteſiphontem.* (5) *lib.* VII. *Æneid.* (6) *Epigram.* 59. (7) *lib.* II. *Carm.* 19. (8) *Sat.* I. (9) *in Volumine pag.* 66. *num.* 9. (10) *Bucolic.* v. (11) *in Notis pag.* 23. (12) *Commentario ibid. pag.* 52. (13) *lib.* XXXIX. (14) *Sat.* I. (15) *Sat.* VI. (16) *lib.* VII. *de Civit. Dei cap.* 21.

XII. Neque TELLURI vice unâ fiebat Sacrum Primum erat XXIV. Januarii, quod SEMENTINAS FERIAS vocabant, & pro frugum incremento orabant, *Ovidius* [1]. Secundum erat HILARIA, cum rogabant ut Terra vellet benignam vim Solis admittere frugum bono, *Macrobius* [2], *Herodianus* [3]. Quod enim *Cœlius Rhodiginus* [4] refert, *Hilaria fuisse consecrata Pani*, haud dubie falsum est. Tertium Calendis Maji a fœminis peragebatur in ædibus Pontificis Maximi nocte silente, neque ibi maribus adesse licebat, adeoque Clodius Tribunus, qui Muciam Cæsaris uxorem amabat, veste muliebri indutus & sacrificantium fœminarum turbæ permistus ædem Cæsaris P. M. intravit, ut amicam salutare posset, agnitus vero a Cæsaris matre Aureliâ & accusatus gravi censurâ notabatur, Cæsar divertit Muciam, *Vellejus Paterculus* [5], *Dion Cassius* [6], *Plutarchus* [7], *Cicero* [8]. Sunt etiam testimonia Poëtarum. Tibullus [9]:

Exibit quam sæpe, cave: seu visere dices
Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ.

Propertius [10]:

Femineæ loca clausa Deæ, fontesque piandos
Impune & nullis Sacra retecta viris.

Juvenalis σατυρικῶς [11]:

Solis ara Deæ maribus patet, ite profanæ
Clamatur. ——— ———

Et prolixius [12]:

Nota Bonæ Secreta Deæ, cum tibia lumbos
Incitat, & cornu pariter vinoque feruntur
Attonitæ, crinemque rotant ululante Priapo
Mænades! ——— ———

Hoc Festum appellabatur *Damium*, *a contrarietate, quod minime esset δημόσιον vel publicum*, teste *Festo* [13], unde

(1) *lib.* I. *Fastor.* (2) *lib.* I. *Saturnal. cap.* 21. (3) *lib.* I. *Histor.* (4) *lib.* VII. *cap.* 16. (5) *lib.* II. (6) *lib.* XXXVII. (7) *in Vitis illustribus pag.* 349. (8) *Orat. de Responsis Arusp.* (9) *lib.* I. *Eleg.* 7. (10) *lib.* IV. *Eleg.* 10. (11) *Sat.* 2. (12) *Sat.* 6. (13) *lib.* IV. *de Verbor. significat. pag.* 277.

unde citant *Lilius Gyraldus* [1], *Janus Guilhelmus Laurembergius* [2], *Adrianus Turnebus* [3]. Rectius : eſt notatio a conſentaneis, quia vere publicum erat, nempe *pro ſalute Populi totius fiebat*, uti ſcribit *Cicero* [4], & ſequuntur *Antonius Muretus* [5], *Joh. Gerh. Voſſius* [6]. Hinc eſt illud Juvenalis [7] :

Pro Populo faciens quantum Laufella bibebat.

Mulieres ad inſaniam fere poculis evacuandis chorisque ducendis exercebant ſeſe, ita impudice multa, multa inceſte gerebantur. Et tamen magna puritas animorum morumque Sacris illis prætendebatur, *ut etiam picturæ animalium maſculorum contegerentur*, teſte *Senecâ* [8]. Quartum erat XIX. Decembris, & vocabant OPALIA. Venerabantur Deam, ut quicquid frugum horreis reconditum habebant, læti & vegeti conſumerent, *Macrobius* [9].

XIII. HERCULIS Sacra erant V. Junii, nam ille eſt *Deus Fidius* vel *Semo Sancus*, de quo agit, *Ovidius* [10]. LARALIA fiebant Calendis Maji ad conciliandos Deos domeſticos pro civitatis & familiarum ſalute, *Ovidius* [11]. Tunc immolabant porcum. Tibullus [12] :

At nobis ærata Lares depellite tela.
Hoſtia erit plenâ myſtica porcus harâ.

Ita enim *Juſtus Lipſius* emendat, bene ad ſenſum, quem *Scaliger*, *Paſſeratius*, *Gebhardus* obſcure ediderunt. A *Lipſio* non diſſentit *Muretus* [13], ſed de Cereris Feſto locum explicat, quem ſequitur *Abbes Gabbema* [14]. Ad Laralia pertinere, verba expreſſa oſtendunt, eſtque *myſtica*, id eſt, præpinguis & nullâ ſui parte mutilus, mancusve. Hoc enim diligenter in toto victimarum genere obſervabant, ut dicemus *infra* [15]. In eorundem honorem XXVII. Junii Encænia quædam erant, vir-

(1) *Syntagm.* 4. *pag.* 141. (2) *in Antiquario pag.* 120. (3) *Notis ad lib.* 11. *de Legibus.* (4) *l. d.* (5) *lib.* XIX. *Variarum Lectionum cap.* 11. (6) *in Lexico Etymologico pag.* 174. (7) *Sat.* 9. (8) *Epiſt.* 98. (9) *lib.* 1. *Saturnal. cap.* 10. (10) *lib.* VI. *Faſtor.* (11) *lib.* V. *Faſtor.* (12) *lib.* 1. *Eleg.* 11. (13) *lib.* III. *Var. Lect. cap.* 7. (14) *in Notis variis pag.* 295. (15) *cap.* XI. *diſt.* 12.

ginesque contexebant ſerta & corollas, *Ovidius*[1]. Denique propter Lares etiam erant COMPITALIA XXII. Decembris. Ac quia paucis ante diebus fuerant Saturnalia, laboribus ſervorum miſſionem aliquam adferentia, Compitalibus quoque porro licebat vacare eis & genio indulgere, ut deinceps ad ferendos labores magis prompti eſſent, *Dionyſius Halicarnaſſ.*[2]. Itaque Martialis[3]:

Cingunt ſerenum lactei focum vernæ,
Et larga feſtos lucet ad Lares ſilva.

Ordinaverat illa Tarquinius Superbus, & cædebatur puer pro victimâ, ſed Iunius Brutus Conſul pulſo Rege, actisque ejus omnibus reſciſſis, hoc etiam crudele Sacrificii genus prohibuit, ac papaveris vel allii caput Laribus immolari juſſit, *Macrobius*[4], *Daniel Heinſius*[5]. Addebantur lac & olivum pingue. Virgilius[6]:

Pocula bina novo ſpumantia lacte quotannis,
Craterasque duos ſtatuam tibi pinguis olivi.

In *Catalectis Virgilianis* ſunt *uncta Compitalia*. Nimirum epulas ſtruebant Laribus, quas pauperibus deinde erogabant. Erant epulæ è carnibus ſuillis. Propertius[7]:

Parva ſaginati luſtrabant compita porci.

Demum etiam per Calendas ſingulas Ruſtici offerebant Laribus thura, fruges, porcam. Tibullus[8]:

Reddereque antiquo menſtrua thura Lari.

Horatius[9]:

Cœlo ſupinas ſi tuleris manus
Naſcente Lunâ, ruſtica Phidile:
Si thure placaris & hornâ
Fruge Lares avidaque porcâ.

XIV. ANNÆ PERENNÆ Feſtum erat XV. Martii. Bibebant affatim & pro cyathorum numero florentem ſequentium annorum ſeriem comprecabantur. Ovidius[10]: *Idi-*

(1) *lib.* VI. *Faſtor.* (2) *lib.* IV. (3) *lib.* III. *Epigr.* 57. (4) *lib.* I. *Saturnal. cap.* 7. (5) *Notis ad Silium Italicum pag.* 33. (6) *Bucol.* 5. (7) *lib.* IV. *Eleg.* 1. (8) *lib.* I. *Eleg.* 3. (9) *lib.* III. *Carm.* 23. (10) *lib.* III. *Faſtor.*

Idibus eſt Annæ feſtum geniale Perennæ,
Haut procul a ripis advena Tibri tuis.
Plebs venit & virides paſſim diſjecta per herbas
Potat & accumbit cum pare quisque ſuâ.

Et paulo poſt:

Sole tamen vinoque calent, annosque precantur,
Quot ſumunt cyathos, ad numerumque bibunt.

PALILIA erant XXI Aprilis, & rogabatur Pales, ut felices partus daret pecori, tabem ac lupos prohiberet, ſalubria paſcua efficeret. Deſcribit prolixe *Ovidius* [1]. Paſtor ſub initium auroræ adolebat ſuffimentum è favillâ vituli, ſanguine equi & fabæ ſtramine, luſtrabat pecus ac ſtabula omnia aquâ, incenſo ſulphure, admiſtis foliis lauri, offerebat libum de milio, lacte & ſapâ, id eſt, vino decocto. Sacris exactis Paſtores aquâ reſpergebantur, cœnæ parabantur, quibus finitis ſub noctem ignes è ſtramine accendebantur, quos transſiliebant, ut corpora ſua expiarent. Inde *Perſius* dicit [2]:

——— ——— *fumoſa Palilia fœno.*

Tibullus [3]:

At madidus Baccho ſua feſta Palilia Paſtor
Concinet, a ſtabulis tunc procul eſte lupi.
Ille levis ſtipulæ ſolennes potus acervos
Accendet, flammas transſilietque ſacras.

Propertius [4]:

Annuaque accenſo celebrare Palilia fœno.

In hoc Feſtum Natalis dies Urbis communi Quiritum devotione referebatur. Propertius [5]:

Urbi feſtus erat, dixere Palilia patres,
Hic primus capit mœnibus eſſe dies.
Annua paſtorum convivia, luſus in urbe,
Cum pagana madent fercula divitiis.
Cumque ſuper raros fœni flammantis acervos
Trajicis immundas ebria turba dapes.

Vel-

(1) *lib.* IV. *Faſtor.* (2) *Sat.* I. (4) *lib.* IV. *Eleg.* I.
(3) *lib.* II. *Eleg.* 5. (5) *lib.* IV. *Eleg.* 4.

Vellejus Paterculus [1] : *Romulus Martis filius Romam Urbem Palilibus in Palatio condidit.* De quibus Principis Urbis initiis porro vide *Joseph. Scaligerum* [2], *Onufrium Panvinum* [3], *Calvisium* [4], *Petavium* [5].

XV. FAUNALIA erant V. Decembris, & vero in pratis & nemoribus, hœdo & vino sacrificium fiebat Fauno, Dæmoni meridiano. Describit Horatius [6]:

Faune Nympharum fugientum amator,
Per meos fines & aprica rura
Lenis incedas, abeasque parvis
Æquus alumnis.
Si tener pleno cadit hœdus anno,
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina cratere, vetus ara multo
Fumat odore:
Ludit herboso pecus omne campo,
Cum tibi nonæ redeunt Decembres,
Festus in pratis vocat otioso,
Cum bove pagus.

Dicit, *lenis incedas*, id est, ita ut non noceas, & cum dicit, *cum tibi nonæ redeunt*, notat Festum anniversarium.

CAP. XI.

De Sacrificiis eorumque requisitis.

I. QUOD Sacrificia non sint inventum aliquod humanum, sed ab ipso Deo præscripta, recte contendunt *Peucerus* [7], *J. G. Stuckius* [8], *Wolff. Francius* [9], *Andreas Rivetus* [10] adversus *Bellarminum* [11], *Gregorium de Valentiâ* [12], *Hugonem Grotium* [13], qui a mero naturæ instinctu

(1) *lib.* 1. *Histor.* (2) *lib.* v. *de Emendat. Temp. pag.* 212. (3) *Commentariis ad lib.* 1. *Fastorum pag.* 15. (4) *in Isagogâ Chronol. cap.* 10. (5) *in Rationario part.* 1. *lib.* 11. *cap.* 7. (6) *lib.* 111. *Carm.* 18. (7) *de Divinatione fol.* 137. (8) *de Sacris & Sacrificiis Gentilium pag.* 10. (9) *de Sacrificiis Disp.* 1. 2. 3. (10) *Exercit.* 42. *in Genesin.* (11) *libro* 1. *de Missa cap.* 20. (12) *lib.* 1. *de Missâ cap.* 4. (13) *Notatis ad Genes.* IV. 3. *& ad Exodum cap.* XV. *vers.* 26.

ſtinctu derivant illa. Apud Pios ante diluvium, ac porro in Populo Dei ſeculis inſecutis, erant pars neceſſaria Religionis, ſenſu morali quod beneficiorum multorum a Deo in homines collatorum ſolennem recordationem ad animos revocarent: ſenſu eminenti vero, ut Meſſiam, qui ſe humani generis Vadem obtulerat, inculcarent. Ac de priori quidem multa docent *Rabbinus Levi Ben-Gerſon*, *Salomoh Jarchi*, *Aben Esdras*[1], *Maimonides*[2]. De poſteriori nihil occurrit, ſed eleganter proponit *Apoſtolicus Scriptor Epiſtolæ ad Hebræos*. Referunt *Cabaliſtæ*, niſi peccaviſſet Adam, שכינה ſemper præſto futuram in humanâ converſatione, abiiſſe vero, cum peccaviſſet Adam in cœlos, inde ad nos per Sacrificia devocari, *R. Salomoh Levita*[3], *R. Jehuda Levita*[4], *R. Menaſſeh*[5]. Notant Sapientes illi finem verum, eſt enim שכינה Meſſias (de quo vide *Auctaria noſtra ad Pappum*[6]) ad quem verâ fide apprehendendum, operoſus Sacrificiorum apparatus a *Moſe* deſcriptus oppido manuducebat. Quanquam apud plurimos obtinerent deinde opiniones pravæ, Sacrificia eſſe Deo ſatis, fuſo cruore & carnibus exuſtis, interim animis vitæque ſtudiis in diverſa abrepti morum improbitatem externâ pietatis ſpecie velabant, *Pſalm.*[7], *Eſai.*[8], *Jerem.*[9]. Fruſtra vero etiam ſe torquet *Jamblichus*[10], ubi multa conatur ut rationem reddat, quare Dæmones victimis delectarenter. Neque enim eum, qui victimarum omnium Antitypus eſt, & cujus honorem Cacodæmones fraudulenter ad ſe rapuerunt, cognovit Paganiſmi obſtinatus aſſectator & ſceleratus Planetarius.

II. Apud Paganos mera laniena erat, itaque *Porphyrius*[11] vere ſcribit, morem immolandi hoſtias eſſe crudeli-

(1) *Commentariis ad Legem.* (2) *in Moreh Nevochim lib.* III. *cap.* 32. (3) *in Dibre Salomoh.* (4) *in Cuſſari lib.* II. *cap.* 2. (5) *Conciliatore ad Pentateuchum quæſt.* I. *Levitici.* (6) *pag.* 6. 7. (7) L. 2. (8) I. 10. (9) VI. 20. (10) *de Myſteriis Ægyptiorum.* (11) *libro* II. *de Abſtinentiâ.*

delitatis plenum & ad expiandos Deos minus aptum. Verba ſunt veteris Poëtæ,

Τὶς ὧδε μῶρος ἢ λίαν ἀνεμώδης
Εὔπις ἀνδρῶν ὅστις ἐλπίζει θεὸς
Ὅσων ἀσίτων ἢ χολῆς πυρωμένης,
Ἀ' ἢ κυσὶν πίνωσιν ἔχι βρώσιμα,
Χαίρειν ἅπαντας ἢ γέρας λάχειν τόδε.

Porphyrius [1]. Scilicet, hoc veterum in Pythagoræ ſchola dogma erat, quod imitati Eſſeni pars Judæorum, non cædebant victimas, unde patet, male *Gretſerum* [2], inferre, Eſſenos fuiſſe Chriſtianos, de quâ nobili controverſiâ amplas diſquiſitiones inſtituimus *Auctariis ad Pappum* [3], & illis adde *Rodolfum Hoſpinianum* [4]. Pagani de Meſſiâ, qui pretium integrum Sacrificiis conciliabat, prorſus ignorabant. Teſtantur verbis expreſſis:

Cum ſis ipſe nocens, moritur cur victima pro te?

Dionyſius Cato [5], (quanquam iſta *Catonem* Romanum habere autorem, neget *Boxhornius* [6].) Et inutilem eſſe victimarum oblationem, ubi animus vitiorum ſordibus oppletus eſt, ſcribunt alii. Ovidius [7]: *

Non bove mactato cœleſtia numina gaudent,
Sed quæ præſtanda eſt & ſine teſte, fide.

Perſius [8]:

Dicite Pontifices, in ſacris quid facit aurum?
Quin damus id Superis, de magnâ quod dare lance
Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago,
Compoſitum jus faſque animo, ſanctoſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto,
Hæc cedo, ut admoveam templis & farre litabo.

Horatius [9]:

—— —— *Te nihil attinet*
Tentare multa cade bidentium

Par-

* Ep. Acont. 181.

(1) *l. d. pag.* 35. (2) *Apologiâ ad Steinium pag.* 22. (3) *pag.* 45. (4) *de Origine Monachatus lib.* I. *pag.* 28. (5) *lib.* IV. *diſt.* 15. (6) *ad Quæſt. Roman. num.* 14. (7) *Epiſt.* XVIII. (8) *Sat.* 2. (9) *lib.* III. *Carm.* 23.

Parvos coronantem marino
Rore Deos fragilique myrto.
Immunis aram ſi tetigit manus:
Non ſumptuoſa blandior hoſtia,
Mollibit averſos Penates
Farre pio & ſaliente mica.

Senſus eſt: Puræ manus & vita bene acta Deo magis placent quam Sacrificiorum copia. Quod idem dicunt *Plato*[1], & Pythagoras[2] apud *Philoſtratum.*

III. Cum operari Sacris inciperent Sacerdotes, victima adſtabat*, Aræ circumdabant vittam, id eſt, velum laneum recens nullis uſibus aliis ante adhibitum. Virgilius[3]:

——— *Molli cinge hæc altaria vittâ.*

Laneum orbem vocat *Propertius*[4]. Precabantur, ut Deus, quiſquis eſſet, lubens acciperet, ac propitius eſſe vellet. Κύριε ἐλέησον eſt apud *Arrianum*[5], (quod deinde in Sacra ſua tranſtulerunt Chriſtiani, uti ex *Litaniis* conſtat, de quibus librum peculiarem ſcripſit *Nicolaus Serarius*, & illi adde *Baronium*[6], *Rodolfum Hoſpinianum*[7].) Orabant vero manibus Aram tangentes, & preces ſolemnes voce alterius præeunte recitabant, ne ipſi cogitationibus abrepti impingerent. Clamabant Flaminii & Camilli, ut præſentes faverent linguis, *ſupra*[8].† Tibicines vero etiam perſtrepebant lituis & tibiis. †* *Inſcriptio* Romana: DIIS. MAGNIS. ULPIUS. EGNATIUS. FAVENTINUS. V. C. AUGUR. P. V. B. P. R. Q. PATER. ET. HIEROCERYX. D. S. I. M. ARCHIBUCULUS. DEI.

* Lucianus de *Sacrif. p.* 363. προσάγουσι τῷ ζωμῷ.

† Totum ritum in Sacrificiis uſitatum, prout auctor hic deſcripſit verbis, ſpectandum oculis præbet tabella in ſequenti pagina 208. collocata, quam ex Trajani columna J. Gutherius *l.* II. *de Jure Pontif. c.* 14. inſeruit.

†* Vide Herodianum 5, 3, 15. & 5, 5, 19. Ovidium *ep. Acont.* 235.

——— *Cum jam data ſigna ſonabunt,*
Tinctaque votivo ſanguine Delos erit.

Plutarchus *de Aud. poet.* tibiæ & chori in ſacris meminit.

(1) *in Alcibiade.* (2) *lib.* I. *de Vitâ Apollonii Thyanæi.* (3) *Bucolic.* 8. (4) *lib.* IV. *Eleg.* 7. (5) *lib.* II. *Diſſertat. cap.* 7. (6) *Notis ad Martyrologium Romanum pag.* 182. (7) *in Hiſtoriâ Sacramentariâ lib.* III. *pag.* 207. (8) *c.* IX. *diſt.* 2.



DEI. LIBERI. HIEROFANTA. HECATÆ. SACERDOS. ISIDIS. PERCEPTO. TAUROBOLIO. CRIOBOLIOQUE. IDIBUS. AUGUSTIS. D. D. N. N. VALENTE. AUG. V. ET. VALENTINIANO. AUG. CONSS. FELICITER. VOTA. FAVENTINUS. BIS. DENI. SUSCIPIT. ORBIS. UT. MACTET. REPETENS. AURATA. FRONTE. BICORNES. *Gruterus* [1]. *Hieroceryx* est ἱεροσυλπιγὴς, & de vocabulo κήρυξ vide quæ scripsimus *antea* [2]. De auratâ fronte victimarum est *infra* [3]. Virgilius [4]:

Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras.

Tyr-

(1) *in Volumine pag.* 27.
(2) *cap.* I. *num.* 21.
(3) *dist.* 3.
(4) *lib.* VI. *Georg.*

Tyrrhenus ait, quoniam ab Etruſcis Sacra exquiſita acceperant, & indidem uſus tibiarum. Eburneæ erant, quomodo in Hebræorum Sacris fuerunt arietinæ, uti *Joſ.* [1] שופרות היובלים vertunt *Chaldæus*, *Symmachus*, *Rabbinus Kimchi*, *Joh. Buxtorfius* [2]. Quod enim *Andreas Maſius* [3], *Johan. Gerh. Voſſius* [4], negant, *arietum cornua potuiſſe adhiberi, ſolida illa & ad ſonum cienda inepta*, prorſus evanidum eſt. Poterant arte excavari, ut ſono faciendo maxime idonea eſſent. Tibiis perſtrepebant ideo, ne vel minimus vocis ſonitus exaudiretur, quo Sacra profanari poſſent. Adeo ſtricte oportebat Sacerdotem inhærere devotioni. Porro conficiebant vinum, thura & molam ſalſam.

IV. Vinum † dabant fictilibus pateris, quas vocabant *Simpuvium*, ut *Plinius* [5], *Juvenalis* [6], *Arnobius* [7], *Nonius Marcellus* [8], (de quo vocabulo multis inquirit *Adrianus Junius* [9],) vel *Simpulum*, ut *Varro* [10], ubi eſt, *a ſumendo Simpulum nominaverunt*. Prolixe quærunt *Philippus Rubenius* [11], *Stewechius* [12], *Johan. Gerh. Voſſius* [13], *Franciſcus Junius* [14], *Lazarus Baiſius* [15], de vocis natalibus, verum ſine dubio eſt a Tyrrhenis, & ad hos quidem venit ab Oriente. סְפַל invenitur *Judic.* [16] ubi *Simpulum* vertit *Tremellius* inſiſtens proprietati derivationis, quod laudant *Grotius* & *Druſius* [17], *Buxtorfius* [18], *Chriſt. Becmannus* [19]. *Chaldæus Jonathan* exprimit פַּיְלִי / quod eſt Græcorum Φιάλη. *Alexandrini* habent λεκάνιον, non ita bene. Simpulo vinum in Sacris libabant, atque eo ſenſu vocem Ebræam uſurpant *Salomoh* [20],

O &

† V. Herodianum 5, 5, 18.

(1) VI. 4. (2) *in Lexico Thalmudico pag.* 929. (3) *Commentar. ad h.l.* (4) *in Lexico Etymologico pag.* 271. (5) *lib.* XXXV. *cap.* 12. (6) *Sat.* 6. (7) *lib.* IV. *adverſ. Gentes pag.* 148. (8) *de proprietate Vocum cap.* 15. *diſt.* 12. (9) *lib.* II. *Animadverſ. cap.* 10. (10) *lib.* IV. *de LL. pag.* 31. (11) *in Electis lib.* II. *cap.* 8. (12) *Notatis ad Arnobium pag.* 107. (13) *in Lexico Etymologico pag.* 262. & 474. (14) *Notis ad Apologeticum Tertulliani cap.* 13. (15) *de Vaſculis pag.* 99. (16) V. 25. *cap.* VI. 38. (17) *Notis ad h.l.* (18) *in Lexico Thalmudico pag.* 1526. (19) *de Originibus LL. pag.* 991. (20) *ad cap.* XXIX. *Exod.*

& *Thalmudiſtæ*[1]. Agnoverat *Scaliger*[2], quod Syriaci uſus ſit, verum mutat ſententiam vultque potius ut ſit a Græco σίφων, unde *Simpon* primitivum & porro diminutivum *Simpulum*[3]. Nos retinemus priorem viam. Apulejus[4]: *Simpulo & catino fictili ſacrificat.* Suetonius[5]: *Nihil invenit præter tepidam in aræ favillam, atratumque juxta ſenem in catino vitreo thus tenentem & in calice fictili merum.* Hic *calix fictilis* eſt Simpulum. Dabant ita, ut ipſi guſtarent leviter & adſtantibus circumquaque ad pitiſſandum præberent. Qui præbebat hæc pocula, erat *Præſultor*, & actio tota erat *libare.* Hinc exponitur illud Judic.[6]: *Num derelinquam muſtum meum quod latificat Deum & homines?* Vinum inſerviebat ad libamina, idque purum, ſive liquidum. Virgilius[7]:

Ter liquido ardentem perfudit nectare Veſtam.

Removebatur ſpurcum, ἀκάθαρτον, ἄχρεῖον, videlicet, ubi aqua admixta erat, aut quod cœleſti igne afflatum, dicente *Feſto*[8].

V. Thura ex acerris (in quibus hactenus aſſervabantur) prolata, vel adolebant in thuribulis, vel ingerebant focis, ἀναθυμίασιν celebrem, unde Arabum & Sabæorum regiones cumprimis quæſitæ ſunt a mercatoribus, nec enim præter eas aliquæ thus generant. *Plinius*[9], *Strabo*[10], *Theophraſtus*[11].

——— *Solis eſt thurea virga Sabæis,*

ait *Virgilius*[12]. Et recens nato JESU in Bethlehem Magi ab Oriente, id eſt, ex Arabiâ profecti cum donariis aliis offerebant thus, ut ſciri poſſet unde veniſſent, de quâ re ſcripſimus *in Auctariis*[13], & conſentit *Hugo Grotius*[14]. Rurſum Virgilius[15].

Ipſa Paphum ſublimis abit, ſedesque reviſit
Læta ſuas, ubi templum illi centumque Sabæo

Thure

[1] *in Succah.* [2] *Conjectaneis ad Varronem pag.* 54. [3] *Appendice ad Conjectanea pag.* 183. [4] *in Apologiâ pag.* 285. [5] *lib.* VII. [6] IX. 13. [7] *lib.* IV. *Georgic.* [8] *lib.* XVIII. *de Verborum ſignificat. pag.* 444. [9] *lib.* XII. *cap.* 13. 14. 17. [10] *lib.* XVI. [11] *lib.* IX. *Hiſtor. plantar.* [12] *lib.* II. *Georg.* [13] *pag.* 258. [14] *Notis ad Euangeliſtas pag.* 28. 29. 35. [15] *lib.* I. *Æneid.*

Thure calent aræ, ſertisque recentibus halant.

Statius[1]:

Pande fores Superûm vittataque templa Sabæis
Nubibus. ——— ———

Nubes Sabæas intellige odorum ſuffitus è copioſo thure. Lucretius[2]:

Araque Panchæos exhalat propter odores.

Sacræ Literæ idem celebrant: *Omnes è Sabâ venient, aurum & thus offerent, & Domini laudes annunciabunt*, Eſai. 3. Qui carebant thure, ſubſtituebant crocum. Ovidius:

Et ſonet accenſis ſpica Ciliſſa focis.

Spica Ciliſſa eſt crocus, uberi proventu apud Cilices, de quo prolixe *Scaliger*[4], & *Salmaſius*[5]. Iterum *Ovidius*, cum de aromatis, quæ in ſacris adolebantur, loquitur:

Nec fuerant rubri cognita fila croci.

VI. Sed & Verbenas flores Aris imponebant, velut coronas. Inde *Aras frondentes* vocat *Valerius Flaccus*[6]. *Herboſas Aras* Ovidius[7]. *Virides Aras* Martialis[8]. Scilicet propter herbas quas inſternebant Aris, uti annotat *Schrevelius*[9]. Nec aliter Propertius[10]:

Inde coronatas ubi thure piaveris Aras.

Aut adolebant illas. Virgilius[11]:

Verbenasque adole pingues. ———

Verbenam vocabant frutices, frondes, virgas, ramosque pingues arborum conſecratarum, exempli gratia palmæ, quercus, oleæ, pinus, lauri, myrti, vitis, hederæ, populi, de quibus omnibus accurate tractant *Benedictus Curtius Symphorianus*[12], *Antonius Auguſtinus*[13], *Johannes Meurſius*[14]. Breviter Virgilius[15]:

Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Iaccho,
Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo.

[1] *lib.* IV. *Silv.* 8. [2] *lib.* II. *de Nat. rer.* [3] LX. 6. [4] *in Notis ad Propertium pag.* 227. [5] *in Exercitationibus Plinianis ad cap.* 38. *Solini.* [6] *lib.* III. *Argonauticor.* [7] *lib.* XV. *Metamorph.* [8] *lib.* III. *Epigr.* 24. [9] *pag.* 171. [10] *lib.* III. *Eleg.* 8. [11] *Bucolic.* 8. [12] *lib.* V. *Hortorum cap.* 1. [13] *Dialogo* 5. *Antiquit. Romanarum pag.* 67. [14] *in Arboreto ſacro.* [15] *Bucolic.* 7.

Verbena eſt θαλία. Virgilius[1]:

Acceſſi viridemque ab humo convellere ſilvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus Aram.

Horatius[2]:

——— ——— *Ara caſtis*
Vincta verbenis avet immolato
Spargier agno.

Apulejus[3]: de cœtu religioſorum, *thallos, verbenas, corollas ferentes.* Curtius de Ariſtandro[4]: *Ille in candidâ veſte verbenas manu præferens, capite velato, præibat preces regis.*

VII. Lactis copiam Diis cumprimis Ruſticis offerebant, uti de Pale affirmat Tibullus[5]:

Et placidam ſoleo ſpargere lacte Palem.

Et idem de Pane[6]:

Lacte madens illic ſuberat Pan ilicis umbra.

VIII. *Molam ſalſam* vocabant far toſtum & ſale conditum, κεγχρὶς μὴ ἁλῶν μεμιγμένη ait *Euſtathius*[7]. Præparabant Virgines Veſtales, & alio nomine eſt *far pium.* Virgilius[8]:

Farre pio & plenâ ſupplex veneratur acerrâ.

Horatius[9]:

Mollibit averſos Penates
Farre pio & ſaliente mica.

Aut *fruges ſalſæ.* Virgilius[10]:

Et ſalſæ fruges, & circum tempora vittæ.

Eo commolito hoſtiæ aſpergebantur, eratque ſæpius vice ἀναθυμιάσεως, ubi non ſuppetebat thus. Hinc proverbio a *Plinio*[11] dictum: *Molâ ſalſâ litant, qui thura non habent.* Hoc erat *immolare*, id eſt, molam ſalſam in victimæ caput deponere. Ovidius[12]:

Ante Deos homini quod conciliare valeret
Far erat, & puri lucida mica ſalis.

&

[1] *lib.* III. *Æneid.* [2] *lib.* IV. *Carm.* 11. [3] *lib.* XI. *Metamorph pag.* 265. [4] *lib.* IV. *cap.* 30. [5] *lib.* I. *Eleg.* 1. [6] *lib.* II. *Eleg.* 5. [7] *ad Odyſſ.* 3. [8] *lib.* V. *Æneid.* [9] *lib.* III. *Carm.* 23. [10] *lib.* II. *Æneid.* [11] *Præfat. Hiſtor. naturalis ad Veſpaſianum.* [12] *lib.* I. *Faſtor.*

& confer *Literas Sacras*, *Levit.*[1] *Numer.*[2] Porro corollas imponebant *, quas *Vittas* appellabant. Statius[3]:

Tum fera ceruleis intexit cornua Sertis.

Ovidius[4]:

Victima labe carens & præstantissima forma
Sistitur ante Aras, Vittis præsignis & auro.

Martialis[5]:

Felix tunc ego debitorque voti
Casurum tibi rusticas ad aras,
Ducam cornibus aureis juvencum.

βοὺς χρυσοκέρως est apud *Homerum* locis multis, ubi Sacrificia describit, itemque στεφήφορος βοὺς apud *Lycophronem*, id est, vacca infulata, quia ad victimas destinata erat. *Sacerdos Jovis adferebat boves coronatos ut Jovis & Mercurii victimæ essent*, *Actor.*[6], & *Balduinus Walæus*[7]. Boves auratis cornibus, infulis & coronis ornati, sunt apud *Plutarchum*[8], ubi Sacrificia describit, Tibullus[9]:

Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.

Juvenalis:

—— *Et auratam Junoni cæde juvencam*,

Ita stabant ut ictu posternerentur, primum vero capitibus † infundebant vinum. †* Ovidius[10]:

Admoti quoties templis, dum vota sacerdos
Concipit, & fundit purum inter cornua vinum.

Et[11]:

Rode caper vitem, tamen hinc cum stabis ad aram.
In tua quod spargi cornua possit, erit.

Lucanus[12]:

 —— *Sa-*

* στεφανώσαντες τὸ ζῶον Lucian. *de Sacrif.* 368.

† Servius *in* 6. *Æn.* 244. hoc cum discrimine quodam in sacris superis & infernis factum scribit, ita ut in illis vinum infunderetur, in his invergeretur.

†* Causam tradit Servius *l.* 1.

(1) 11. 13. (2) xv. 3. 4. 5. (3) *lib.* v. *Thebaid.* (4) *lib.* xv. *Metamorph.* (5) *lib.* ix. *Epigram.* 43. (6) xiv. 12. 13. (7) *Commentario ad h. l. pag.* 1168. (8) *in Æmilio Paulo pag.* 203. (9) *lib.* iv. *Eleg.* 1. (10) *lib.* vii. *Metamorph.* (11) *lib.* 1. *Fastor.* (12) *lib.* 1. *Pharsal.*

——— *Sacris tunc admovet aris*
Electa cervice marem, jam fundere Bacchum
Cœperat, obliquoque molas inducere cultro.

Virgilius [1]:

Ipſa tenens dextrâ pateram pulcerrimam Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Juvenalis [2]:

Spargenduſque mero quem jam pudet ubera matris
Ducere, qui vexat naſcenti robora cornu.

Deinde Sacerdos inter cornua victimæ ſetas manu evulſas projiciebat in ignem. Virgilius [3]:

Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos
Conſtituit frontique invergit vina Sacerdos,
Et ſummas carpens media inter cornua ſetas,
Ignibus imponit ſacris, libamina prima.

Habes in verbis illis, quod de vino affuſo proxime dictum eſt, & porro de evulſis ſetis, unde illud eſt, *libamina prima*. Etenim ſetas eas quas de victimæ fronte revulſas cum molarum parte in ignem ſuper aram conjiciebant, ἀπαρχὰς proprie dictas eſſe, notat *Johan. Meurſius* [4]. Converſus ad Ortum *ſeceſpitâ* (quomodo *Feſtus Pompeius* [5], & *Suetonius* [6], hoc μαχαιρίδιον ξυπνὸν vocant) radebat victimam a fronte ad caudam. Virgilius [7]:

——— ——— *Et tempora ferro*
Summa notat pecudum. ———

Eam † protinus adorti Victimarii *, Popæ, Camilli feriebant ſecuribus aut clavis. †* Ovidius [8]:

——— ——— *Feriuntque ſecures*
Colla toroſa boum. ———

Vir-

† Hanc ſolennitatem ſpectandam dat figura expreſſa ab J. Gutherio *l.* II. *de Jure Pontif. c.* 14.

* Nec hi tamen ſemper, ſed interdum etiam ipſi qui rem divinam faciebant. V. de la Cerda in 6. Æn. 249.

†* Et cultris. V. Taubmannum *in* 6. *Æn.* 248. Virgilius etiam *ibid. v.* 521. *enſe ferit.*

(1) *lib.* IV. *Æneid* (2) *Sat.* 12. (3) *lib.* VI. *Æneid.* (4) *ad Lycophronem.* (5) *in Fragmentis de Verborum ſignificatione pag.* 201. (6) *lib.* III. *c.* 26. (7) *lib.* II. *Æneid.* (8) *lib.* VII. *Metamorph.*


O 4

Virgilius[1]:

Quales mugitus, fugit cum ſaucius aram
Taurus, & incertam excuſſit cervice ſecurim.

Mactabant. Virgilius[2]:

Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Excipiunt pateris. ———

Sanguinem profluentem ceu rem ſacram pateris † excipiebant, ne in terram fuſus inquinaretur: nam per Aras* deinde reſperſus Deorum cultui addebat, τὸ αἷμα τῷ βωμῷ προσχέων, ait *Lucianus*[3]. †* Deglubebant. Virgilius:

Tergora deripiunt coſtis & viſcera nudant.

Popæ bini plerumque aderant, lineo amiculo tantum pudenda tecti, cætera nudi. Propertius[4]:

Succinctique calens ad nova lucra Popæ.

Suetonius[5]: *Admotâ altaribus victimâ, ſuccinctus poparum habitu, elato alte malleo, cultrarium mactavit. Cultrarium*, id eſt, eum Camillum, qui hoſtiæ jugulo cultrum admovebat. Docent hoc veteres Statuæ, & imprimis Sacrificiorum qua miniſtros & ritus omnes deſcriptio accurata eſt in Columnâ marmoreâ Trajani, quæ ſola fere ſuperſtes è præclaris monumentis viſitur Romæ, geminæ expeditionis ab illo Imperatore adverſus Dacos ſumptæ & feliciter peractæ teſtis. Depingit *Jacobus Laurus*[6], & peculiari commentario expoſitam vulgavit *Alphonſius Ciacconus Hiſpanus*. Adde Tabulam æream qua pompa Circenſis deſcribitur, apud *Onufrium Panvinum*[7], nec non Tabulam alteram, qua Sacrificiorum ritus & ſacrificialia inſtrumenta exacte pinguntur, apud eundem *Onufrium*[8], *Jacobum Laurum*[9], *Jacobum Meurſium*[10], *Joh. Jacobum Boiſſardum*[11]. Pauca

† Taubmannus in 6. Æn. v. 249. Ovidius ep. Cydipp. 93.
* Levitic. 1, 5.
†* p. 368. *Icaromenip.* 207.

(1) *lib.* 11. *Æneid.* (2) *lib.* VI. *Æneid.* (3) *de Sacrificiis.* (4) *lib.* IV. *Eleg.* 3. (5) *lib.* IV. *cap.* 33. (6) *part.* 2. *Antiquitat. Roman. num.* 27. (7) *lib.* II. *de Ludis Circenſibus pag.* 89. (8) *l. d. pag.* 90. (9) *part.* 1. *Antiquitat. Romanarum num.* 8. (10) *in Iconibus veteris Romæ pag.* 68. (11) *part.* 2. *Antiquit. Roman.*

ca aliqua habet *Barthol. Marlianus*[1], & confer Numiſmata Julii Cæſaris apud *Antonium Auguſtinum*[2].

IX. Exta educebant *, & cultro apprehenſa (non enim fas erat manibus arripere, metu pollutionis) in lance deponebant. Virgilius:

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Reddere eſt verbum ſacrificale, quod autorum locis productis confirmat *Briſſonius*[3]. Aliter dicebant, *porricere*,

—— —— *Extaque ſalſos*
Porriciam in fluctus, ——

Virgilius[4]. Varro: *Exta Diis cum dabant* porricere *dicebant*. Verbum idem ſenſu eodem adhibent *Livius*[5], *Cicero*[6]. Atque inde exta, quæ in aræ foco ponebantur, *porriciæ* vocatæ ſunt, vel *proſiciæ*, nam proſecabantur, Livius[7]: *Qui ejus hoſtiæ exta proſecuiſſet, ei victoriam dari.* Extorum partem illam quæ in Deorum honorem adolebatur, ſive proſicias, τὰς θυμάτων ἀπαρχὰς, inſpiciebant Haruſpices pro futuris indagandis: cæterum vocabantur *Ablegmina*, ut docet *Feſtus*[8], & confer *Dionyſ. Gothofredum*[9], *Johan. Gerhard. Voſſium*[10]. Parte reliqua veſcebantur per morem convivii illi qui ſacrificiis aderant. Quod vero ait Virgilius: *In ſalſos fluctus*, ad locum & tempus pertinet. De profecturis ac navem ſolventibus agit, ubi Aræ vice erat mare ipſum, quomodo in privatis, quæ pro Laribus capiebantur, Sacris Aræ loco focus erat. Itaque addit:

—— *Et vina liquentia fundam.*

Nimirum ad conciliandos Deos marinos, quod idem faciebat Alcibiades cum ſociis è Piræo ſolvens, ut refert *Thucydides*[11], & confer *Antonium Muretum*[12]. Cum

* Lucianus de Sacrif. 368. Petron. 194.

(1) *in Topographiâ urbis lib.* VII. *fol.* 173. (2) *Tab.* 2. *num.* 2. 4. 10. 12. *Tab.* 14. *num.* 7. 8. *Tab.* 55. *num.* 7. (3) *lib.* I *de Formulis antiquis pag.* 27. (4) *lib.* V. *Æneid.* (5) *lib.* XXIX. (6) *lib.* VI. *Epiſtol. ad Atticum num.* 18. (7) *lib.* V. (8) *lib.* I. *de Verborum ſignificatione pag.* 348. (9) *Notatis ad h. l. pag.* 1694. (10) *in Lexico Etymologico pag.* 414. (11) *lib.* VI. *Hiſtor.* (12) *lib.* XIV. *Var. Lect. cap.* 2.

Haruſpices pronunciabant, *exta bona eſſe*, credebant Deos propitios eſſe, ac felicem ſucceſſum habitura, quæcunque animo agitarent ſacrificantes. Hoc erat *litare*, id eſt, facto ſacrificio placare Numen ac impetrare votum, ut *Nonius* exponit. Ovidius [1]:

Victima nulla litat, magnoſque inſtare tumultus
Fibra monet.

Leno apud Plautum [2]:

Sex agnos immolavi, nec tamen potui litare.

Itaque *Suetonius* de Julio Cæſare [3]: *Pluribus hoſtiis cæſis, cum litare non poſſet, introivit curiam, ſpreta religione.* Hoc vult: Exta omnia arguebant Deos eſſe iratos, & mala multa imminere, quod tamen non curabat generoſus ille periculorum contemptor, & Planetariorum hoſtis profeſſus, quamobrem hunc victricis Urbis Principem ſuo merito commendat *Cœlius Rhodiginus* [4], & confer *Berneggerum* [5].

X. Sæpe duplicabant victimas, & *hoſtia præcidanea* vocabatur, quæ primum cædebatur, cumque illa non oſtenderet Deos faventes, *hoſtia ſuccidanea* addebatur. Nimirum quando primâ hoſtiâ litatum non fuerat, ut forte vinceretur Deorum obſtinata ingratia, addebatur ſecunda, tertia, quarta, atque cum non prodeſſent ſingulæ, juvarent multæ. Græci in Sacris ſuccidaneis exclamabant, δεύτερων ἀμεινόνων. Suetonius [6]: *Circa Peruſiam ſacrificio non litante, cum augeri hoſtias imperaviſſet.* Indidem ſunt *hoſtiæ mactæ*, id eſt, magis auctæ & confer *Aulum Gellium* [7], *Janum Guilhelmum Laurembergium* [8].

XI. Portiones membrorum viſcerumque deciſas & farinâ conſperſas in Aris exurebant *: reliquias, dapes præcerptas, pro epulis apponebant, ſive elixatas ſive toſtas. Virgilius [9]: *Pin-*

* Virgilius 6. *Æn.* 254. etiam oleum infuſum ardentibus extis tradit; quod quidam in ſacris infernis factitatum fuiſſe volunt. V. N.

(1) *lib.* XV. *Metamorph.* (2) *in Pœnulo Act.* I. (3) *lib.* I. *cap.* 81. (4) *lib.* VIII. *Antiquar. Lection. cap.* 9. (5) *Diatribis ad Julium Suetonii pag.* 212. (6) *lib.* II. *cap.* 96. (7) *lib.* IV. *cap.* 6. (8) *in Antiquario pag.* 443. (9) *lib.* II. *Georgic.*

Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.

& adde *Turnebum* [1]. Nimirum edebant & bibebant hilares, quod etiam in Lege Moſis permiſſum erat 1. *Samuel.* [2], *Nehem.* [3] Ovidius:

Dii quoque ut a cunctis hilari pietate colantur,
Triſtitiam poni per ſua feſta jubent.

Sacerdotes perinde atque illi qui Sacrificia obtulerant, horumque amici in fano conſidentes, convivia (quæ vocabant *Viſcerationes*) agitabant, uti eſt *infra* [4]. Virgilius [5]:

——— ——— *Cunctique relictis*
Conſurgunt menſis. ——— ———

Et poſt:

Tum lecti juvenes certatim, araque Sacerdos
Viſcera toſta ferunt taurorum, onerantque caniſtris
Dona laboratæ Cereris, Bacchumque miniſtrant,
Veſcitur Æneas ſimul & Trojana juventus,
Perpetui tergo bovis & luſtralibus extis.

Dona laboratæ Cereris ſunt panes è frumento confecti. *Luſtralia exta* Beroaldus [6] exponit, quod ſint præpinguia, uti *bos luſtralis*, id eſt, quinque annorum habens ætatem perfectam. Nec aliter *J. G. Stuckius* [7]. Rectius ita: *Luſtralia*, id eſt, καθαρτικὰ, quod cum Sacra omnia luſtrarent purgarentque homines, extorum eſu hoc cumprimis conſequerentur, & Sacrificiorum participes eſſent, a quibus impii arcebantur. Eodem ſenſu *luſtralia exta* dicit *Statius* [8]. Canebantur hymni & ducebantur choreæ. Exemplo ſunt Hebræi in feſto Apidis, *Exod.* [9] & ſimile eſt de Moabitis, *Numer.* [10]

XII. Victimæ offerebantur *eximiæ*, id eſt, quæ integræ erant corpore, vegetæ, robuſtæ, quæque nullum in corpore vitium * habebant ac de grege ſelectæ eximè-

* Lucianus *de Sacrif.* 368. πολύ γε πρότερον ἐξετάζουσι εἰ ἐντελὴς εἰσι τὰ ζῶα, ἵνα μήτι τι ἀχρήστων καταφάτνωσι.

(1) *lib.* XXII. *Adverſarior. cap.* 2. (2) 1. 13. 14. 15. (3) XII. 43. (4) *cap. ſeq. num.* 8. (5) *lib.* VIII. *Æneid.* (6) *Notis ad Suetonium Auguſt. cap.* 1. *p.* 53. (7) *de Sacris & Sacrificiis Gentilium pag.* 149. (8) *lib.* I. *Thebaid.* (9) XXXII. 19. (10) XV. 2.

mebantur, inde varia cognomina acceperunt, ut eſſent *egregiæ*, *nitentes* θύματα ἐξαίρετα καὶ ἔκκριτα. Virgilius[1]:

Quatuor eximios præſtanti corpore tauros
Ducit, & intactâ totidem cervice juvencas.

Et[2]:

—— —— *Superoque nitentem*
Cœlicolûm Regi mactabam in littore taurum.

Et[3]:

—— *Mactans lectas de more bidentes*
Legiferæ Cereri, Phœboque patrique Lyæo.

Eſt idem inter leges Moſis, *Levitic.*[4] *Deuter.*[5] & vide prolixe *Hieronymum Magium*[6]. Verum uti apud Hebræos politiâ ipſorum ad interitum vergente, reperti ſunt qui animalia cœca, clauda, morbida, Sacrificiis addicerent, *Malach.*[7] ita etiam apud Gentiles ultimâ Paganiſmi ætate fuerunt tales. Tertullianus[8]: *Volo & ritus veſtros recenſere, non dico quales ſitis in ſacrificando, cum enecta & tabida & ſcabioſa quadam mactatis.* Oves cumprimis bidentes capiebantur, id eſt, quæ duos ordines dentium, ſuperiores & inferiores habebant eminulos, ac cornigeræ erant. Nec non vaccæ injuges, quæ nunquam opus aliquod ruſticum fecerant, ut de Philiſtinis eſt, 1. *Samuel.*[9] Virgilius[10]:

—— *Et intactas totidem cervice juvencas.*

Et[11]:

Nunc grege de intacto ſeptem mactare juvencos
Præſtiterit, totidem lectas de more bidentes.

Boves intactas vocat *Horatius*[12]. *Caſtâ cervice juvencam* appellat *Silius Italicus*[13]. (uti ibi exponit *Daniel Heinſius*[14]) ἀδμήτας βόας *Homerus*, & vide *Turnebum*[15].

XIII. Holocauſta erant ex animali, quod totum exureba-

(1) *lib.* IV. *Georg.* (2) *lib.* XII. *Æneid.* (3) *lib.* IV. *Æneid.* (4) IX. 3. *cap.* XXII. 19. (5) XV. 21. *cap.* XVII. 1. (6) *lib.* IV. *Miſcellaneor. cap.* 4. (7) I. 8. (8) *cap.* 13. *Apologet.* (9) IX. 7. (10) *l. d.* (11) *lib.* VI. *Æneid.* (12) *lib.* V. *Carm.* 9. (13) *lib.* VIII. (14) *in Notis pag.* 118. 119. (15) *lib.* XVIII. *Adverſar. cap.* 2.

rebatur. * Et vel cum pelle, uti in Sacrificiis expiatoriis, *Levitic.*[1] *Numer.*[2] vel detractâ ante pelle, quam Sacerdos capiebat, *Levitic.*[3] Virgilius[4]: †

Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis.

Rurſum:

Tergora deripiunt coſtis. —— ——

Nimirum pellibus incubabant, & Oracula Deorum in ſomniis petebant, uti dicemus[5]. Molochi Sacrificia vivum hominem exurebant, quæ a Phœnicibus introducta, Aſiam, Africam & Europam omnem pervaſerunt. De Gallis teſtantur *Cæſar*[6], & *Hottomannus*[7], *Strabo*[8], *Johan. Jac. Chiffletius*[9]. De Britonibus *Johannes Seldenus*[10]. De Gottis ac Suedis *Johannes Loccenius*[11]. De Americanis *Oviedus*[12], *Godofredus*[13], referunt, quod ex genere hominum Sacrificia adhibuerint. Quod Jephta immolavit propriam filiam, eſt factum ſingulare, de quo peculiarem Diatribam ſcripſerunt *Michaël Chriſtianus Tirhoff* & *Ludovicus Capellus*, & vide quæ diximus *ſupra*[14]. Adde *Lilium Gyraldum*[15], *Hugonem Grotium*[16], *Johannem Saubertum*[17], *Joh. Ericum Oſtermannum*[18].

XIV. Locus Templi ſeparatus, ubi ſacrificiales pecudes mactabantur, *Delubrum* erat; Sacerdotes vero detractis victimarum pellibus incumbentes ſomnia captabant, ut Deorum inſtinctu futura cognoſcerent. Virgilius[19]:

—— —— *Huc dona Sacerdos*
Cum tulit, & caſarum ovium ſub nocte ſilenti

Pelli-

* Lucianus *de Sacrif.* 368.
† *v.* 253. ubi vide Servium de ratione holocauſti.

(1) IV. 11. 12. (2) XIX. 5. (3) VII. 8. (4) *lib.* VI. *Æneid.* (5) *ſeq. diſtinctione* 14. (6) *lib.* VI. (7) *Notatis ibidem pag.* 33. (8) *lib.* IV. (9) *in Deſcriptione Veſontionis part.* I. *cap.* 14. (10) *lib.* I. *Britan. antiquæ cap.* 4. (11) *in Antiquitatibus Suedicis p.* 32. (12) *lib.* XVII. *Hiſtoriæ. Indicæ.* (13) *in Archontologiâ Coſmicâ pag.* 333. (14) *c.* VI. *diſt.* II. *& l.* III. *c.* 5. (15) *in Hiſtoriâ Deorum ſyntagm.* 17. *pag.* 528. (16) *de Satisfactione Chriſti cap.* 10. (17) *de Sacrificiis Gentilium cap.* 21. (18) *Diſputationibus de ἀνθρωποθυσίᾳ Gentilium.* (19) *lib.* VII. *Æneid.*

Pellibus incubuit ſtratis ſomnoſque petivit,
Multa modis ſimulacra videt volitantia miris.

Et paulo poſt:

Hic & tum pater ipſe petens reſponſa Latinus
Centum lanigeras mactabat rite bidentes,
Atque harum effultus tergo, ſtratiſque jacebat
Velleribus, ſubita ex alto vox reddita luco eſt.

De Lacedæmoniis in Paſiphaës Fano teſtatur idem *Cicero*[1]. De Moſe refert *Strabo*[2], quod docuerit, ἐγκοιμᾶσθαι ἢ ἢ αὐτὸς ὑπὲρ ἑαυτῶν τε ἢ ὑπὲρ τῶν ἄλλων ἄλλους τοὺς ἐνυπνίους, *ut in templo pro ſe quiſque, vel alii qui eſſent ad bene ſomniandum apti natura, pro aliis incubarent, & iis qui temperanter & juſte vivunt, a Deo donum aliquod vel ſignum eſſe ſpectandum.* Fallitur vero, quia ſatis conſtat, Moſen fuiſſe hoſtem Planetariorum & ſomniatorum, iiſque omnibus præmia deſtinaviſſe lapides & ſaxa, *Levitic.*[3] *Deuter.*[4]

XV. Puritatem in Sacris requirebant imperabantque, cum præfarentur* formulâ ſolenni† *Procul eſte profani.* Virgilius[5]:

——— *Procul o procul eſte profani*
Conclamat Vates. ——— ———

Statius[6]:

——— ——— ——— *Adeſte*
Diique hominesque Sacris, procul ite nocentes
Si cui corde nefas tacitum. ———

Profanos vocabant, qui ſibi conſcii erant de flagitiis, aut qui ſaltem ob ætatis dignitatisve ſequiorem conditionem, inepti erant ut Sacris initiarentur. Tibullus[7]:

Num

* Πρόῤῥησιν dicit Lucianus *Alex.* 770. *Demonact.* 886. ubi & refert apud Athenienſes ἀποκεκλεῖσθαι τοὺς βαρβάρους. ab Eleuſiniis puto.

† Lucianus de *Sacrif.* 368. etiam tabulam propoſitam publice tradit, quæ prohiberet profanos ingredi, καὶ τὸ μὲν πρόγραμμά φησι μὴ παρίναι εἴσω περιῤῥαντηρίων, ὅσοις μὴ καθαρὸς ἐστι τὰς χεῖρας.

(1) *lib.* I. *de Divinatione.* (2) *lib.* XVI. *Geograph.* (3) XVIII. 21. *cap.* XIX. 31. *cap.* 20. 6. (4) XIII. 12. *ſeq. cap.* XVIII. 9. 10. 11. 12. (5) *lib.* VI. *Æneid.* (6) *lib.* III. *Silvar. carm.* 3. (7) *lib.* I. *Eleg.* 2.

Num feror inceſtus ſedes adiiſſe Deorum,
Sertaque de ſanctis deripuiſſe focis?

Suetonius de Nerone parricidâ[1]: *Peregrinatione quidem Græciæ, Eleuſiniis Sacris, quorum imitatione impii & ſcelerati voce Præconis ſubmoverentur, intereſſe auſus non eſt.* * Eos arcebant, & vero ſi turbæ ſeſe permiſcerent, re vulgatâ plectebantur capite, ut Acarnanes illi juvenes exemplo ſuo monſtrant, de quibus refert *Livius*[2]. Sæpe etiam curioſos illos Sacrorum rimatores Numen ipſum punivit. Tibullus[3]:

Tunc mihi non oculis ſit timuiſſe meis.

Ex opinione veterum, qui excœcari credebant, ſi quando myſtica Deorum Sacra & religionis arcana oculis profanis temere aliqui uſurparent, uti annotat *Paſſeratius*. Locus eſt 1. Samuel.[4] *Percuſſit autem ex Bethſemitis, quia inſpexerant Arcam Domini, percuſſit, inquam, de populo ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia virorum.* Supple, *rebus his geſtis aderant*. Nimirum occiſi ſunt viri ſeptuaginta, aderant vero quinquaginta mille ſpectatores, ut narrat *Joſephus*[5], & ſequuntur *Rupertus*, *Lyra*, *Toſtatus*[6]. Nam quod vulgo cum *Theodoreto*[7], *Procopio* & *Eucherio*[8] credunt, omnes periiſſe, a vero procul abeſt, neque ſatis defendunt *Salianus*[9], *Georgius Hornius*[10], *Johannes Buxtorffius*[11]. Ut enim ipſi docent, perierunt ideo quia inſpexerant Arcam apertam. Atqui tot millia non poterant inſpicere, quatenus in tanto concurſu multi a multis impediuntur. Negat Salianus, *poſſe magnam plagam vocari, cum ſeptuaginta occidunt*. Verum nec parva eſt plaga, morte ſubitâ concidere tot homines vegetos cæteroquin & de prope inſtante obitu parum ſollicitos. A profanis diſtinguebantur ſacrati, qui-

* V. Lucianus *Pſeudomant.* 770. Capitolinus *M. Antonin. Philoſ. c.* 27. ib. Caſaub.

(1) *lib.* VI. *cap.* 34. (2) *lib.* XXXI. (3) *lib.* I. *Eleg.* 7. (4) VI. 19. (5) *lib.* VI. *Antiquitat. cap.* 9. (6) *Comment. h. l.* (7) *Quæſt.* 14. *ad h. l.* (8) *Commentariis ibid.* (9) *Tom.* 3. *Annal. Vet. Teſtam. pag.* 66. (10) *Notis ad lib.* 1. *Sulpicii Severi pag.* 165. (11) *in Exercitationibus Miſcellaneis pag.* 166.

quibus accedere licebat & cognoſcere Myſteria illa, ſive eminus, qui *Myſtæ* vocabantur, ſive *Epoptæ* erant, qui cominus veniebant, de quâ re vide *Deſiderium Heraldum*[1], *Johannem Meurſium*[2]. Prudentius[3]:

Quid cum ſacrandus accipit ſphragitidas?
Acus minutas ingerunt fornacibus.
His membra pergunt urere, ut igniverint
Quacunque partem corporis fervens nota
Stigmarit, hanc ſic conſecratam prædicant.

Apparet ex verbis illis, ſtigmata eos in fronte vel aliâ corporis parte accepiſſe. Locus eſt Galat.[4] *Ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto.* Annotat Beza[5]: *ſtigmata, id eſt, notas injuſtas quales ſervis inuri ſolebant.* De ſervis cum inuſtâ fronte dicemus *infrà*[6]. Nam hæc quidem Pauli verba ad præſentem rem melius referas, profeſſum ſectatorem Chriſti, in cujus gratiam toleraverat perſecutiones varias, 2. *Corinth.*[7] Quæ vero leguntur de Franciſco perinde, uti Paulo contigerat, ſtigmatibus ſacris notato, apud *Rodolfum Hoſpinianum*[8], *Renatum Chôppinum*[9], illis fabulis ocioſorum cucullatorum accenſemus, & prolixius alibi vanitatis profanæ convincemus. Apud veteres Chriſtianos dicebantur *Sacrati*, qui in fronte crucis ſignaculum chriſmate prænotatum habebant, tanquam ea eſſet initiatio, ut multis locis refert *Tertullianus*, & confer *Deſiderium Heraldum*[10]. Hodie quoque Dæmon Sagis & Magis imprimit ſtigma aliquod, eoque velut charactere indelebili ad ſcholæ infernalis ſacra obligat tenaciter, *Bodinus*[11], *Remigius*[12].

XVI. Qui Sacris aderant & Myſteria cognoſcebant, lege prohibiti nemini quicquam eorum revelare debebant. Horatius[13]: —— *Non*

(1) *Animadverſis ad Arnobium lib.* II. *pag.* 87. (2) *in Eleuſiniis cap.* 8. (3) *De Coronis num.* 9. *Supplicio Romani.* (4) VI. 17. (5) *pag.* 376. (6) *lib.* IV. *cap.* I. *diſt.* 3. (7) XI. 12. 24. 25. 26. 27. (8) *lib.* VI. *de Origine Monachorum fol.* 245. (9) *lib.* II. *Monaſticorum pag.* 213. (10) *Animadverſis ad lib.* III. *Arnobii pag.* 129. (11) *lib.* IV. *Dæmonomaniæ cap.* I. (12) *lib.* I. *Dæmonolatriæ cap.* 5. (13) *lib.* I. *Carm.* 18.

——— *Non ego te candide Baſſareu*
Invitum quatiam: nec variis obſita frondibus
Sub divum rapiam.

Baſſareu, id eſt, Bacche, & cum dicit *obſita*, eſt idem quod *operta*. Senſus eſt: Non divulgabo Sacra tua, quæ ſub fide ſilentii cognoſcunt quicunque cominus accedunt. Tibullus [1]:

Non ego tentavi nulli temeranda virorum
Audax laudandæ ſacra docere Deæ.

Ita locum emendant *Scaliger*, *Livinejus*, *Simon Abbes*: quod vero legit *Gebhardus*,

——— *nulli temeranda Deorum*,

ſenſum nullum habet. Nec enim de Diis attinet loqui, cum pœna ſit irrogata hominibus qui Sacra operta enunciant in vulgus. Sub capitis pœnâ erat ſancitum ſilentium, ut *Plutarchus* [2], & *Eunapius Sardianus* [3], teſtantur. Horatius [4]:

——— *Vetabo qui Cereris Sacrum*
Vulgarit arcanæ, ſub iiſdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat phaſelum. ———

Et apud Inferos pœna ſequebatur: Ovidius [5]:

Quærit aquas in aquis & poma natantia captat
Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit.

Nimirum hac pœnâ affectus eſt, quod Deorum quædam Myſteria evulgaviſſet. De quo præterea agunt *Euripides* [6], & *Seneca* [7]. Hinc erat, quod in Templis multis Simulacra poſita eſſent, quæ digito ad labia impreſſo monebant, ut fida ſilentia eſſent, nec propalarentur ſecreta, *Auguſtinus* [8], *Æſchylus* [9]: ἐπεὶ δὲ ἀνέῳξεν ἡ χειρὸς Καλλιῤῥόᾳ ἔψαυσε πηγῆς, σὺν θυηπόλῳ χερὶ βωμῷ προσέῳξεν, ἀποτρόποισι δαίμοσι θέλξαι θύσιν πέλανον. Tacitus [10]: *Ingreſſi milites, quibus fauſta nomina, felicibus ramis,*

(1) *lib.* III. *Eleg.* 5. (2) *in Vitâ Alcibiadis.* (3) *de Vitis Philoſophorum.* (4) *lib.* III. *Carm.* 2. (5) *lib.* II. *Amor. eleg.* 2. (6) *in Oreſte.* (7) *in Thyeſte.* (8) *lib.* XVIII. *de Civit. D. c.* 5. (9) *in Perſis.* (10) *lib.* IV. *Hiſtor.*

dein Virgines Veſtales cum pueris puelliſque patrimis matrimiſque, aquâ rivis & fontibus amnibuſque hauſtâ perluere. Signumque id erat innocentis animi, qui nullius rei improbe patratæ ſibi conſcius eſſet. Virgilius [1]:

Effer aquam, ——

ſcilicet fluviatilem *, quâ Sacra & Sacrificia luſtrabantur, ut annotat *Taubmannus* [2]. Et [3]:

—— Sic effatus, ad undam
Proceſſit ſummoque hauſit de gurgite lymphas,
Multa Deos orans. ——

Horatius [4]:

Lotis mane ſenex manibus currebat.

Hinc dicendi genus, *lavo in innocentiâ manus*, quod uſurpat *David Pſalm* [5], & vertunt *Alexandrini*, νίψωμαι ἐν ἀθώοις τὰς χεῖράς μου. Alibi ſunt teſtimonia plurima. Tibullus [6]:

—— Pura cum veſte venite
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Propertius [7]:

Spargite me lymfis. ——

Plautus [8]:

Nunc lavabo ut rem divinam faciam.

Puras vero manus cum a ſordibus, tum a cæde & ſanguine exigebant. Ita *Herodoto* dicitur ἀνὴρ μὴ καθαρὸς ἐὼν τὰς χεῖρας, quia cædem manu fecerat. Res feria erat apud multos, Virgilius [9]:

Tu genitor cape ſacra manu, patrioſque penates,
Me bello è tanto digreſſum ac cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo †
Abluero, —— ——

Pilatus lavabat manum aquâ, poſtquam ſupplicium capitale denunciaverat in Jeſum Nazarenum, *Matth.* [10]

Fe-

* Flumen vivum V. *Interpretes Virgilii in* 2. *Æn.* 717.
† v. 717. V. ibi *Interpretes & Briſſonium.*

(1) *Bucolic.* 8. (2) *in Commentario pag.* 83. (3) *lib.* IX. *Æneid.* (4) *lib.* II. *Sat.* 3. (5) XXVI. 6. (6) *lib.* II. *Eleg.* 2. (7) *lib.* IV. *Eleg.* 6. (8) *in Aulariâ Act.* III. *ſc.* 6. (9) *lib.* II. *Æneid.* (10) XXVII. 24.

Feciſſe hoc eum, ut Judaicos ritus imitaretur, putat *Origenes*, verum hoc refellit Edmundus Merillus [1]: *Vix*, inquit, *probabile eſt, Pilatum hominem Romanum mores Judæorum ſequi voluiſſe.* Neque etiam neceſſarium erat, nam ipſi Romani aquâ prolutâ manus purgabant a cæde factâ, vel factæ conſenſu addito. At ſordes animi non poſſe aquis manuum profuſis expurgari, dicebat Ovidius [2]:

Omne nefas omnemque mali purgamine cauſam
Credebant noſtri tollere poſſe ſenes.

Et paulo poſt:

Ah nimium faciles qui triſtia crimina cædis
Flumineâ tolli poſſe putatis aquâ.

Et increpat Tertullianus [3]: *Qua ratio eſt, manibus quidem ablutis, ſed ſpiritu ſordidato orare?* Tale quid apud Hebræos quoque obſervare licet, eratque in Salomonis Templo περιῤῥαντήριον * (quomodo *Sozomenus* & *Theodoretus* vocant apud *Johannem Brodæum* [4]) id eſt, vas æneum capaciſſimum; eo aquæ convehebantur ad uſum Sacerdotum & aliorum qui vellent manus pedeſque lavare, & Sacris adeſſe propius, 1. *Reg.* [5], 2 *Chronic.* [6], *Franciſcus Ribera* [7], *Salianus* [8], *Juſtus Lipſius* [9]. *Delubrum* vocabant Romani partem illam Templi in qua ſtabat aquiminale magnum †, ubi merſus titio ingens ab arâ ſumptus velut conſecrabat aquas, atque inde hauriendo efficaciter deluebantur quicunque Sacris operari volebant, ut notant *Servius* [10], *Johan. Gerh. Voſſius* [11]. Ἐχερνίψατο ἐκ τ ἱερᾶς χέρνιβος eſt de Andocide ſacrificaturo apud *Lyſiam* [12]. Succeſſit his apud Chri-

P 2 ſtia-

* Περιῤῥαντηρίων in templis ethnicorum meminit Lucianus *de ſacrif.* 368. & aliis locis.

† V. Caſaubonum *ad Theophraſti Charact. c.* 17. *p.* 288.

(1) *Notis ad Paſſionis hiſtoriam.* (2) *lib.* II. *Faſtor.* (3) *de Oratione cap.* 11. (4) *lib.* I. *Miſcellan. cap.* 38. (5) VII. 23. (6) IV. 2. (7) *de Templo lib.* II. *cap.* 16. 17. (8) *in Annalibus Vet. Teſt. Tom.* 3. *pag.* 836. (9) *Notis ad Tacitum lib.* IV. *Hiſtor. num.* 77. (10) *in Commentariis Virgilianis lib.* II. *Æneid. pag.* 246. (11) *in Lexico Etymolog. pag.* 178. (12) *in Orationibus pag.* 97.

ſtianos ſerioris ævi Vas aquæ luſtralis, levium peccatorum expiatricis ad veſtibulum Templi poni ſolitum, ut ad Sacra properantes haurirent aquas & lavarent ſeſe, uti monet *Heribertus Roſweidus* [1]. Potuit inſtituti conſilium fuiſſe non malum, ſolum quod abuſus corruperit ſeculis inſecutis factum, inque ſuperſtitionem peſſimam converterit, de quo porro agunt *Andreas Rivetus* [2], *Johan. Gerhardi* [3], *Johan. Crocius* [4]. Mos idem hodie apud Turcos & Saracenos obtinet, uti refert *Johannes Wilde* [5]. Præterea Orientis Populi nudis pedibus aut ſaltem excalceati, ingrediebantur loca ſacra. Juvenalis [6]:

Obſervant ubi feſta mero pede ſabbatha Reges.

De Judæis loquitur, & ſunt exempla de Moſe, *Exod.* [7] ac de Joſuâ Principe, *Joſu.* [8] Alia habet *Cœlius Rhodiginus* [9]. Turci & Ruſſi imitantur, ut narrant *Sweiggerus* [10], *Michovius* [11]. Pythagoras apud *Jamblichum* [12] dicit, ἀνυπόδητον δὲ καὶ τὴν θεραπείαν. In Romanorum veterum ritibus nihil tale eſt, ſolum quod in Veſtalibus Feriis Matronæ pedibus nudis ad templum Veſtæ ibant, olim quidem ob cauſam eam, quod locis paludoſis conditum Templum adiretur nudis pedibus, deinde vero ſiccatis etiam locis permanſit conſuetudo, teſte *Ovidio* [13].

XVII. Neque admittebant illos qui nocte proximâ cum uxoribus lecto eodem accubuiſſent *, Tibullus [14]:

Vos

* V. Grævium *ad Heſiodum* ἔργ. 731. Caſaubonum *ad Lampridii Commod.* c. 2. Forſan omnino poſt omnem concubitum purgabant ſe aqua, ſive ſacra facturi eſſent, ſive non eſſent. Ovidius 3. *Am. el.* 7.

Neve ſuæ poſſent intactam ſcire miniſtræ.
Dedecus hoc ſumta diſſimulavit aqua.

Lucianus *Amor.* 903. Suetonius *Aug.* 94. Ovidius 3. *Am.* 7. 53.

A

(1) *Annotatis ad Paulinum pag.* 814. (2) *in Summâ Controverſiarum Tract.* 2. *quæſt.* 15. (3) *in Confeſſione Cathol. Tom.* 3. *pag.* 768. (4) *in Conſideratione brevi Religionis Papiſticæ pag.* 790. (5) *in Itinerario Orientali lib.* 11. *cap.* 51. *lib.* 111. *cap.* 11. (6) *Satyr.* 6. (7) 111. 5. (8) v. 14. (9) *lib.* v111. *Antiq. Lect. c.* 27. (10) *lib.* 11. *Itinerarii Conſtantinopol. cap.* 54. (11) *in Deſcriptione Sarmatiæ Europeæ.* (12) *in Vitâ ejus cap.* 24. (13) *lib.* v1. *Faſtor.* (14) *lib.* 11. *Eleg.* 1.

Vos quoque abeſſe procul jubeo (diſcedite ab aris)
Queis tulit heſternâ gaudia nocte Venus.

Ovidius [1]:

Annua venerunt Cerealis tempora ſacri,
Secubat in vacua ſola puella toro.

Proinde vel mulierum concubitu abſtinebant, vel ſurgentes mane corpus aquâ vivâ proluebant. Ipſæ quoque mulieres ita faciebant. De Atia matre Auguſti refert Suetonius [2]: *expergefactam quaſi a concubitu mariti purificaviſſe ſe.* Sunt præcepta in *Literis Sacris*, *Levitic.* [3], *Deuter.* [4] De re eadem Perſius [5]:

Hæc ſancte ut poſcas Tiberino in flumine mergis,
Mane caput bis terque, & noctem flumine purgas.

Noctem, id eſt, concubitum nocturnum; Juvenalis [6]:

Ter matutino Tiberi mergetur, & ipſis
Vorticibus timidum caput abluet. ——

Removebant præterea eos, qui ſomniis importunis ac triſtibus vexati animo ægro eſſent ac ſuſpenſo propter fata inſtantia. Silius Italicus [7]:

Namque aſper ſomno dirus me impleverat horror,
Et læta exultans oſtenderat ora Sichæus,
Quæ dum abigo menti & ſub lucem, ut viſa ſecundent,
Oro cœlicolas, ac vivo purgor in amne.

Igitur cum vivâ aquâ luſtrati erant, poterant ſacris adeſſe. Apulejus [8]: *Diſcuſſâ pigrâ quiete alacer exſurgo, meque protinus purificandi ſtudio marino lavacro trado, ſeptieſque ſubmerſo fluctibus capite.* Nimirum:

A tenera quiſquam ſic ſurgit mane puella,
Protinus ut ſanctos poſſit adire Deos.

Priapeja *c.* 13.

Huc, huc, quiſquis es, in Dei ſalacis
Diverti grave ne puta ſacellum,
Etſi nocte fuit puella tecum,
Hac re quos metuas adire non eſt,
Iſtuc cœlitibus datur ſeveris. &c.

Briſſonius *Form.* 6. Kuhnius & Perizonius ad *Ælianum* 2. *V. H.* 31. ἀγνεύειν Græci proprie dicunt de his qui ſacris ſe abſtinent a Venere. *ib.*

(1) *lib.* III. *Amor. Eleg.* 10. (2) *lib.* II. *cap.* 94. (3) XV. 16. (4) XXIII. 10. (5) *Sat.* 2. (6) *Sat.* 6. (7) *lib.* VIII. (8) *lib.* XI. *Metamorph. pag.* 157.

Θάλασσα πλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακὰ.

uti ait *Laêrtius* [1], eſtque verſus ille *Euripidis* [2]. Propertius [3]:

Ac prima ſomnum purâ tibi diſcute lymfâ.

Et [4]:

Sæpe illæ immeritæ cauſata eſt omina Lunæ,
Et ſibi tingendas dixit in amne comas.

Virgilius [5]: *

——— *Nox Æneam ſomnuſque reliquit,*
Surgit & ætherii ſpectans orientia Solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Suſtulit, ac tales effudit ad æthera voces.

Ubi & hoc nota, quod verſus Orientem conſtiterit recepto more apud illos, qui precabantur, ut dictum eſt *ſupra* [6]. Qui religioſiores erant, ad prolutiones addebant molam ſalſam. Plautus [7]:

Recte dicit, ut commeminit, ſomnium narrat tibi.
Sed mulier, poſtquam experrecta es, Prodigiali Jovi,
Aut molâ ſalſâ hodie aut thure comprecatam oportuit.

Tibullus [8]:

Ipſe procuravi ne poſſent ſcæva nocere
Somnia, ter ſanctâ deveneranda molâ.

Et [9]:

Et vanum ventura hominum genus omina noctis
Farre pio placant & Saliente ſale.

Confer *Martialem* [10].

XVIII. In expiationibus & devotionibus ſpargebantur ſive Lauri ſive Olivæ ramo, θαλλῷ uti vocat *Theocritus* [11], eſtque vocabulum Latio donatum apud Virgilium [12]:

—— —— *Spargens altaria thallo.*

Idem

* v. 67. Servius *quia dicitur non etiam ſolo ſomno polluere. Unde eſt, & noctem flumine purgat.*

(1) *in Vita Platonis pag.* 190. (2) *in Iphigenid.* (3) *lib.* III. *Eleg.* 8. (4) *lib.* IV. *Eleg.* 4. (5) *lib.* VIII. *Æneid.* (6) *cap.* IX. *diſtinct.* 9. (7) *in Amphitruone Act.* 2. *ſc.* 2. (8) *lib.* I. *Eleg.* 5. (9) *lib.* III. *Eleg.* IV. (10) *lib.* VII. *Epigram.* 53. (11) *Idyll.* 12. (12) *in Ciri.*

Idem ubi de Æneâ [1]:

——— *Ter ſocios purâ circumtulit undâ*
Spargens rore levi & ramo felicis olivæ,
Luſtravitque viros. ———

Notat *Servius* [2]. Olivam pro Lauro eſſe poſitam, nam communiter Laurus adhibebatur. De Oleâ *Porphyrius* [3], ἐν τῇς λιτανείας ἢ ἱκετηρίας τὰς δ' ἐλαίας βάλλας περιτίθασιν. De Lauro Ovidius [4]:

Huc venit incinctus tunicâ mercator & urnâ
Purus ſuffuſâ, quam ferat, haurit aquam.
Uda ſit hinc laurus, lauro ſparguntur ab udâ
Omnia quæ Dominos ſunt habitura novos.
Spargit & ipſe ſuos lauro rorante capillos,
Incipit & ſolita dicere voce preces.

Apud Hebræos erat herba אזוב *Exodi.* [5], *Pſalm.* [6], & de *Hyſſopo* explicant *Biblia Romana*, vetereſque Commentatores omnes, *Pagninus*, *Munſterus*, *Caſtalion*, *Tremellius*, *Johan. Buxtorfius* [7], ſed *Roſmarinum* malunt *Franciſcus Georgius Venetus* [8], *Rivetus*, *Piſcator*, *Scholiaſtæ Batavi* [9], *Daniel Feſſelius* [10]. Porro adolebatur ſulfur cum tædis, quod erat *februare*, ἀγνίζειν, καθαίρειν. Juvenalis [11]:

——— *Cuperent luſtrari, ſi qua darentur*
Sulfura cum tædis, & ſi foret humida laurus.

Ovidius [12]:

Terque ſenem flammâ, ter aquâ, ter ſulfure purgat.

Virgilius [13]:

At nutrix patulâ componens ſulfura teſtâ,
Narciſſum caſiamque herbas incendit olentes.

Statius [14]:

——— ——— *Et odori ſulfuris aurâ*
Purgat. ——— ———

(1) *lib.* VI. *Æneid.* (2) *Commentario h. l. pag.* 411. (3) *in Antro Nympharum.* (4) *lib.* V. *Faſtor.* (5) XII. 22. (6) LI. 9. (7) *in Lexico Thalmudico pag.* 50. (8) *in Harmoniâ mundi Tom.* 4. *Cant.* I. *cap.* 31. (9) *ad h. l.* (10) *lib.* V. *Adverſar ſacror. cap.* 10. (11) *Sat.* 2. (12) *lib.* III. *Faſtor. &* 7. *Metamorphoſ.* (13) *In Ciri.* (14) *lib.* IV.

Propertius [1]:

Imperat & totas iterum mutare lacernas,
Terque meum tetigit ſulfuris igne caput.

Tibullus [2]:

Ipſeque ter circum luſtravi ſulfure puro,
Carmine cum magico procubuiſſet anus.

& adde *Caſaubonum* [3], *Johannem Howerium* [4], *Jacobum Pontanum* [5].

XIX. Veſtes puras induebant, & quidem pauperes aquâ eluebant veſtes, ne quid ſordium in illis eſſet. Tibullus [6]:

——— *Purâ cum veſte venite.*

Divites habebant veſtes ſingulares, quas induebant tunc cum Sacra obire volebant. Inde ſunt *veſtes precioſæ Eſavi*, Geneſ. [7] Erant veſtes Sacerdotales, ut docent *Hebræi* & ex illis *Hieronymus*. Nam ante Sacerdotium Leviticum primogeniti familiarum Sacerdotio fungebantur, uti dicetur *infra* [8]. Erant veſtes illæ albæ. Horatius [9]:

Ille repotia, natales aliosque Dierum
Feſtos albatus celebret. ———

Ovidius [10]:

More patrum ſanctæ velatæ veſtibus albis
Tradita ſuppoſito vertice ſacra ferunt.
Ore favent populi, tunc cum venit aurea pompa,
Ipſa ſacerdotes ſubſequiturque ſuas.

Et [11]:

Scilicet exſpectas ſolitum tibi moris honorem,
Pendeat ex humeris veſtis ut alba meis?
Fumida cingatur florentibus ara coronis,
Concipiamque bonas ore favente preces.

Veſtibus iiſdem induti ſpectabant ludos publicos in honorem

(1) *lib.* IV. *Eleg.* 9. (2) *lib.* I. *Eleg.* 5. (3) *Exercit.* 16. *ſect.* 43. *nec non in Commentario ad Characteres Theophraſti.* (4) *Animadverſis ad Petronium pag.* 443. (5) *in Bellariis Atticis pag.* 371. (6) *lib.* II. *Eleg.* 1. (7) XXVII. 15. (8) *cap.* XII. *diſt.* 1. (9) *lib.* II. *Sat.* 2. (10) *lib.* III. *Amorum Eleg.* 1. 13. (11) *lib.* III. *Triſtium Eleg.* 13.

norem Deorum celebrari ſolitos. Martialis[1]:

Spectabat modo ſolus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis,
Cum plebs & minor ordo, maximusque
Sancto cum duce candidus ſederet,
Toto nix cecidit repente cœlo,
Albis ſpectat Horatius lacernis.

Ab hoc veſtitu ſacrificantes dicebantur *Candidati*, teſte *Plauto*[2]. Indidem eſt *candida turba* apud *Ovidium*[3], & *turba albata* apud *Perſium*[4]. Niſi eſſent Sacra Cocytia. Tunc enim uti hoſtia furva, ita veſtis erat pulla. Ovidius[5]:

Et nigræ veſtes corpora veſtra tegant.

Capita ornabant coronis. *Suetonius*[6] utrumque expreſſit: *Candidati, coronatique & thura libantes fauſta omina & eximias laudes congeſſerant.* Ovidius[7]:

Feſtaque odoratis innectunt tempora ſertis.

Tibullus[8]:

Hunc pura cum veſte ſequar, myrtoque caniſtra
Vincta geram, myrto vinctus & ipſe caput.

Et[9]:

Cernite fulgentes ut eat ſacer agnus ad aras,
Vinctaque poſt olea candida turba comas.

XX. Victimæ pro qualitate Numinis † dari ſolebant: eæque coloris nivei imprimis, & in Aris decore exſtructis, quando Superis Diis offerendæ erant. Virgilius[10]:

Dii quibus imperium pelagi, quorum æquora curro,
Vobis latus ego hunc candentem in littore taurum
Conſtituam ante aras voti reus. ——

† Et ejus divitiis qui offerebat Lucianus *de Sacrif.* 368. προσάγει τὰς θυσίας, βοῦν μὲν ἀροτῆρα ὁ γεωργὸς, ἄρνα δὲ ὁ ποιμὴν, καὶ αἶγα ὁ αἰπόλος. ὁ δέ τις λιβανωτὸν ἢ πέπανον. ὁ δὲ πένης ἱλάσατο τὸν θεὸν φιλήσας μόνον τὴν αὐτοῦ δεξιάν. Adde proverbium, *Mola ſalſa libant qui thura non habent.*

(1) *lib.* 1. *Epigram.* 1. (2) *in Rudent. Act.* 1. *ſc.* 5. (3) *lib.* 11. *Faſtor.* (4) *Sat.* 2. (5) *in Ibim.* (6) *lib.* 11. *cap.* 98. (7) *lib.* v. *Triſtium eleg.* 3. (8) *lib.* 1. *Eleg.* 11. (9) *lib.* 11. *Eleg.* 1. (10) *lib.* v. *Æneid.*

Et [1]:

Et ſtatuam ante aras aurata fronte juvencum
Candentem. —— ——

Horatius [2]:

Quique vos bobus veneratur albis.

Silius Italicus [3]:

Jamque Deûm Regi, Martique ſub omine fauſto
Inſtauratur honos, niveoque ante omnia tauro,
Placatur meritis monitor Cyllenius aris.

Horatius [4]:

Voveram dulces epulas & album
Libero caprum. ——

Nam cum Diis Inferis, Plutoni & Dianæ, Diisque Manibus offerre volebant, pecudes furvas nigrasque capiebant. *Zoſimus* [5]: ὄναρ ᾧ θεασάμενοι προσαγαγεῖν ἱερεῖα μέλαινα Περσεφόνῃ καὶ Ἅιδῃ. Virgilius [6]:

Et nigram mactabis ovem, lucumque reviſes.

Et [7]:

Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Et [8]:

—— —— *Huc caſta Sibylla*
Nigrarum multo pecudum te ſanguine ducet.

Et [9]:

Duc nigras pecudes, ea prima piacula ſunto.

Ibidem:

Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos
Conſtituit. —— ——

Et paulo poſt:

—— *Ipſe atri velleris agnam*
Æneas matri Eumenidum, magnæque ſorori
Enſe ferit. —— ——

Tibullus [10]:

—— —— *Nocte ſerenâ*

Con-

(1) *lib.* IX. *Æneid.* (2) *In Carm. ſecul.* (3) *lib.* III. (4) *lib.* III. *Carm.* 8. (5) *lib.* III. *Hiſtor.* (6) *lib.* IV. *Georg.* (7) *lib.* III. *Æneid.* (8) *lib.* V. *Æneid.* (9) *lib.* VI. *Æneid.* (10) *lib.* I. *Eleg.* 2.

Concidit ad magicos hostia pulla Deos.

Et [1]:

Interea nigras pecudes promittite Diti.

Lucretius [2]:

Et nigras mactant pecudes & manibus divis
Inferias mittunt. — ——

Hostiæ furvæ, boves atri immolantur Diti Patri & Proserpinæ, apud *Valerium Maximum* [3], *Censorinum* [4], *Arnobium* [5], *Stewechium* [6], *Elmenhorstium* [7]. Nec aliter hodie est. Quicquid enim Sagæ pendunt Dæmoni, illud nigri coloris esse oportet, ut docet *Remigius* [8]. Porro fiebant sacra illa in scrobe vel terrâ effossâ Ovidius [9]:

—— —— *Statuitque Aras è cespite binas*
Dexteriore Hecates, at lævâ parte Juventæ.
Has ubi verbenis sylvaque incinxit agresti,
Haut procul egestâ scrobibus tellure duabus,
Sacra facit, cultrosque in guttura velleris atri
Conjicit, & patulas perfundit sanguine fossas.

Horatius [10]:

—— —— —— *Scalpere terram*
Unguibus & pullam divellere mordicus agnam
Cœperunt, cruor in fossam confusus, ut inde
Manes elicerent. —— —— ——

Βοθρῳ ὀρύξας, ait *Apollonius* [11], & confer *Festum Pompeium* [12].

CAP. XII.

De Ministris Sacrorum.

I. Uti ritus Sacrorum & Festi dies creverunt sensim apud Romanos, ita etiam Sacri Ordines & Sacro-

(1) *lib.* III. *Eleg.* 5. (2) *lib.* III. *de Natur. rer.* (3) *lib.* II. *cap.* 5. (4) *de Die natali cap.* 17. (5) *lib.* VII. *Adversus Gentes pag.* 225. (6) *Annotatis ibidem pag.* 147. (7) *Annotatis ibidem pag.* 126. (8) *lib.* I. *Dæmonolatriæ cap.* II. (9) *lib.* VII. *Metamorphos.* (10) *lib.* I. *Sat.* 8. (11) *lib.* III. *Argonauticor.* (12) *lib.* I. *de Verborum significat. pag.* 249.

Sacrorum Miniſtri, non quidem omnes ſimul eodem tempore exſtiterunt, verum ſenſim alii aliis additi, ordines auxerunt. Nec ſemper viri illi, ſæpe etiam fœminæ fuerunt. JANUS eſt, ultra quem non adſcendunt. Aboriginum ſive Caſcorum relationes, *Genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, liberum atque ſolutum*, ait *Salluſtius*[1]. Is vero contentus erat Numen ſimplici cultu & a cerimoniis remoto Sacrorum apparatu, farre pio & vino, venerari. De his temporibus *Plinius*[2] dicebat, *arbores fuerunt Numinum templa*. Neque tunc opus erat Templis aut Sacrorum Miniſtris ad hoc tantum deſignatis, ut Sacrorum cerimonias numeroſas diligenter obirent. Ara ſufficiebat, herus ipſe docebat, quæ neceſſaria erant, ut ea noſſet familia ſua, ipſe etiam Sacrificia peragebat, ut manifeſtum eſt de Abrahami arâ, circumciſione, ſacrificio, *Geneſ.*[3]. Primogenitus familiæ, quando herus cauſis moleſtis impeditus non poterat fungi Sacris, loco ejus erat, inde ſunt Eſavi *veſtes honorabiles*, id eſt, ſacerdotales, *Geneſ.*[4] & de primogenitis aliis eſt teſtimonium manifeſtum, *Exodi*[5], *Numeror.*[6]. Adde his *Johan. Seldenum*[7]. Deinceps vero inſtitutum fuit miniſterium Leviticum, in quo pompæ multum erat, adeoque prolixe deſcribitur *Exodi*[8], & confer *Renatum Chôppinum*[9].

II. Saturnus in aris & lucis reliquit eo loco, quo acceperat, negocium Sacrorum, agriculturæ deditus. Nec aliter egit Picus. Virgilius[10]:

Tectum auguſtum, ingens, centum ſublime columnis,
Urbe fuit ſummâ, Laurentis regia Pici,
Horrendum ſilvis & relligione parentum.

Primus in monte Palatino condidit Templum Faunus, ab Arcadibus & Pelaſgis perſuaſus, qui terris ſuis egreſſi in Latium commigraverant, exules, & vagi hactenus,

(1) *in Catilinariâ.* (2) *lib.* XII. *c.* 1. (3) XII. 4. *cap.* XVII. 23. *cap.* XXII. 2. (4) XXVII. 15. (5) XIX. 22. *cap.* XXIV. 5. (6) III. 41. (7) *de Succeſſione in Pontificatu Ebræorum lib.* I. *cap.* I. (8) XXVIII. XXIX. *cap.* (9) *lib.* I. *de Politiâ ſacrâ.* (10) *lib.* VII. *Æneid.*

nus, itaque פלגש *exul* eſt. πλανήτας vocat *Dionyſius Halicarnaſſeus*[1], ἔθνος πλάνον *Strabo*[2]. Panis cerimonias adferebant ſecum impoſtores & necromantici ſummi, quem tamen divinis honoribus afficere voluerunt, & Fauno iiſdem artibus dedito facile perſuaſerunt, ut communium artium magiſtro, quem illi pernoverant, recepto apud Orientis Populos more, Sacra publica adornaret, eisque miniſtros certos præficeret, quos vocabant LUPERCOS, & Ferias Pani conſecratas, *Lupercalia*, quas pro expiandis Manibus quibusvis peragebant XV. Februarii, *Livius*[3], *Valerius Maximus*[4], *Juſtinus*[5]. Canem immolabant & capras aliquas, earum pellibus detractis velut ſubligaculis obtegebant pudenda, cætera nudi. Virgilius[6]:

—— —— *Nudosque Lupercos.*

Γυμνοὶ ἀφθέοντες ἐν περιζώμασι, ait *Plutarchus*[7]. Per vias cum ingenti clamore & prono curſu vagabantur, obvios flagro ſacro & ferulâ percutiebant, quod cumprimis fœminæ expetebant, ac credebant, poſſe hoc ad fœcunditatem conferre. Juvenalis[8]:

Nec prodeſt agili palmas præbere Luperco.

Nimirum ſteriles mulieres occurrebant Lupercis inſanis, & dextram porrigentes ferulâ ab eis percutiebantur, ut eo facilius conciperent. Notat *vetus Scholiaſtes*, & ex eo *Lubinus*[9]. Rem totam deſcribit quoque *Ovidius*[10].

III. Arcades iidem Cereris Templum in Palatino monte condiderunt, fœminasque addiderunt Græcorum ritu, a quibus Sacra Divæ ejus peragerentur, *Dionyſius Halicarnaſſeus*[11]. Sed & hominum generis Sacrificia in uſu erant potiſſimum illis qui Saturnum defunctum honore proſequebantur. Euander Pelaſgorum ductor fuerat. Virgilius[12]:

Tecta

(1) *lib.* II. (2) *lib.* XIII. (3) *lib.* I. (4) *lib.* VII. *cap.* I. (5) *lib.* XLIII. (6) *lib.* VIII. *Æneid.* (7) *in Romulo.* (8) *Sat.* 2. (9) *Commentario ad h. l. pag.* 121. (10) *lib.* II. *Faſtor.* (11) *lib.* I. (12) *lib.* VIII. *Æneid.*

Tecta vident, quæ nunc Romana potentia cœlo
Æquavit: tunc res inopes Euandrus habebat.

Huc conveniebat Hercules manipularibus ſuis comitatus, ab Hiſpaniâ remenſus iter, ut per Italiam contenderet in Græciam, & hoc cumprimis egit, ut Sacrificia nefaria abrogarentur, adeoque quos vivos hominēs in Tiberim dejecerant hactenus, eorum loco ſimulacra ſcirpea vel ſtraminea hominis ſpeciem gerentia præcipitaverunt. Refert Ovidius [1]:

Tunc quoque priſcorum virgo ſimulacra virorum
Mittere roboreo ſcirpea ponte ſolet. &c.

Porro Herculi gratia illa relata eſt, quod latrocinia de meliori Orbis parte repurgaviſſet, ut Deum renunciaverint illum, araque poſita, juvencum quotannis obtulerint; Miniſtri Sacrorum delecti ſunt è familiis nobiliſſimis, Pinariis & Potitiis. *Dionyſius Halicarnaſſ.* [2], *Livius* [3]. *Inſcriptio* Romana: HERCULES. INVICTE. CAUTUS. HOC. TUO. DONUM. NUMINI. SANCTO. DICAVIT. PRÆTOR. URBIS. CUM. PIA. SOLENNE. MENTE. RITE. PECISSET. TRADIDISTI. QUOD. POTITIS. EUANDREO. ADMINISTRANDUM. QUOTANNIS. HIC ADES. *Gruterus* [4].

Huc pertinent illa Virgilii [5]:

Forte die ſolemnem illo Rex Arcas honorem
Amphitryonidæ magno divisque ferebat
Ante urbem in luco. —— ——

Nam *Amphitryoniades* eſt Hercules. Et poſt multa:

Ex illo celebratus honos latique minores
Servavêre diem, primusque Potitius auctor
Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacri,
Hanc aram luco ſtatuit. ——


Et ibidem:

Jamque Sacerdotes primusque Potitius ibant,
Pellibus in morem cincti, flammasque ferebant.

IV. Novum incrementum acceperunt Sacra, cum adventu Æneæ Principis Trojani in Latium, qui præter

(1) *lib.* II. *Faſtor.* (2) *lib.* I. (3) *lib.* I. (4) *in Volumine pag.* 47. (5) *lib.* VIII. *Æneid.*

ter alia Phrygum ſancita adduxit ignem † pervigilem



Veſtæ dicatum, & Sacerdotes fœminas adjunxit, VESTALES, Lavinii primum; inde Aſcanius deportavit Albam, urbem a ſe conditam. Veſtalis erat Rhea Sylvia, Numitoris Regis filia, mater Romuli. Virgilius [1]:

——— ——— *Donec Regina Sacerdos*
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.

Romulus bellator melior quam Sacrorum procurator, nihil addidit. Quod enim de puellâ Tarpejâ Romuli ævo refert Propertius [2]:

Quæ voluit flammas fallere Veſta tuas,

ad licentiam Poëticam redigi debet, neque enim Romulus noverat in urbe ſuâ Veſtales. Ejus ſucceſſor Numa Pompilius vicinorum quorumvis Sacra per delectum accepit, ab Albanis perpetuum ignem accerſivit, & Romanis commendavit, *Dionyſius Halicarnaſſ.* [3] *Florus* [4]. De Veſtâ & Veſtalibus peculiare Syntagma compoſuit *Juſtus Lipſius*, a quo deſcripſit aliqua *Proſper Stellartius* [5], & confer *Alexandrum Neapolitanum* [6]. Sex numero

† Quem ſpectas in nummis apud J. Lipſium *de Veſta & Veſtal. c.* 5.

(1) *lib.* 1. *Æneid.* (2) *lib.* IV. *Eleg.* 4. (3) *lib.* VII. (4) *lib.* 1. *cap.* 2. (5) *lib.* 1. *de Tonſuris & Coronis cap.* 6. (6) *lib.* V. *Genial. dierum cap.* 12.

mero erant, famæ integræ & corporis vegeti. Pro cuſtodiendo igne excubabant per vices, & ſi quæ oppreſſa ſomno vel alias negligenter advertendo ignem exſtinxerat, flagris cædebatur a Pontifice Maximo, *Livius*[1], *Valerius Maximus*[2], *Feſtus Pompeius*[3]. Parebant uni, quæ *Veſtalis Maxima* dicitur apud *Suetonium*[4], & *Virgo Maxima* apud *Valerium Maximum*[5], (quomodo ibi recte emendat *Stephanus Pighius* Campenſis[6]) & *Lampridium*[7]. *Veſtalium Vetuſtiſſima* appellatur a *Tacito*[8], ἡ πρεσβύτατα eſt apud *Dionem*[9]. *Inſcriptio* Romana: CLOELIÆ. CLAUDIANÆ. V. V. MAX. RELIGIOSISSIMÆ. BENIGNISSIMÆQUE. CUJUS. RITUS. ET. PLENAM. SACRORUM. ERGA. DEOS. ADMINISTRATIONEM. URBIS. ÆTERNÆ. LAUDIBUS. S. S. COMPROBAT. OCTAVIA. HONORATA. V. V. DIVINIS. EJUS. ADMONITIONIBUS. SEMPER. PROVOCATA. COLLOCATA. XIII. KAL. APRIL. C. AUFIDIO. ATTICO. C. ASINIO. PRÆTEXTATO. COSS. Nec non altera Romana ad montem Palatinum: FLAVIÆ. PUBLICIÆ. V. V. MAX. SANCTISSIMÆ. ET. PIISSIMÆ. AC. SUPER. OMNES. RETRO. RELIGIOSISSIMÆ. PURISSIMÆ. CASTISSIMÆQUE. CUJUS. RELIGIOSAM. CURAM. SACRORUM. ET. MORUM. PRÆDICABILEM. DISCIPLINAM. NUMEN. QUOQUE. VESTÆ. COMPROBAVIT. Q. VETURIUS. MEMPHIUS. V. E. FICTOR. V. V. DIGNATIONIS. ERGA. SE. HONORISQUE. CAUSA. PLURIMIS. IN. SE. CONLATIS. BENEFICIIS. *Gruterus*[10]. Eratque autoritatis magnæ, ut apud eam deponerentur teſtamenta Virorum illuſtrium, quod de Julio Cæſare & Auguſto referunt *Suetonius*[11], *Tacitus*[12]. Communis omnium honos erat, ut cum occurrerent facinoroſo ad ſupplicium eunti, vitæ gratiam huic facerent, quando jurabant, occurſum non fuiſſe conſilii deſtinati, autore *Plutar-*

(1) *lib.* XXVIII. (2) *lib.* I. *diſt.* 7. (3) *lib.* IX. *de Verbor. ſignificat. pag.* 297. (4) *lib.* I. *cap.* 83. *lib.* XIII. *cap.* 8. (5) *lib.* I. *cap.* I. *diſt.* 7. (6) *in Notis pag.* 3. (7) *in Heliogabalo.* (8) *lib.* XI. *Annal.* (9) *lib.* LIV. (10) *in Volumine pag.* 309. 311. (11) *lib.* I. *cap.* 83. *lib.* XI. *cap.* 101. (12) *lib.* I. *Annal.*

Plutarcho. Solebant uti illis velut de periculis & delictis, ut eo facilius venia impetraretur. *Per Virgines Veſtales veniam impetravit*, ait Suetonius [1]. *Suaſit* (Vitellius) *Senatui, ut Legatos cum Virginibus Veſtalibus mitterent, pacem aut certe tempus ad conſultandum petituros*, ait idem [2]. Et Cicero [3]: *Si quid deliquero, nullæ ſunt Virgines quæ me a vobis deprecentur*. Exemplum quoque habes in Meſſalinâ Auguſtâ ad Claudium maritum, quem læſerat indignis modis, itaque *ablegavit ad eum Vibidiam Veſtalem ut deprecaretur*, Tacitus [4]. Triginta annis deſerviebant cum præſcripto ſervandæ pudicitiæ, elapſis iis cum ultrâ perſeverare non libebat, nubere poterant, *nuptias vero auſpicatas raro fuiſſe*, ait *Maſenius* [5]. De quo viderit ille, an verum ſit, veterum exempla nihil tale conteſtantur. Si quæ durantibus annis Miniſterii viro miſcebatur, eam lugubriter veſtitam vinctamque ſandapila ex Urbe deportabant lictores comitati Sacerdotum turbâ & Pontifice Maximo, inde ſub portâ Collinâ in tumulo effoſſo (ubi lucerna accenſa inerat, cum panis buccellâ & lactis hauſtu uno, brevis vitæ in claudendo mox ſpecu ſolatium) vivam collocabant, terraque ſuperaggeſta operiebant, exemplis prolatis apud *Ovidium* [6], *Livium* [7], *Plinium* [8], & adde *Wilhelmum Canterum* [9]. Nummus, in quo ſunt Veſtales quatuor cum duobus Camillis, æternum Ignem ſervantes, exhibetur apud *Antonium Auguſtinum* [10].

V. Numa Pompilius eſt ille, qui Sacrorum ritus & Sacrificulorum cohortes perfecit, *artifex in comminiſcendis religionibus*, ait *Arnobius* [11]. De illo Virgilius [12]:

Quis procul ille autem ramis inſignis olivæ
Sacra ferens, noſco crines incanaque menta
Regis Romani, primam qui legibus Urbem

(1) *lib.* I. *cap.* I. (2) *lib.* IX. *cap.* 16. (3) *contra Legem Agrariam.* (4) *lib.* XI. *Annal.* (5) *in Antiquitat. Romanis cap.* 28. *diſt.* 13. (6) *lib.* VI. *Faſtor.* (7) *lib.* VIII. (8) *lib.* IV. *Epiſt.* 11. (9) *lib.* VII. *Novar. Lectionum cap.* 6. (10) *Tab.* 63. *num.* 23. (11) *lib.* I. *adverſ. Gentes.* (12) *lib.* VI. *Æneid.*

Fundabit, Curibus parvis & paupere terrâ
Miſſus in imperium magnum. ———

Numa Rex a primâ ætate canus fuiſſe perhibetur, monente *Servio*[1]. Ab Albanis & Sabinis accepit quædam, plurima vero ab Hetruriâ petivit, *matre & genetrice ſuperſtitionis*, uti loquitur *Arnobius*[2]. Habebant ſane antiquiſſimum cum Oriente & Inſulis aſſitis commercium, ipſi quoque ab Oriente ad loca illa pervenerant, Tyrrheni vero nomine, quod a Phœniciæ celeberrimis Tyriis oriundi eſſent, ut produnt *Strabo*[3], *Plinius*[4], & poſt illos evincere conatur *Fullerus*[5]. Quidam etiam a Lydis. Virgilius[6]:

——— ——— *Juſſis gens Lydia Divûm*
Externo commiſſa Duci. ———

Gens Lydia, id eſt, Tyrrheni & Hetruſci, de quibus proxime egerat. Similia habent *Vellejus*[7], *Appianus*[8], *Solinus*[9], *Juſtinus*[10], & adde *Wilhelmum Canterum*[11], *Antonium Thyſium*[12]. Princeps Sacerdotum erat PONTIFEX MAXIMUS cum poteſtate ampliſſimâ: interpretabatur leges ſcriptas cum ſummo favore Populi, Sacra diſponebat pro lubitu, Deorum cultum profitebatur cum authoritate, res geſtas in civitate notabat conſignabatque tabulis perpetuis, ut annales certæ fidei eſſent. Aderant ei Pontifices minoris authoritatis primo quatuor, tum quinque, demum quindecim, omnes Sacrorum rituum periti, quomodo in Collegiis modernis ſunt Decanus & Capitulares. Pontificis velut Suffraganeus erat REX SACRIFICULUS, quem conſtituit Junius Brutus poſt Reges ejectos. Quia enim Sacra quædam privata Reges ipſi peragere ſolebant, ne Deos forte læderent illi qui Regum hoſtes erant, ordinaria Sacra permiſerunt eis quibus hactenus curæ fuerant, Regia vero demandarunt noviter creato Regi ſacrificu-

lo,

(1) *Commentar. h. l. pag.* 445. (2) *l. d.* (3) *lib.* v. *Geograph.* (4) *lib.* III. *cap.* 5. (5) *lib.* I. *Miſcellan. cap.* 11. (6) *lib.* X. *Æneid.* (7) *lib.* I. (8) *in Punicis.* (9) *in Polybiſtor. cap.* 2. (10) *lib.* XX. (11) *lib.* IV. *Novar. Lection. cap.* 18. (12) *Notis ad Vellejum pag.* 6.


lo, *Dionyſius Halicarnaſſæus*[1], *Livius*[2], *Plutarchus*[3], & *Boxhornius*[4], *Henricus Savilius*[5]. Ejus vero domus etiam, in quâ habitabat, *Regia* vocabatur. Suetonius[6]: *Dum lecticâ ex Regia domum redeo. Regia*, id eſt, domus Regis ſacrificulorum ut exponit *Sabellicus*[7]. Demum Pontifex Maximus factus eſt ille qui Imperator erat, idque primus obtinuit Julius Cæſar, porro confirmatum eſt Auguſto, *Suetonius*[8], *Dion Caſſius*[9]. Cæſares ſecuti uſurpaverunt omnes, ut teſtantur *Inſcriptiones* plurimæ apud *Gruterum*[10], *Johan. Jac. Boiſſardum*[11], & nummi Cæſarum * in quibus ſunt inſignia Auguriorum & Sacerdotiorum, apud *Antonium Auguſtinum*[12]. Ac permanſit ita ad Gratianum uſque qui Pontificis Maximi titulum ultro omiſit, teſte *Zoſimo*[13], unde allegat *Spondanus*[14]. Attamen eſt *Inſcriptio* † Romana: GRATIANUS. PIUS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIUMF. SEMPER. AUG. PONTIF. MAXIMUS. GERMANIC. MAX. ALAMANNIC. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. *Joh. Jacobus Boiſſardus*[15], *Gruterus*[16]. Mos idem erat in Gentibus aliis, ut ſupremam curam Sacrorum Regibus imponerent, de quibus aliqua notavimus *in Auctariis ad Pappum*[17], & confer *Onufrium Panvinium*[18], *Johannem Seldenum*[19].

VI. Ab his Sacrorum Doctoribus, qui Theoretici plerique erant, Practici Sacrorum operatores informabantur, FLAMINES dicti ab integumento capitis,

* Tales ſunt quos ex J. Gutherii *l.* 1. *de Jure Pontif. c.* 3. 8. & 9. huc tranſtulimus, eoſque vide ſequenti pagina 244.

† V. Joſ. Caſtalio *Explic. Inſcript. obeliſci Aug. t.* IV. *p.* 1863. add. Jac. Gothofredum ep. ad Andr. Rivetum *de interd. Chriſtian. cum Gentilib. communione deque Pontificatu max.*

(1) *lib.* v. (2) *lib.* 11. (3) *in Quæſtionibus Romanis n.* 62. (4) *Comment. ibid.* (5) *Notis ad Tacitum pag.* 317. (6) *lib.* 11. *cap.* 76. (7) *Notis ad h. l. fol.* 109. (8) *lib.* 11. *cap.* 31. (9) *lib.* LIV. *Hiſtor.* (10) *in Volumine pag.* 225. (11) *part.* 3. 4. 5. 6. *Antiquit. Roman.* (12) *Tab.* 11. *num.* 13. *Tab.* 14. *num.* 6. 7. 8. 9. *Tab.* 17. *num.* 10. 11. 22. *Tab.* 20. *num.* 6. *Tab.* 33. *num.* 12. 15. (13) *lib.* IV. *Hiſtor.* (14) *in Epitome Annalium Baronii pag.* 411. (15) *part.* 3. *Antiquit. Roman. pag.* 114. (16) *in Volumine pag.* 160. *num.* 4. (17) *pag.* 143. (18) *Commentario ad lib.* v. *Faſtorum pag.* 330. (19) *de Succeſſione in Pontificatu Ebræorum lib.* 1. *cap.* 13.



quod flammeum vel flamam (alio nomine *Tutulum* apud *Feſtum Pompeium*[1], & *Fulgentium*[2]) vocabant, erantque infula vel pileus de pellibus confectus, κνωειδὴς, quem ſub collo adſtrictum ligulis habebant, ne motu capitis inter operandum agitatus excuteretur ille, & delictum in Sacris eveniret: utrinque dependebat Vitta, id eſt, velum, ſive lineum ſive laneum, quo comam alligabant. Virgilius[3]:

—— —— *Phœbi Triviaque ſacerdos*

Infu-

[1] *lib.* XIX. *de Significatione Verborum pag.* 470.

[2] *libello de Priſco Sermone num.* 14. [3] *lib.* X. *Æneid.*

Insula cui sacrâ redimibat tempora vitta.

Numismata cum Tutulo Julii Cæsaris sunt apud *Antonium Augustinum* [1]. Nudis enim capitibus incedere (more vulgi apud Romanos) vetitum erat illis, itaque in æstu deponebant pileos, & inde acceptam Vittam capiti imponebant, ut vel isto modo caput opertum haberent, *Varro* [2], & *Scaliger* [3], *Servius* [4], *Johan. Gerh. Vossius* [5], *Philippus Rubenius* [6]. Sulpicius inter sacrificandum excussit pileum, & sacerdotio abire jussus est, *Valerius Maximus* [7]. Eorum uxores erant Flaminicæ. *Inscriptio* Italica: ALBIÆ. C. F. BALBINÆ. FLAMINICÆ. PISAURI. ET. ARIMINI. PATRONÆ. MUNICIPI. PITINATIUM. PISAURENSIUM. HUIC. ANNO. QUINQUENNAL. PETINII. PRISCI. MARITI. EJUS. PLEBS. URBANA. OB. MERITA. EORUM. *Gruterus* [8]. Et coadjutores erant Flaminii, habebantque CAMILLOS & ÆDITUOS, domesticos ac in publicis laboribus administros. *Servius* scribit [9]: *Ministros in sacris Camillos vocabant, unde etiam Mercurius Etruscâ linguâ* Camillus *dicitur, id est, minister Deorum*, & similia prorsus habent *Varro* [10], *Festus Pompeius* [11]. Etrusci acceperunt a Phœnicibus vocabulum כמרים / ut a *camirus* sit ὁ παρὰ τοῖς Τυρσηνοῖς *camillus*. 1. Reg. [12] *Hose.* [13] (ubi vide *Commentaria Riveti* [14], & adde *Johan. Buxtorfium* [15]) *Zephan.* [16] Æditimi Templorum fores aperiebant & claudebant, *Varro* [17], *Jacobus Stoer* [18]. *Inscriptio* Romana: COSMUS. ÆDITUUS. MATRIS. D. ANTIOCHO. SACERDOTE ANNIS. XII. EJUSDEM. AB. IMP. AUGUSTO GRATIS. MANUMISSUS. OL. SUPRA. SUNT. H. S. N. L. DONATIONIS.

[1] *Tab.* 2. *num.* 3. 7. *Tab.* 3. *n.* 8. *Tab.* 4. *n.* 20. *Tab.* 6. *num.* 11. *Tab.* 8. *num.* 4. [2] *lib.* IV. *de LL. pag.* 22. 23. [3] *in Conjectaneis ibid. pag.* 37. & 125. [4] *Comment. ad lib.* VIII. *Æneid. pag.* 531. [5] *in Lexico Etymologico pag.* 218. [6] *lib.* II. *Elector. cap.* 25. [7] *lib.* I. *cap.* I. *dist.* 4. [8] *in Volumine pag.* 322. [9] *Commentar. ad lib.* XI. *Æneid. pag.* 650. [10] *lib.* VI. *de LL. pag.* 71. 72. [11] *lib.* VI. *de Verborum significat. pag.* 289. [12] XXIII. 5. [13] X. 5. [14] *pag.* 322. [15] *in Lexico Thalmudico pag.* 1052. [16] 1. 4. [17] *lib.* VI. *LL. pag.* 68. [18] *in Lexico Juris pag.* 77.

NIS. CAUSA. MANCIP. *Gruterus* [1]. Dignitate quidem infra Theoreticos multum erant, verum in deliberationibus publicis ad Sacra pertinentibus unâ ſedebant, & conſultabant uti conſtat *ex Oratione Ciceronis* [2]. Tot erant Flamines quot Divi, & per ſe quiſque Sacra ſua procurabat, a quibus cognomen habebat. Celebris eſt FLAMEN DIALIS, qui Sacra Jovis apparabat. Nam ὁ Διὸς Jupiter eſt, *Inſcriptio* Metenſis: AUL. SEMP. ASPERNATI. FLAMINI. DIALI. CONJUGI. OPTUMO. BENE. MERENTI. HECALE. FLAMINICA. P. C. ET. JUL. MODESTINO. LETH. B. M. ET. SIBI. ET. SOCIIS. *Gruterus* [3]. Ejus peculiares leges enumerant *Aulus Gellius* [4], *Plutarchus* [5].

VII. Mars habebat quoddam ſingulare genus Sacerdotum. Dicti ſunt SALII, id eſt, Saltatores, quoniam in Feſto Anciliorum ad tibiarum modulos choreas inſtituebant, & totâ Urbe pervagati devotionem oſtentabant. *Inſcriptio* Romana: MANSIONES. SALIORUM. PALATINORUM. A. VETERIBUS. OB. ARMORUM. ANNALIUM. CUSTODIAM. CONSTITUTAS. LONGA. ÆTATE. NEGLECTAS. PECUNIA. SUA. REPARAVERUNT. PONTIFICES. VESTÆ. V. V. C. PRO. MAGISTERIO. PORTII. ACILII. LUCILII. PRÆTEXTATI. *Petrus Appianus* [6]. Horatius [7]:

——— ——— *Pede candido*
In morem Salium ter quatiunt humum.

Et [8]:

Nec morem in Salium ſit requies pedum.

Saliſubſulos vocat Catullus [9]:

In quo Saliſubſuli ſacra ſuſcipiunto.

Quanquam *Virgilius* illos ὑμνῳδὸς, qui in Herculis Sacris ἐνόπλιον ὄρχησιν ductore Æneâ Trojano ſaltabant, *Salios* appellat quoque [10]:

Tum


[1] *in Volumine pag.* 308. [2] *pro domo ſuâ.* [3] *in Volumine pag.* 307. [4] *lib.* x. *Noct. Attic. cap.* 15. [5] *in Quæſtionibus Romanis num.* 109. [6] *in Collectaneis pag.* 217. 287. [7] *lib.* IV. *Carm.* 1. [8] *lib.* 1. *Carm.* 36. [9] *Epigram.* 17. [10] *lib.* VIII. *Æneid.*

Tum Salii ad cantus incenſa altaria circum
Populeis adſunt evincti tempora ramis.
Hic juvenum chorus, ille ſenum, qui carmine laudes
Herculeas & facta ferant.

In quo vocis uſum extendit præter ſolitum, ut monet *Turnebus*[1]. Cæterum Martis Salii erant numero duodecim ex inſtituto primo Numæ: totidem ſecundo inſtituto adjecit Tullus Hoſtilius. Et Numa quidem ſuos vocavit cognomine *Palatinos;* Tullus vero ſuos *Collinos*, *Livius*[2], *Florus*[3], *Dionyſius Halicarnaſſ.*[4]. *Inſcriptio* Romana: P. CÆLIO P. F. SER. BALBINO. VIBULLIO. PIO. X. VIRO. ADJECTO. INTER. PATRICIOS. AB. IMP. CÆS. TRAJANO. HADRIANO. AUG. SALIO. COLLINO. QUÆST. AUG. FLAMINI. ULPIALI. P. R. D. *Johan. Jacobus Boiſſardus*[5]. De Marco Antonio ſcribit Capitolinus[6]: *Fuit in ſacerdotio Saliorum & Præſul, & Vates, & Magiſter, & multos inauguravit atque exauguravit.* Diſtinguit hæc tria in Saliatu munera, Præſulis, Vatis, & Magiſtri. Ac *Præſul* quidem eſt præſultor, ὁ ἐν τοῖς ἱεροῖς πρωρχούμενος. *Vates*, qui præcinebat ſacras melodias & axamenta, ut choreæ eſſent bene compoſitæ. *Magiſter*, ὁ ἔξαρχος Collegii, qui in profectum & mores Collegiatorum inquirebat, ut rite poſſet inaugurare, notante *Salmaſio*[7]. *Inſcriptio* Saguntina: C. VOCONIO. C. F. GAL. PLACIDO. ÆD. II. VIRO. II. FLAMINI. II. QUÆSTORI. SALIORUM. MAGISTRO. *Gruterus*[8], & Romana alia eſt apud *Boiſſardum*[9]. Gladios accingebant, dextrâ lanceam tenebant, ſiniſtrâ Ancile,* id eſt, peltam ſacram, quam a Marte datam, Imperii præſidium invictum prædicabant, uti multis inquirunt *Joachimus Camerarius*[10], *Juſtus Lipſius*

* Ejus delineatio exſtat in adjunctis nummis, prout expreſſit J. Gutherius *l.* 1. *de Jure Pontif. c.* 11. uti videre licet pagina ſequenti 248.

[1] *lib.* XIII. *cap.* 8. *Adverſar.* [2] *lib.* 1. [3] *lib.* 1. *cap.* 2. [4] *lib.* II. [5] *part.* 3. *Antiquit. Roman. pag.* 45. [6] *cap.* IV. [7] *ad Hiſtoriam Auguſtam pag.* 157. [8] *in Volumine pag.* 489. [9] *part.* 3. *Antiq. Rom. fol.* 137. [10] *in Quæſitis promiſcuis p.* 73.



pſius[1]. Effigies eſt apud *Antonium Auguſtinum*[2]. Pæanà canebant, ſive laudes Martis & Minervæ. Hoc genus tripudii antiquorum libris eſt *amptruare*, & *Lucilii* verſus exſtat:

Præſul ut amptruat, inde & volgo redamptruat olli.

ut *Feſtus* refert[3]. Præſul erat qui chorum ducebat canendo pariter ac ſaltando, ut dictum eſt. Sequebantur reliqui non illi quidem ſoli, verum trahentes ſecum *Vir-*

(1) *lib.* v. *Antiq. Lect. cap.* 16.
(2) *Tab.* 14. *num.* 5. *Tab.* 41. *num.* 15.
(3) *lib.* XVII. *de Verbor. ſignificat. pag.* 399.

Virgines Saliares, quæ ad tempus invitatæ ſacra veſtimenta induebant, ac una ſaltabant, uti *Feſtus* ſcribit [1].

VIII. Adjuncti Pontificum erant TRIUMVIRI EPULONUM, qui epularum ſacrarum & conviviorum ſacrificialium apparatus curabant. Seriori ævo, & quidem A U.C. 553. evaſerunt Septemviri, ut teſtantur *Livius* [2], *Cicero* [3], & ex illis *Blondus Forolivienſis* [4]. *Inſcriptio* Romana apud *Gruterum* [5]: C. CESTIUS. L. F. POB. EPULO. PR. TR. PL. VII. VIR. EPULONUM. Et Romana altera apud eundem [6]: APOLAUSTUS. MODIANUS. PUBL. VII. VIR. EPULONUM. ITEM. APOLAUSTUS. CLAUDIANUS. VII. VIR. EPULON. JUSTUS. GAVIANUS. PUBL. ET. P. VOLUSIUS. RENATUS. VOLUSIÆ. JUSTÆ. MATRI. PIISSIMÆ. UNIVIRIÆ. Addatur tertia Romana, quæ proſtat *ibidem*: DIIS. MANIBUS. MARCI. SULPICII. BASSI. AMICI. OPTUMI. L. NONIUS. ASPRENAS. VII. VIR. EPULONUM. Et quarta Epidaurenſis: P. CORNELIO. DOLABELLÆ. COS. VII. VIRO. EPULON. SODALI. TITIENSI. LEG. PROPR. DIVI. AUGUSTI. ET. TIB. CÆSARIS. AUGUSTI. CIVITATIS. SUPERIORIS. PROVINCIÆ. HILLYRICI. *Gruterus* [7], *Jacobus Boiſſardus* [8], *Petrus Appianus* [9], *Stewechius* [10]. Namque in tanto Urbis incremento Sacrificiorum apparatus major eſſe cœperat, neque poterant epulæ illæ cum debitâ curâ à Triumviris adornari. Lucanus [11]:

Septem virque epulis feſtus, Titiique ſodales.

Scribit Dominicus Floccus [12]: *neſcire ſe quodnam officium iſtorum Septemvirorum fuerit.* At de epulis in honorem Deorum appoſitis docet expreſſe Valerius Maximus [13], *Jovis epulo ipſe in lectulum, Juno & Minerva in ſellas ad*

(1) *lib.* XVIII. *de Verbor. ſignificat. pag.* 420. (2) *lib.* XXXIII. (3) *lib.* III. *de Orator.* (4) *de Româ triumphante lib.* II. *fol.* 27. (5) *in Volumine p.* 185. (6) *libro dicto p.* 307. (7) *libro dicto pag.* 396. (8) *part.* 5. *Antiquitat. Roman. fol.* 32. (9) *in Collectaneis pag.* 252. (10) *Notis ad Arnobium pag.* 131. (11) *lib.* I. *Pharſal.* (12) *lib.* I. *de Magiſtratib. populi Rom. cap.* 14. (13) *lib.* II. *cap.* 1. *diſt.* 2.

cœnam invitantur. Lectiſternium notat, cum ſolebant Diis, Jovi, Junoni, Minervæ inſtruere feſtas epulas in Capitolio, quibus vero non tam Divi ipſi, quam Septemviri epulonum & horum cognati aderant, eaſque abſumebant. Epulabantur poſt oblata Sacrificia Populi omnes inſtituto vetuſtiſſimo. Euander apud Virgilium [1]:

Hæc ubi dicta, dapes jubet & ſublata reponi
Pocula, gramineoque viros locat ipſe ſedili.

Et deinde:

Tunc lecti juvenes certatim araque Sacerdos
Viſcera toſta ferunt taurorum, onerantque caniſtris
Dona laboratæ Cereris Bacchumque miniſtrant.

Exempla ſunt in *Literis Sacris*, *Exodi* [2], *Numer* [3], ubi Gentium profanarum mores inducuntur. Nam & in ipſo Populo Dei tale quid erat, *Numer.* [4], *Deut.* [5], 1. *Sam.* [6], 1. *Reg.* [7], 1. *Chron.* [8], *Nehem.* [9], videlicet quando erant θυσίαι χαιρήσιοι, ut appellat *Dionyſius Halicarnaſ.* [10]. Tunc enim adipem & renes cremabant, cætera dabantur Sacerdotibus, tantum quod portionem aliquam Victimator pro ſolenni convivio aſſervabat, 1. *Samuel.* [11]. In Novo Teſtamento cœperunt inde αἱ ἀγάπαι, *Judæ* [12]. Solebant poſt Sacra peracta divites inſtruere epulas ſolennes, ſumptuſque facere, unde alerentur pauperes ad religionem veram converſi, 1. *Corinth.* [13], 2. [14]. Teſtimonia ſunt *Actor.* [15] ubi eſt, κλῶντες τε καὶ οἶκον ἄρτον, μετελάμβανον τροφῆς ἐν ἀγαλλιάσει. Et *ibid.* [16], καὶ τῇ κλάσει τ ἄρτ καὶ ταῖς προσευχαῖς. Nam quod illa ad Euchariſtiam referre volunt *Becanus* [17], *Cornelius a Lapide* [18], *Julius Coturius* [19], valde errant, adeoque recte confutant *Balthaſar Menzerus* [20], *Johannes*


(1) *lib.* VIII. *Æneid.* (2) XXXII. 6. 7. (3) XXV. 1. 2. (4) XXVIII. 9. 10. (5) XVI. 11. (6) 1. 4. *cap.* IX. 13. 24. *cap.* XVI. 13. (7) VIII. 65. (8) XVI. 3. *cap.* XXIX. 22. (9) VIII. 19. (10) *lib.* VI. & IX. *Hiſtor.* (11) II. 13. (12) *v.* 12. (13) X. 21. *c.* XI. 20. 21. 22. (14) X. 17. (15) II. 46. (16) *verſ.* 42. (17) *in Manuali Controverſ. lib* 1. *cap.* 9. *diſt.* 37. (18) *Commentario h. l.* (19) *in Epitome Controverſiarum p.* 139. (20) *adverſus Piſtorium Diſputat.* II. *n.* 91. 92.

nes Gerhardi [1], *Johannes Crocius* [2]. Cum dicitur, κατ' οἶκον, domeſticæ epulæ indicantur, eæque communibus impenſis in uſus pauperum apparatæ, 2. *Pet.* 3. De iiſdem conviviis charitativis agit *Plinius* [4], & Chriſtianos abſolvit a calumniis, quibus eos vulgus prægravabat, ſcilicet, peractis Sacris diſceſſiſſe rurſuſque coiviſſe ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium, & ibidem *Joh. Gerhardus Voſſius* [5], *Jacobus Pontanus* [6], *Claudius Salmaſius* [7], *Daniel Feſſelius* [8], *Viringius* [9], *Dilherrus* [10]. Duravit ea convivandi ratio etiamnum Tertulliani ævo, uti memorat ipſe [11], ſed quæ fine bono inſtituta olim fuerant, ea ſenſim abuſum adduxerunt, luxum, crapulas, jurgia, cavillationes, proinde ſublata cupiebat *Auguſtinus* [12], & tandem Eccleſiæ conſenſu abrogata ſunt, uti ex *Laodicenâ & Carthaginenſi tertiâ Synodis* videre eſt.

IX. Præterea habebant ſapientum Collegia, quos Hiſtoriæ paſſim commemorant, *Augures*, *Aruſpices*, *Duum Decemviros*, *Feciales*. AUGURES*, οἰωνόσκοποι obſervabant avium volatus, motum, quietem: interpretabantur garritum & clamores earum: omina exponebant: prodigia & ſomnia explicabant. Et de prioribus illis mox plura dicemus: nunc vero de ſomniis hoc addimus, exempla eſſe apud Paganos, quod voluerit Deus ſuggerendo viſa quædam in ſomniis media indicare eis, ut de periculis erepti ad res majores gerendas adhiberentur. Tale eſt ſomnium Alcibiadis, quod referunt *Plutarchus* & *Cornelius Nepos* [13]. Et tale eſt ſomnium Antonii Medici, quo perculſus vetabat Auguſtum, ne ſe

* Quod genus honoris poſtea ſibi Imperatores quoque vindicaſſe liquet ex nummis pagina 252. conſpiciundis Veſpaſiani, Aurelii Veri, & Julii Cæſaris, cujus ſtatua habitu Augurali in templo Veneris illic poſita eſt. Exſtant apud J. Gutherium *l.* 1. *de Jure Pontif. c.* 14.

(1) *Confeſſ. Catbol. Tom.* 3. *pag.* 1119. (2) *in Anti-Becano Tom.* 2. *pag.* 232. (3) 11. 13. (4) *lib.* x. *Epiſtol.* 97. (5) *in Commentario pag.* 24. (6) *in Bellariis Atticis pag.* 194. (7) *de Tranſubſtantiatione pag.* 329. (8) *lib.* 1. *Adverſariorum Sacrorum cap.* 13. (9) *de Triplici Cœnâ lib.* 111. *cap.* 56. (10) *lib.* 1. *Electorum c.* 12. (11) *in Apologetico c.* 39. (12) *Epiſt.* 64. (13) *in Vitâ ejus.*



ſe periculo objiceret [1], *Vellejus* [1], *Valerius Maximus* [2]. Nec verum eſt, *quod a Diabolo profectum ſit*, ut quidem contendit *Lactantius* [3]. Errat certe, & vero cum *Sacris Literis* non pugnat dicere, quod incolumitas Virorum magnorum Deo fuerit curæ, ejuſque curæ partem immiſſione ſomniorum fatidicorum oſtenderit. De qua re bene diſſerit *Boeclerus* [4]. Scribit Peucerus [5]: *Somnia præſagientia vi ſtellarum inſitâ cientur, quæ ad præſenſionem impendentium eventuum velut commovens ſeſe eorundem ſenſu cerebrum afficit.* Eadem habet *Petrus Pom-*

pona-

(1) *lib.* 11. *Hiſtor.* (2) *lib.* 1. c. 7. (3) *lib.* 1. c. 8. (4) *Notatis ad Vellejum pag.* 243. (5) *de Divinatione pag.* 199.

nonatius[1]. Verum fruſtra illi ſunt, cum provocant ad ſtellas. Si ſtellæ efficiunt iſta, omnino illæ fuerint rationales & futurorum præſciæ. Nec poſſunt illæ ita efformare hominum concepta, quoniam non habent poteſtatem in mentem hominis. Quod ajunt, *innaſci omnino aliquibus ex peculiari cœli influxu* (*ut ſi in convenientibus locis Mercurius & Luna conſiſtant*) *vim talem*, profanum eſt & è Planetariorum ſcholis petitum, quod Satanicum genus hominum vadat ad Diabolos, a quibus ſunt procreati (nam primus Genethliacus omnino fuit Diabolus, uti probatur *Johan.*[2]) & meretricibus communibus copulati. A Geniis imprimuntur eiſque bonis, quos intereſſe rebus gerendis apud Paganos, certiſſimum eſt, tantum ut ordo civilis ſecundum leges a Deo mentibus noſtris inſcriptus feliciter conſervetur, monente *Petro Sylvio*[3], & plura habet *Franciſcus Suares*[4]. Porro Augurium erat Chaldæorum inventum vaniſſimum, a Græcis interpolatum, quorum diſcipulus Tages Etruſcus ad populares ſuos detulit, uti docent *Cenſorinus*[5], *Petrus Crinitus*[6]. Ovidius[7]:

Indigenæ dixêre Tagem, qui primus Hetruſcam
Edocuit gentem caſus aperire futuros.

Tyrrhena carmina vocat ridetque *Lucretius*[8], idque de Tagetis libris exponit *Lambinus*[9]. Excoluit ſedulo Picus Aboriginum Rex, quem ſic depingit Virgilius[10]:

Ipſe Quirinali lituo parvâque ſedebat
Succinctus trabeâ, levâque ancile gerebat
Picus equum domitor. ——

Lituus ille baculus incurvus eſt, quem manu apprehendentes Augures deſcribebant cœli ſpacia, antequam inſpicerent, uti annotat *Servius*[11]. Numiſmata Regis Numæ Pompilii & Julii Cæſaris, in quibus ſunt litui depi-

(1) *de Incantatione cap.* 10. (2) VIII. 44. (3) *Diſputatione de Angelis diſt.* 86. (4) *lib.* VI. *de Angelis cap.* 17. (5) *de Die natali c.* 4. (6) *lib.* XVI. *de Honeſtâ diſciplinâ c.* 1. (7) *lib.* XV. *Metamorph.* (8) *lib.* VI. *de Rerum Nat.* (9) *in Commentario ad h. l. pag.* 777. (10) *lib.* VII. *Æneid.* (11) *in Commentariis pag.* 462.

depicti, vide apud *Antonium Augustinum* [1]. Romulus ordinavit, Numa confirmavit, *Cicero* [2], *Dionysius Halicarnassæus* [3]. Tres primo fuerunt, inde quatuor, demum quindecim, uti est in *Epitomâ Livii* [4]. Tantæ authoritatis, ut nihil magni in Republicâ fieret inaugurato. Ad viros sapientiâ & nobilitate præcellentes Sacerdotium illud deferebatur. *Servius Sulpicius* [5] honoraria munia, quæ Cicero gesserat, recenset, fuisse Prætorem, Consulem, Augurem. *Inscriptio* Romana: Q. EPIDIO. L. F. POL. RUFO. LOLLIAN. GENTIANO. AUGURI. COS. PROCOS. PROV. LUGDUNENSIS. COMITI. IMPP. SEVERI. ET. ANTONINI. AUGG. LEG. LEG. XX. *Gruterus* [6]. Et Florentina alia: Q. FABIUS. MAXIMUS. DICTATOR. BIS. CONSUL. V. CENSOR. INTERREX. II. ÆD. CUR. Q. II. TRIB. MIL. II. PONTIFEX. AUGUR. *Gruterus* [7]. Soli illi, quanquam magnorum flagitiorum rei, non tamen Sacerdotio movebantur, *Plutarchus* [8]. Capitale erat, non paruisse dictis eorum. Pacis tempore de mercaturâ, structuris, agricolationibus, connubiis, itineribus pronunciabant. Tibullus [9]:

Ipse ego solator, cum jam mandata dedissem,
Quærebam tardas anxius usque moras.
Aut ego sum causatus aves, aut omina dira,
Saturni aut sacram me tenuisse diem.

In bello, de legionum progressu, stationibus, excursionibus, præliorum experimentis aut tentandis aut detrectandis, castris metandis, urbibus invadendis. Sæpe veritatem protulerunt, ut quando Flaminius ad lacum Thrasimenum pugnabat cum Annibale & vincebatur: vetabant Augures, nec credebat ille, *Livius* [10], *Florus* [11], *Valerius Maximus* [12]. Lævum & dexterum attendebant, & quæ læva erant, infausta erant. Plautus

(1) *Tab.* I. *num.* 12. *Tab.* 2. *num.* 2. 4. 7. 9. 11. 19. *Tab.* 3 *num.* 4. 5. 12. 13. 19. 21. *Tab.* 4 *num.* 4. (2) *lib.* II. *de Divinat.* (3) *lib.* II. *Antiquit.* (4) *lib.* LXXXIX. (5) *lib.* IV. *Epist. famil.* 5. (6) *in Volumine pag.* 404. (7) *libro dicto pag.* 406. (8) *in Quæstionibus Romanis num.* 98. (9) *lib.* I. *Eleg.* 3. (10) *lib.* XXII. *Histor.* (11) *lib.* II. *cap.* 6. (12) *lib.* I. *cap.* 6. *dist.* 6.

tus[1]: *Non temere eſt, quod corvus cantet mihi nunc a lævâ manu, ſimul radebat pedibus terram.* Horatius[2]:

Teque nunc lævus vetat ire picus.

Virgilius[3]:

Sæpe ſiniſtra cavâ prædixit ab ilice cornix.

Quæ a dextris erant, fauſtæ erant. Suetonius[4]: *Evenitque ut primitus ingredienti cum faſcibus forum, prætervolans aquila dextro humero conſideret.* Et[5]: *Præmiſſo agmini lætum evenit auſpicium, ſiquidem a parte dexterâ repente aquila advolavit.* Nigræ aves quoque erant infauſtæ. Propertius[6]:

Nigraque funeſtum concinit omen avis.

Apulejus[7]: *fuſcis avibus Lariſſam acceſſi.* Diſtinguebant aves, ut aliæ eſſent *præpetes*, quæ volatu ſuo prorſum retrorſumve directo, obliquo, tardo, concito, prædicebant: aliæ *oſcines*, quæ cantu & clamore indicarent, *Feſtus Pompejus*[8], *Aulus Gellius*[9]. Aves imprimis obſervabant Cornicem, Corvum, Picam, Vulturem, Aquilam, Ciconiam, Gallum, Columbam, Cygnum, Noctuam, Paſſeres, Regulum, pullos Gallinacios, Parram, Bubonem. Earum duæ poſtremæ obſcœnæ, infauſtæque ſemper, *& oſtentum dirum*, ut ait *Plinius*[10]. Ovidius[11]:

Infauſtus Bubo dirum mortalibus omen.

Et[12]:

——— ——— *Tectoque profanus*
Incubuit Bubo. ——— ———

Et[13]:

Triſtia mille locis Stygius dedit omina Bubo.

Virgilius[14]:

Solaque culminibus ferali carmine Bubo
Sæpe queri & longas in fletum ducere voces.

Bubo-

(1) *in Ollulariâ.* (2) *lib.* III. *Carm.* XXVII. (3) *Bucolic.* 9. (4) *lib.* V. *cap.* 7. (5) *lib.* IX. *cap.* 9. (6) *lib.* II. *Eleg.* 21. (7) *lib.* I. *Metamorph.* (8) *lib.* XIV. *de Verbor. ſignificat. pag.* 352. *& lib.* XV. *pag.* 375. (9) *lib.* VI. *cap.* 6. (10) *lib.* X. *Hiſtor. natural. c.* 12. (11) *lib.* V. *Metamorph.* (12) *lib.* VI. *Metamorph.* (13) *lib.* XV. *Metamorph.* (14) *lib.* IV. *Æneid.*

Bubones infauſtis volatibus familiæ minari exitium, ait *Apulejus* [1]. De Parrâ eſt apud Horatium [2]:

Impios Parræ recinentis omen
Ducat, & prægnans canis.

Aquila & Columba ſemper fauſtæ erant, cœteræ vero fauſtæ & infauſtæ. Cum Lucumo exul Græculus Romam proficiſceretur, Aquila viri pileum in ſublime avexit, reverſa capiti ejus impoſuit iterum, unde uxor ejus Tanaquilla regiam dignitatem præſagivit marito, perrexit in urbem & Lucius Tarquinius factus, regnum demum occupavit *Livius* [3], *Dionyſius Halicarnaſſ.* [4]. De Auguſto refert Suetonius [5]: *Ad quartum lapidem Campanæ viæ, in nemore prandenti ex improviſo Aquila panem ei è manu rapuit, & cum altiſſime volaſſet, rurſus ex improviſo leniter delapſa reddidit.* Et porro [6]: *Primo autem Conſulatu ei augurium capienti, duodecim ſe Vultures, ut Romulo, oſtenderunt.* Rurſum [7]: *Contractis ad Bononiam Triumvirorum copiis, Aquila tentorio ejus ſuperſedens, duos Corvos hinc & inde infeſtantes afflixit, & ad terram dedit.* De Tiberio Suetonius [8]: *Ante paucos vero quam revocaretur dies Aquila nunquam antea Rhodi conſpecta, in culmine domus ejus aſſedit.* Adeoque *Seneca* [9] dicit, *Aquilæ hic honos datus eſt, ut magnarum rerum faceret auſpicia.* Columba in vexillo quodam ſociæ inter Guſtavum Suedorum Regem Auguſtum & Electorem Saxonem militiæ conſedit, ac victoriam Lipſiacam nunciare viſa eſt, *Cluverius* [10], *Brachelius* [11], *Chemnicius* [12]. Noctua Agrippæ captivo regnum Palæſtinæ, & eadem illi vitæ finem prænunciavit, *Joſephus* [13]. De Hierone vide *Juſtinum* [14], & de Pyrrho Macedonum Rege vide *Ælianum* [15]. De Turno Virgilius [16]: *Ali-*

(1) *lib.* III. *Metamorphoſ. pag.* 139. (2) *lib.* III. *Carm.* 27. (3) *lib.* I. (4) *lib.* III. (5) *lib.* II. *cap.* 94. (6) *cap.* 95. (7) *cap.* 96. (8) *lib.* III. *c.* 14. (9) *lib.* VIII. *Quæ. natural.* (10) *lib.* XI. *Epitom. hiſtor. pag.* 231. (11) *lib.* IV. *Hiſtoriarum pag.* 256. (12) *volum.* I. *de Bello German. pag.* 178. (13) *lib.* XVIII. *Antiquit. cap.* 8. (14) *lib.* XXIII. *Hiſtoriarum.* (15) *lib.* XV. *de Hiſtoriâ animalium cap.* 59. (16) *lib.* XII. *Æneid.*

Alitis in parvæ ſubito collecta figuram,
Quæ quondam in buſtis aut culminibus deſertis
Nocte ſedens, ſerum canit importuna per umbras,
Hanc verſa in faciem, Turni ſe peſtis ad ora
Fertque refertque ſonans. ———

Noctuam deſcribit, ait *Servius* [1]. De Cygnis ita Venus ad Æneam [2]:

Aſpice bis ſenos lætantes agmine Cygnos,
Ætheriâ quos lapſa plagâ Jovis ales aperto
Turbabat cœlo. ——— ———

Regulus intra curiam compulſus ab avibus aliis & dilaceratus eſt, mox in curiâ eâdem Julius Cæſar amicorum gladiis confoſſus occubuit *Suetonius* [3]. Apud eundem eſt de Vitellio [4]: *Mox Viennæ pro tribunali jura reddenti, Gallinaceus ſupra humerum ac deinde in capite adſtitit.* Pullos Gallinaceos in corte ſervabant, & ſecum in expeditionibus deferebant Augures, & ſummo diluculo pulte appoſitâ, quomodo eam comederent, inſpiciebant, hoc comprimis diligenter notantes, an ſine tripudio ederent, hoc eſt, roſtro puro, ut non aliquid humi caderet. Si cum feſtinatione exibant & comedebant, bene erat, eoque melius, ſi *cum tripudio* edebant, id eſt, avide adeo ut de roſtro aliquid ſive ſponte decideret, ſive ipſæ excuterent. Male erat, cum tardius exibant, cumque vel abſtinebant prorſus, vel non avide ita edebant, ut tripudiarent. Quod a pulte humi cadebat, *tripudium ſoliſtimum* vocabant, id eſt, terram petens vel in ſolidum decidens, teſte *Feſto* [5], & illi adde *Ciceronem* [6], *Valerium Maximum* [7], *Janum Guilhelmum Laurenbergium* [8], *Maſenium* [9]. Exemplo eſt Claudius Conſul in bello Punico primo, qui pullos in mare præcipitari juſſit, biberent quia edere nollent, congreſſus vero cum Pœnis, non ab hoſtibus, ſed a

R Diis

(1) *in Commentario ad h. l. pag.* 704. (2) *lib.* 1. *Æneid.* (3) *in Julio c.* 81. (4) *l.* IX. *c.* 9. (5) *lib.* XVIII. *de Verborum ſignificat. pag.* 440. (6) *l.* 1. *&* II. *de Divinat.* (7) *l.* 1. *c.* 4. (8) *in Antiquario p.* 426. (9) *in Antiquitatibus Romanis c.* XXVIII. *diſt.* 8.

Diis ipſis ſuperatus eſt, quorum auſpicia contempſerat, ait *Florus* [1], & adde *Suetonium* [2].

X. Prodigia erant fulminum caſus, ignes erratici, Solis & Lunæ pallor, turbines, voces Geniorum, Cometæ, pluviæ inſolitæ, boves loquentes, effluvia ignium ſubterraneorum, exundationes, equi & ſtatuæ flentes, ſerpentes latrantes, terræmotus, parelii, ſpectra, monſtra, canes ululantes, imagines ſudantes. Ac pleraque horum Meteorologiæ deſcriptores in phyſicis etiam adferunt, cauſaſque naturales inquirunt, quibus adde *Polydorum Virgilium* [3], *Joachimum Camerarium* [4], *Caſparum Peucerum* [5], *Caſparum Schottum* [6]. Nec debet negari, eſſe in multis eminens aliquid, & ſubeſſe cauſam latentem, unde effectus prodigioſus certo producatur. De fulminibus eſt illud Virgilii [7]:

Non alias cœlo cecidêrunt plura ſereno
Fulgura. ——— ———

Et Horatii [8]:

——— ——— *Namque Dieſpiter*
Igni coruſco nubila dividens,
Plerumque per purum tonantes
Egit equos volucremque currum.

Et Luciani [9]:

Fulgura fallaci micuêrunt crebra ſereno.

Omen in eo eſt, quod plura, & quod ſereno cœlo miſſa fuerunt. Nam cum ſemel intonabat cœlo ſereno, lætum & fauſtum eſſe cenſebatur. Et ſi lævum intonaret. Virgilius [10]:

Vix ea fatus erat ſenior, ſubitoque fragore
Intonuit lævum. ——— ———

Fulmen ergo quod ſiniſtrum erat, felicitatem portendebat. Virgilius [11]:

Au

(1) *l.* II. *c.* 2. (2) *l.* III. *c.* 3. (3) *libris tribus de Prodigiis.* (4) *libris duobus de Oſtentis.* (5) *de Divinatione fol* 236. (6) *in Phyſicâ curioſâ lib.* I. II. III. IV. V. VI. XI. (7) *lib.* I. *Georg.* (8) *lib.* I. *Carm.* 34. (9) *lib.* I. *Pharſal.* (10) *lib.* II. *Æneid.* (11) *lib.* IX. *Æneid.*

Audiit, & cœli Genitor de parte ſerenâ
Intonuit lævum. ———

Infauſtum erat, quando Capitolium percutiebatur. Horatius [1]:

Jam ſatis terris nivis atque diræ
Grandinis miſit Pater, & rubente
Dexterâ ſacras jaculatus arces,
Terruit urbem.

Lucanus [2]:

Fulmen & Arctois rapiens de partibus ignem
Percuſſit Latiale caput. ———

Loca fulmine tacta luſtrabantur per Sacrificia expiatoria, & inacceſſa deinceps erant, itaque ſepimento aliquo muniebantur, ne ab homine vel jumentis calcarentur, addebatur Ara, ut referunt *Plinius* [3], *Artemidorus* [4]. Res a fulminibus afflatæ, ſive *fulgurita*, (ut *Feſtus Pompeius* [5] appellat) in unum redacta, terræ infoliebantur, iſque locus *Bidental* vocabatur, & Ara apponſita erat *Puteal*, cum Inſcriptione aliquâ, unde liqueret, fulgur ſub Arâ illâ conditum & locum aggeſtione conſecratum a Pontifice eſſe. *Inſcriptio* Romana: DEO. FULGERATORI. ARAM. ET. LOCUM. HUNC. RELIG. EX. HARUSPIC. SENT. Q. PUBLICIUS. FRONTPOS. ET. D. D. *Gruterus* [6], Lucanus [7]:

——— *Aruns diſperſos fulminis ignes*
Colligit, & terræ mœſto cum murmure condit,
Datque locis nomen. ———

& confer *Deſiderium Heraldum* [8], *Dionyſ. Gothofredum* [9], *Petrum Crinitum* [10]. De ignibus erraticis teſtatur Virgilius [11]:

Cum ſubitum dictuque oritur mirabile monſtrum.
Namque manus inter mœſtorumque ora parentum

(1) *lib.* I. *Carm.* 2. (2) *lib.* I. (3) *lib.* II. *Hiſtor. natur. c.* 54. (4) *l.* II. *Onirocriticorum c.* 8. (5) *lib.* VI. *de Significat. Verbor. pag.* 291. (6) *in Volumine pag.* 21. *num.* 4. (7) *lib.* I. *Pharſaliæ.* (8) *Animadverſis ad l.* II. *Arnobii pag.* 121. (9) *Notis ad Varronem pag.* 1618. (10) *l.* VIII. *de Honeſtâ diſcipl. c.* 12. (11) *lib.* II. *Æneid.*

Ecce levis ſummo de vertice viſus Iuli
Fundere lumen apex, tactuſque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.

Et [1]:

Præterea caſtis adolet dum altaria tædis
Et juxta genitorem adſtat Lavinia virgo,
Viſa (nefas) longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flammâ crepitante cremari.

Et [2]:

Ardet apex capiti criſtiſque a vertice flamma
Funditur, & vaſtos umbo vomit aureus ignes.

Suetonius [3]: *Flamma repente è ſilvis undique exorta, adeoque omnem comitatum circumplexâ, ut Livia pars veſtis & capilli amburerentur.* Idem [4]: *accidit ut apud Philippos ſacratæ olim victricium legionum Aræ ſponte ſubitis collucerent ignibus.* Et paulo poſt: *Veſtimentum mutanti tunica ardere viſa eſt.* De quo videris plura apud *Remigium* [5], *Argolum* [6], *Bodinum* [7], *Fortunium Licetum* [8]. Solis pallorem deſcribit Virgilius [9]:

—— *Caput obſcurâ nitidum ferrugine texit.*

De Solis vero defectu exponunt *Servius* [10], *Farnabius* [11], *Gerhardus Mercator* [12]. Verum *Scaliger* [13], *Buntingius* [14], *Calviſius* [15], ſecundum fidem Tabularum Prutenicarum negant, eo anno & ſequenti fuiſſe deliquium Solis, quando Cæſar a conjuratis occiſus ſanguine generoſo Curiam imbuit. Notatur ergo prodigioſum aliquid circa Solem obumbratum a denſis nebulis. Referunt *Plinius* [16], *Plutarchus* [17], *Julius Obſequens* [18]. Solis pallorem ingentem fuiſſe tunc temporis, de quâ re porro vide-

(1) *lib.* VII. *Æneid.* (2) *lib.* X. *Æneid.* (3) *lib.* III. *cap.* 6. (4) *cap.* XIV. (5) *lib.* II. *Dæmonolatriæ c.* 3. (6) *in Pandoſio ſphærico c.* 14 (7) *in Theatro Naturæ lib.* II. *pag.* 211. (8) *lib.* IV. *de Lucernis ſubterraneis c.* 34. (9) *lib.* I. *Georgic.* (10) *Commentario ad h. l. p.* 88. (11) *in Notis pag.* 46. (12) *in Chronicis p.* 17. (13) *lib.* V. *de Emendat. Tempor. pag.* 232. (14) *in Chronologicis p.* 200. (15) *in Recenſit. Chronologico p.* 273. (16) *lib.* IX. *c.* 30. (17) *in Vitâ Cæſaris.* (18) *de Prodigiis c.* 128.

videris *Ricciolum*[1], *Johan. Funccium*[2], *Laurentium Eichſtadium*[3], *Dionyſium Petavium*[4]. Voces Geniorum ſunt, cum de Mauſoleo ſponte patefactis foribus exaudita vox, nomine cientis Neronem, *Suetonius*[5]. Et cum in Templo Hieroſolymitano audiebant Sacerdotes horrendum illud, *Emigremus hinc*, Joſephus[6]. In bello Suedico Germanico audita eſt vox: *Bannere abi*, Brachelius[7], Virgilius[8]:

Vox quoque per lucos vulgo exaudita ſilentes
Ingens. —— ——

Et[9]:

Hinc exaudiri voces & verba vocantis
Viſa viri, nox cum terras obſcura teneret.

Ovidius[10]:

—— —— *Cantuſque feruntur*
Auditi, ſanctis & verba minantia lucis.

Et[11]:

Eſt mihi marmoreâ ſacratus in æde Sichæus,
Oppoſitæ frondes velleraque alba tegunt.
Hinc ego me ſenſi noto quater ore citari:
Ipſe ſono tenui dixit: Eliſa veni.

Tibullus[12]:

Atque tubas atque arma ferunt ſtrepitantia cœlo
Audita, & lucos præcinuiſſe fugam.

De Mancino Conſule vide *Valerium Maximum*[13]. Cometes in pluribus celebris viſus eſt poſt Julii Cæſaris obitum. De illo Virgilius[14]:

Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum,

(uti vere exponit *Phil. Beroaldus*[15].) Et Horatius[16]:

—— —— *Micat inter omnes*
Julium ſidus, velut inter ignes
Luna minores.

(1) *Tomo* I. *Almageſti novi part.* I. *pag.* 287. (2) *Commentario ad Chronologiam lib.* IV. *num.* 3922. (3) *Prolegomenis ad part.* 2. *Ephemerid. novar. pag.* 228. (4) *lib.* X. *de Doctrinâ Temporum c.* 36. (5) *lib.* VI. *c.* 46. (6) *lib.* VII. *de bello Jud. c.* 11. (7) *lib.* VI. *Hiſtoriar. pag.* 389. (8) *lib.* I. *Georg.* (9) *lib.* IV. *Æneid.* (10) *lib.* XV. *Metamorph.* (11) *in Epiſtolâ Didonis.* (12) *lib.* II. *Eleg.* 5. (13) *lib.* I. *c.* 6. (14) *Bucolic.* 9. (15) *Enarrationibus ad Suetonium pag.* 52. (16) *lib.* I. *Carm.* 13.

Et Ovidius [1] :

Cæſaris eripuit membris nec in aëra ſolvi
Paſſa recentem animam, cœleſtibus intulit aſtris.

De eodem loquitur Curtius [2] : *Proinde jure meritoque populus Romanus ſalutem ſe principi ſuo debere profitetur, cui noctis, quam pene ſupremam habuimus, novum ſidus illuxit.* Quem tamen locum aliter exponunt *Janus Rutgerſius* [3], *Philip. Caroli* [4], & ab his nimium quam recedens, ut ſcriptorem ad Theodoſii ævum releget, *Caſpar Barthius* [5]. Scribit *Probus*, ſtetiſſe illum ſeptem diebus, inque rei memoriam ab Auguſto in Capitolio poſitam eſſe ſtatuam Julii habentis in capite ſtellam auream. *Aſtrum* vero Poëta vocat, quod inter aſtra effulſerit, eorumque figuram imitetur. De quo vide *Erycium Puteanum* [6], *Johannem Ricciolum* [7], *Argolum* [8]. *Suetonius* prodit [9] : *ludis quos primo conſecratos ei hæres Auguſtus edebat, ſtellam crinitam per ſeptem dies continuos fulſiſſe, exorientem circa horam undecimam, creditumque eſſe animam Cæſaris in cœlum recepti, & hac de cauſâ ſimulachro ejus in vertice addi ſtellam.* Nummos Annuloſque veteres qui Cometam præferunt, & habent Inſcriptionem, DIVUS JULIUS, laudant *Torrentius* [10], *Gorlæus* [11], *Antonius Auguſtinus* [12], *Plutarchus* [13], ἐφάνη γὰρ ὅπὶ νύκτας ἑπτὰ μὴ πλὼ Καίσαρος σφαγλὼ Δαπετεπὶς μέγας κομήτης. Eodem pertinet illud Propertii [14] :

At Pater Idalio miratus Cæſar ab aſtro,
Sum Deus, & noſtri ſanguinis iſta fides.

& confer *Auctaria noſtra ad Pappum* [15]. Lapidum inſolitas pluvias commemorat *Livius* innumeris locis. Et Tibullus [16] : *Mul-*

[1] *lib.* XV. *Metamorph.* [2] *lib.* X. *Hiſtor. c.* 12. [3] *in Variis lectionibus lib.* I. *cap.* 19. [4] *Præfat. Animadverſ. ad Curtium.* [5] *Animadverſis ad Claudianum p.* 1165. [6] *l.* II. *de Cometis paradoxo* 7. [7] *in Almageſto novo Tom.* I. *l.* 8. [8] *in Pandoſio Sphærico c.* 62. 64. 75. [9] *l.* II. *c.* 88. [10] *Notis ad h. l. pag.* 102. [11] *in Promptuario Annulorum num.* 3. 135. 157. [12] *Tab.* 2. *num.* 21. *Tab.* 9. *num.* 2. 34. [13] *in Vitâ Cæſaris.* [14] *lib.* IV. *Eleg.* 6. [15] *pag.* 265. [16] *lib.* II. *Eleg.* 5.

Multus ut in terras deplueretque lapis.

Sanguinis pluvias refert Petronius[1]:

Sanguineoque recens deſcendit Jupiter imbre.

Eleganter diſſerit *Libertus Fromondus*[2]. Boves loquentes non ſemel referunt *Livius*, *Polybius*, *Julius Obſequens*, & cum illis *Tibullus*[3], *Plinius*[4], *Eutropius*[5]. Cornicem locutam eſſe, teſtatur *Suetonius*[6]. Virgilius[7]:

—— —— *Pecudesque locutæ*

Infandum. ——

Lucanus[8]:

Tum pecudum faciles humana ad murmura linguæ.

Effluvia ignium ſubterraneorum ſunt, ut cum Tito Cæſare imperante conflagravit Veſuvius mons in Campaniâ. *Suetonius*[9]. Neque ille ſolum hujus incendii meminit, ſed præterea *Euſebius*, *Xiphilinus*, *Plinius*, *Joſephus*, *Aurelius Victor* retulerunt, quorum teſtimonia colligit *Laurentius Eichſtadius*[10]. Adeoque noſtrâ etiam memoriâ A. C. 1632. arſit, quod referunt *Athanaſius Kircherus*[11], *Argolus*[12], *Brachelius*[13], *Varenius*[14], *Dionyſius Petavius*[15], *Freinshemius*[16], *Paulus Merula*[17], *Fortunius Licetus*[18]. De Exundationibus eſt illud Virgilii[19]:

Proluit inſano contorquens vortice ſilvas
Fluviorum Rex Eridanus, campoſque per omnes
Cum ſtabulis armenta tulit. ——

Et Horatius[20]:

Vidimus flavum Tiberim retortis
Littore Etruſco violenter undis.

[1] *in Satyrico pag.* 178. [2] *Opere de Meteoris pag.* 332. [3] *l.* II. *Eleg.* 5. [4] *lib.* VIII. *c.* 45. [5] *lib.* VI. *Breviarii.* [6] *l.* 12. *c.* 23. [7] *lib.* I. *Georgic.* [8] *lib.* I. *Pharſal.* [9] *lib.* XI. *c.* 8. [10] *Prolegom. ad part.* 2. *Ephemerid. novarum pag.* 226. [11] *l.* 1. *Artis magnæ Lucis & umbræ.* [12] *Præfat. ad Pandoſion ſphæricum.* [13] *lib.* IV. *Hiſtoriarum pag.* 274. [14] *lib.* I. *Geographiæ generalis c.* 10. [15] *in Rationario part.* 1. *pag.* 660. [16] *Notis ad lib.* 1. *Flori pag.* 70. [17] *part.* 2. *Coſmographiæ lib.* IV. *c.* 5. [18] *de Lucernis ſubterraneis lib.* 1. *c.* 1. [19] *lib.* 1. *Georg.* [20] *lib.* 1. *Carm.* 2.

Equos flentes narrat *Suetonius* [1]. Statuas fleviſſe, refert Virgilius [2]:

Et mœſtum illacrymat templis ebur araque ſudant.

Ovidius [3]:

Mille locis lacrymavit ebur. ——

Lucanus [4]:

Indigetes fleviſſe Deos, urbiſque laborem
Teſtatos ſudore Lares. ——

Apollo Cumanus lacrymavit triduo, *Livius* [5], *Florus* [6]. (ubi ſimilia exempla multa congerit *Freinshemius* [7]) Serpentum latratus narrat *Plinius* [8]. Terræ motus ſunt apud *Suetonium* [9]. Parelii fuerunt tres, quando Auguſtus Julii Cæſaris hæres poſt necem ejus in Urbem veniebat, quod referunt *Plinius* [10], *Julius Obſequens* [11], adduntque, *in unum coaluiſſe*. Cæterum ævi ejus Scriptores de aliquo Solis phænomeno commemorant. Vellejus [12]: *Cum intraret Urbem, Solis orbis ſuper caput ejus curvatus aqualiter rotundatuſque in colorem arcus, veluti coronam tanti mox viri capiti imponens, conſpectus eſt.* Suetonius [13]: *Reverſo ab Apolloniâ & ingrediente eo Urbem, repente liquido ac puro ſereno, circulus ad ſpeciem cœleſtis arcus orbem Solis ambit.* Indidem ſunt illa Statii [14]:

—— *Licet ignipedum frenator equorum*
Ipſe tuis alte radiantem crinibus arcum
Imprimat. —— ——

Et vero de Pareliis accurate pertractant *Petrus Gaſſendus* [15], *Henricus Regius* [16]. Parelios Auguſti de Trinitatis myſterio exponit *Franciſcus Titelmannus* [17]. Nos verius, quod Triumviratus ille deberet propediem finiri, & Cæſar eſſe dominus unus. De quo optime ſcribit *Cyria-*

(1) *lib.* I. *cap.* 18. (2) *lib.* I. *Georg.* (3) *lib.* XV. *Metamorph.* (4) *lib.* I. (5) *lib.* XLIII. *Hiſtor.* (6) *lib.* II. *Hiſtor. Romanæ c.* 8. (7) *in Notatis pag.* 156. (8) *lib.* VIII. *c.* 40. (9) *lib.* VI. *c.* 48. *lib.* VII. *c.* 18. (10) *lib.* II. *c.* 31. (11) *de Prodigiis c.* 128. (12) *lib.* II. (13) *lib.* II. *cap.* 95. (14) *lib.* I. *Thebaid.* (15) *in Appendice ad Inſtitutiones Aſtronomicas pag.* 288. (16) *lib.* III. *Philoſoph. Natural. pag.* 199. (17) *lib.* VI. *Conſiderationis Phyſicæ c.* 15.

Cyriacus Lentulus[1]. Spectra ſunt apud Petronium[2]:

Ecce inter tumulos atque oſſa carentia buſtis,
Umbrarum facies diro ſtridore minantur.

Et apud Virgilium[3]:

—— *Et ſimulachra modis pallentia miris*
Viſa ſub obſcurum noctis. ——

(& vero de Spectris vide prolixe *Caſparum Schottum*[4].)

Canes & Lupi ululantes ſunt ibidem:

Obſcenique Canes importunaque volucres
Signa dabant. —— ——

Et deinde:

—— —— —— *Et altæ*
Per noctem reſonare Lupis ululantibus urbes.

Et apud Ovidium[5]:

Inque foro circumque domos, & templa Deorum
Nocturnos ululaſſe canes, umbraſque ſilentum
Erraviſſe ferunt. —— ——

Imagines ſudantes ibidem habes.

—— —— *Æraque ſudant,*

ait *Virgilius*. Et porro Sinon de Palladio[6]:

—— —— *Salſuſque per artus*
Sudor iit. —— ——

Silius Italicus[7]:

—— *Vultuſque in marmore ſudat Eliſæ.*

Humore continuo Apollo Cumanus ſudavit, apud *Florum*[8], ubi eſt de bello Antiochi Magni adverſus Romanos. De quo eodem *Cicero* meminit[9], ubi præterea refert, quod Romæ initio belli Marſici ſtatuæ Deorum ſudaverint. Cum Annibal ingrediebatur Italiam, Martis ſtatua Romæ ſudabat, *Livius*[10]. Exempla alia habes apud *Plutarchum*[11], *Dionem Caſſium*[12].

XI. Effecta inſolita plura narrant *Literæ Sacræ*, im-

(1) *in Auguſto.* (2) *in Satyrico pag.* 178. (3) *lib.* I. *Georgic.* (4) *in Phyſicâ Curioſâ lib.* II. *pag.* 200. (5) *lib.* XV. *Metamorphoſ.* (6) *lib.* II. *Æneid.* (7) *lib.* I. (8) *lib.* II. *c.* 8. (9) *lib.* I. *de Divinat.* (10) *lib.* XXII. (11) *in Camillo & Antonio.* (12) *lib.* XLVIII.

primis quod Sol ſteterit, *Joſu.* [1] & quod Sol retroceſſerit Ezechiæ Regis tempore, 2. *Reg.* [2], 2. *Chronic.* [3], *Eſai.* [4], *Syrach.* [5]. De utroque pronunciat diverſum aliquid a receptâ ſententiâ *Iſaacus Peirerius* [6], adverſus quem decertant *Philippus le Prieur* [7], *Tobias Wagenerus* [8], ut communem ſententiam defendat. Nos videbimus rem ipſam. Quod Sol vere ſteterit ad preces Joſuæ, affirmant *Toſtatus*, *Serarius*, *Maſius*, *Cornelius a Lapide*, *Tirinus* [9], *Conimbricenſes* [10], *Salianus* [11], *Peucerus* [12], *Epiſcopius* [13]. Atqui veteres Hebræi nullum miraculum hîc agnoſcunt, ſed phraſin figuratam, quaſi Sol expectaſſet, donec occidio hoſtium perfecta eſſet, cum potius Hebræi non deſtiterint perſequi hoſtes, quamdiu Sol & Luna præbebant lumen ſuum. Refert *Vatablus* [14], & invenitur apud *Maimonidem* [15]. Paulo aliter Grotius [16]: *Scriptor ad Hebræos fidei præmia ingentia referens* cap. XI. 30. *dejectæ Jerichuntis meminit, mutati curſus cœleſtis, quod multo majus fuerat, non meminit. Et ſequitur* in textu, *Deum voci hominis ſeſe accommodaſſe, non quidem Solem & Lunam ſiſtendo, verum pugnando, id eſt, pugnantibus vires & invictum contra hoſtes animum ſubminiſtrando, immittendo præterea grandines lapideos. Hæc ita non improbabiliter dici poſſunt, quanquam impoſſibile Deo non ſit, ſolis currus inhibere volantes, aut etiam poſt ſolis occaſum ſpeciem ejus in nube ſupra horizontem extante per repercuſſionem oſtendere in regione Gibeoniticâ, ut prælium produceretur nocte eâ totâ, quæ propter illum fulgorem divino miraculo, abſente Sole, retentum pro integro die fuit, ut dies unus inſtar duorum eſſet.* Hæc ille. Breviter: miraculum eſt in luce Solis am-

(1) X. 13. (2) XX. 8. (3) XXXI. 24. 31. (4) XXXVIII. 8. (5) XLVI. 5. *c.* XLVIII. 16. (6) *lib.* IV. *Syſtem. Theol. c.* 4. *&* 5. *pag.* 410. (7) *in Animadverſionibus pag.* 65. (8) *in Diſſertatione contra Aſtrologiam Genethliacam ſect.* 3. *pag.* 54. (9) *Commentario ad h. l.* (10) *lib.* II. *de Cœlo q.* 2. *artic.* 3. (11) *Tom.* 2. *Annal. Vet. Teſtam. pag.* 303. (12) *de Divinatione fol.* 16. (13) *lib.* IV. *Inſtitut. Theolog. ſect.* 4. *c.* 2. (14) *in Notis.* (15) *in More Nevochim.* (16) *in Annotatis.*

ampliatâ è ſingulari gratiâ Dei, non vero in remorato Solis curſu. Ita Hebræis per deſerta oberrantibus novam lucem procuravit Deus nocte, *Exodi* [1]. Apud Monachos confictores miraculorum audaciſſimos talia plurima referuntur. Abbas Mutius & Beſſarion occubiturum Solem precibus remorabantur, uti legitur *in Vitis Patrum* [2]. Sol ſtetit attonitus, diemque protraxit, quando Carolus Magnus adverſum Saracenos pugnabat, *Turpinus* [3]. Sol quatuor horis immotus ſtetit, cum Franciſcus Ximenius Cardinalis Hiſpanicarum copiarum ductor Mauros apud Oranum debellabat, *Alvarus Gomeſius* [4]. Cum adverſus Electorem Saxonem & confœderatos Euangelicos ad ſilvam Lochavam confligebat Carolus V., ſtetit Sol, diemque protraxit, ut hæretici omnino debellarentur, garriunt *Ludovicus Davilas* [5], *Chriſtoforus Scheinerus* [6], *Cornelius a Lapide* [7].

XII. De miraculo quod Ezechiæ temporibus accidit, pronunciamus, umbram in horologio Achaſi retroactam eſſe, ut Sol interim curſum ſuum perſequeretur. Ita *Vatablus*, *Grotius*, *Sanctius*, *Paulus Burgenſis* [8], *Arias Montanus* [9], *Uſſerius* [10]. Nihil opus erat, Univerſi curſum immutari tantum ſigni cauſâ, & porro umbra expreſſe multis locis nominatur: inſuper etiam lineas commemorant *Literæ Sacræ*, quæ umbram in horologio attinent, non vero Solis curſum in æthere: denique Rex non poterat in lecto ægrotans videre Solem, ſed umbram tantum per feneſtram. Contra de Sole ipſo retrogreſſo exponunt *Emanuel Sa*, *Cornelius a Lapide*, *Tirinus*, *Menochius*, *Tremellius*, *Vinarienſes*, *Gualtherus* [11], *Johan. Ricciolus* [12], *Toſtatus* [13], *Clavius* [14], *Simon Majo-*

(1) x. 23. (2) *l.* II. & VI. (3) *de Carolo Magno c.* 26. (4) *l.* IV. *de Geſtis Ximenii.* (5) *lib.* 11. *Belli German.* (6) *de Refractionibus cœleſtibus c.* 32. (7) *Commentario ad Syrachidem pag.* 954 (8) *Commentar. ad* 2. *Reg.* XX. (9) *Commentario ad cap.* XXXVIII. *Eſaiæ pag.* 832. (10) *in Annalibus ſacris.* (11) *Commentariis ad* 2. *Reg.* XX. *& Eſai.* XXXVIII. *cap.* (12) *in Almageſto novo l.* IX. *pag.* 482. (13) *Commentario ad* 2. *Regum* XX. *quæſt.* 26. 27. 32. 33. 34. (14) *in Gnomonicis c.* 11.

Majolus[1]. Rationes proferunt : (1) Quod ſcribatur Eſai.[2] *& reverſus eſt Sol decem gradibus, iiſdem gradibus quibus deſcenderat.* (2) Quod Babyloniorum Legati venerint percontaturi de portento quod in terrâ evenerat, 2. *Chron.*[3], *Cornelius a Lapide*[4]. RESPONDEO : (1) Umbram quæ in cæſuras illas incidebat, Solem vocat per metalepſin frequentem : nam a Sole erat umbra iſta. (2) Quæſitum veniebant de portento : atqui neceſſum haut erat, ut Babylonii interrogarent de cœleſti ſigno illo apud Judæos, vidiſſent quippe & ipſi Babylone, ſi miraculum in Sole contigiſſet. Verbo : percontabantur de occidione exercitus Sennacheribi ad Hieroſolymam factâ, quam rumor ad aures eorum detulerat. Erant enim ipſi etiam Aſſyriorum hoſtes, poſtquam Nabonaſſar apud Babylonios imperare cœperat.

XIII. Totum vero de Auguriis negocium erat impoſtorium aliquid, & confictum ad dementandos homines ignorantiæ tenebris damnatos, *Epheſ.*[5]. Dicebat olim *Accius* Poëta : *Nihil credo Auguribus qui aures verbis divitant alienas, ſuas ut auro locupletent domos.* Quod pertinet ad noſtros Planetarios, qui divinationes obtrudunt ancillis, Camillis, Sibyllis, ut cœnas petant & fœminarum ſermonibus aut laudentur aut traducantur. Papirius Conſul rogavit pullorum augurium, & infelix eſſe accepit, quo non obſtante pugnavit, hoſtesque vicit, pullorum & planetariæ magiſter, qui mentitus fuerat, in primo congreſſu occubuit, *Livius*[6]. Neque illis credebant quorum animos melior cognitio Dei imbuerat. *Levit.*[7] adeoque Moſellanus Judæus in Alexandri Macedonis exercitu eques ſagittâ percuſſit avem in itinere obviam ringente Augure, *Joſephus*[8]. Et *Curtius* Ariſtandri Auguris manifeſtas ineptias increpat[9], ubi eſt inter alia de Alexandro : *Qui poſt Darium victum Ariolos & Vates conſulere deſierat, rurſum ad ſuperſtitio-*

(1) *Tom.* 1. *Dierum Canicular. pag.* 2. (2) XXXVIII. 8. (3) XXXII. 31. (4) *Commentario ad Eſaiam pag.* 312. (5) II. 2. (6) *lib.* X. *Hiſtor.* (7) XIX. 26. (8) *lib.* I. *contra Appion.* (9) *lib.* VII. *c.* 18.

ſtitionem humanarum mentium revolutus, Ariſtandrum cui credulitatem ſuam addixerat, explorare eventum rerum ſacrificiis jubet. Et nebulones illos qui hominum credulitati illuſerunt, *Cicero* multis rationibus impugnat [1]. De Julio erunt quædam *diſtinctione ſequenti.* Pro defenſione Augurum obtendit *Ammianus Marcellinus* [2], vir cæterum prudens, non ſatis prudenter *ad Deum appellando, qui avium voces volatuſque dirigat, ut inde homines futura diſcant*, hæc inquam facile repudiantur, quandoquidem vanitates eas Genii mali perſuaſerunt, itaque non poterant damno eſſe veri Dei cultoribus, fatente Bileamo Augurum præcellentiſſimo: *Non eſt augurium contra Jacob, & non eſt divinatio contra Iſraëlem*, Numeror. [3].

XIV. ARUSPICES apud victimas aderant, atque inde petebant exta, ut inſpectis illis Deorum voluntatem explorarent & futura prædicerent. Novum genus Ariolorum. Virgilius [4]:

Tertius ille hominum divûmque interpres Aſylas
Cui pecudum fibræ, cœli cui ſidera parent,
Et linguæ volucrum. —— ——

Et prioribus deterius etiam. Juvenalis [5]:

Quid Romæ faciam? mentiri neſcio, librum
Si malus eſt, nequeo laudare, & poſcere, motus
Aſtrorum ignoro. —— ——

Vides illum perinde & eodem loco Paraſitos, mendaces, Planetarios, Nativitatiſtas, Aruſpices, lenones, meretricum communium ſuccubos cenſere. Nam de Planetariis ſonat illud:

Motus aſtrorum ignoro. ——

Et de Nativitatiſtis ſequitur:

—— *Funus promittere patris*
Nec volo nec poſſum. ——

Demum illud:

—— *Ranarum viſcera nunquam*
Inſpexi, —— ——

ad

(1) *lib.* II. *de Divinat.*
(2) *lib.* XXI.
(3) XXIII. 23.
(4) *lib.* X. *Æneid.*
(5) *Sat.* 3.

ad Haruſpices pertinet, qui perquirebant viſcera, ἀλλαντοσκόπους, ranarum viderint aut boum exta, mendacia ſunt omnia! Et mendaces ſunt Planetarii quanquam illi hoc nolint, gregales Noſtradami, a quo deſcriptum Thema natalicium Rudolfi II. Cæſaris penes nos in manuſcripto habemus, refertum mendaciis ad nauſeam, ut non ſapiant qui bibere hanc nauteam volunt. Et tamen Noſtradamus in his talibus ineptiis excellebat. De hoc iterum agit[1]:

Teſtamentum ingens, calida pulmone columbæ
Tractato, Armenius vel Comagenus Aruſpex
Pectora pullorum rimatur & exta catelli.

De Aruſpicibus eſt, & Planetarios ſtatim addit:

Chaldæis ſed major erit fiducia, quicquid
Dixerit Aſtrologus, credent a fonte relatum
Ammonis, quoniam Delphis oracula ceſſant.

Scholas in Hetruriæ urbe Fæſulis habebant, ubi profitebantur impoſtorias artes Dæmonum ſocii, *Cicero*[2], *Valerius Maximus*[3]. Huc pertinent illa Tibulli[4]:

Divi vera monent venturæ nuncia ſortis,
Vera monent Thuſcis exta probata viris.

Victimarii hactenus victimam in Templi porticibus alligaverant, donec ceremoniæ aliquæ finem habebant. Eo ſpectat locus *Pſalm.*[5]: *Ligate agnum funibus uſque ad cornua altaris.* Sive ut *Caſtalion* vertit, *alligate feſtam hoſtiam reſtibus ad aræ cornua.* De victimis in Feſto offerendis agitur, non vero *de frondibus ac ramis*, quibus debeat ornari Templum, (uti vulgo quidem cum *Romano Interprete* capiunt) adverſus quem ſenſum recte diſſerit *Johannes Tarnovius*[6]. Porro adducebant bovem agnumve funе procul extento & longiori. Juvenalis[7]:

Sed procul extenſum petulans quatit hoſtia funem
Tarpejo ſervata Jovi. —— ——

Nimirum laxo illo, ne videretur ad aram trahi invita, quod

(1) *Sat.* 6. (2) *lib.* 1. *de Divinat.* (3) *lib.* v. *c.* 1. (4) *lib.* 111. *Eleg.* 4. (5) CXVIII. 27. (6) *in Exercitationibus Biblicis pag.* 379. (7) *Sat.* 12.

quod mali ominis erat. Popæ feriebant & excoriabant, diſſecabant Flamines cultro mactatorio oblongo, quem vocabant *Seceſpitam*, accurrebant Aruſpices, & *fiſſiculabant*, uti *Apulejus* loquitur [3], (nam ſic ibi *Petrus Colvius* [2], & *Johan. Gerhard. Voſſius* [3] emendant, pro quo tamen *phyſiculabant* legere mavult *Stephanus Johannis* [4]) id eſt, rimabantur exta adhuc palpitantia. Virgilius [5]:

——— *Pecudumque recluſis*
Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta.

Et prædictiones ſuas coram populo effabantur. Virgilius [6]:

—— —— *Et viſcera vivis*
Eripiunt. —— ——

Seneca [7]:

Erepta vivis exta pecoribus tremunt,
Spirantque venæ, corque adhuc pavidum ſalit.
At ille fibras tractat & fata inſpicit,
Et adhuc calentes viſcerum venas notat.

Malum erat, ſi Victima reluctaretur, ſi fugeret, ſi multo cum mugitu pedumve ſtrepitu collapſa aram percuteret, ſi parum copioſe manaret ſanguis. De Julio Suetonius [8]: *Immolanti aufugit hoſtia.* Et cum paulo ante dixerat, *ne religione quidem ulla a quoquam incepto abſterritus unquam vel retardatus eſt*, ſubjungit, *deinde profectionem adverſus Scipionem & Jubam non diſtulit.* Nimirum ſpretis Aruſpicum nugis eo facilius & navigavit & vicit. *Lucanus* inter prodigia cladis Pharſalicæ refert [9]:

Admotus ſuperis diſcuſſâ fugit ab arâ
Taurus. —— ——

Fugæ Victimarum exempla habent *Florus* [10], *Suetonius* [11], *Tacitus* [12], *Silius Italicus* [13], *Statius* [14]. Et hujuſmodi Auſpicia *piacularia* appellabant, teſte *Feſto* [15]. Bonum vero erat, ſi

(1) *de Deo Socratis.* (2) *in Notis.* (3) *in Lexico Etymologico pag.* 215. (4) *Notis ad Saxonem Grammaticum pag.* 42. (5) *lib.* IV. *Æneid.* (6) *lib.* XII. *Æneid.* (7) *in Thyeſte Act.* 4. *ſc.* 1. (8) *lib.* I. *cap.* 59. (9) *lib.* VII. *Pharſal.* (10) *lib.* IV. *c.* 2. (11) *lib.* VII. *c.* 18. *lib.* XI. *c.* 10. (12) *lib.* XV. *Hiſtor.* (13) *lib.* V. (14) *lib.* XI. *Thebaid.* (15) *lib.* XV. *de Verborum ſignificationibus pag.* 366.

ſi placide ſequeretur ad Aras, perſtaret, collaberetur, jaceret, ſi liberaliter ſanguinem de venis profunderet. Jecur, pulmo, lien, cor, renes, lingua prænunciabant bonum, quando ſana, integra, vivida & vegeta erant: malum vero, cum morbida, pallida, languida, livida erant, aut cum prorſus aberant, Dæmonum ope ſubſtracta. Quanquam *Caſaubonus* [1] inculcet, *Popas & Victimarios compendii cauſâ abſtuliſſe exta per fraudem, ut victimas ſuccidaneas procurarent.* De quo ſtatim plura dicturi ſumus. Lucanus [2]:

Atque iram Superûm raptis quaſivit in extis,
Terruit ipſe color vatem, non pallida tetris
Viſcera tincta notis, gelidoque infecta cruore
Plurimus aſperſo variabat ſanguine livor.

De Julio narrat Suetonius [3]: *Aruſpicem triſtia & ſine corde exta Sacro quodam nunciaviſſe.* Movet *Plinius*, cum rei hujus meminit, quæſtionem, *potueritne ſine viſcere illo hoſtia vivere, an vero ad tempus amiſerit?* Verum facile reſpondetur, hactenus cor non defuiſſe, ereptumque eſſe Dæmonum fraude ad detinendos in errore miſeros homines, qui putabant, Aruſpicum prædicta eſſe vero conſentanea. Ita fatuorum erant fata fatua, & Dæmon illudebat cultoribus ſcholæ infernalis. *Pſalm.* [4]. Spurinna Aruſpex diem præfinivit, quo Cæſar Julius infeliciter perire debebat, *Suetonius* [5]. Ipſe tamen contempſit viri præſagium, quem ævi ejus Scriptores nimiopere laudant alias, & poſt illos *Argolus* [6]. Ac de iſtis quidem mirum non eſt, quod Paganus Paganum laudat: mirum vero, imo exſecrabile, eſt, quod Satanæ ductu impulſum Vatem & Planetarium (Deo ſumme exoſum, *Levit.* [7],) laudat Chriſtianus & peſtilentes divinationes, Dei teſtimonio & Sapientum ſuffragio damnatas tuetur authoritate Diabolorum. Rem deſcri-

(1) *Animadverſis ad lib.* IX. *Athenæi pag.* 657. (2) *lib.* I. *Pharſal.* (3) *lib.* I. *c.* 77. (4) CXLXVII. 9. 20. (5) *lib.* I. *c.* 81. (6) *Præfat. ad Pandoſion Sphæricum.* (7) XVIII. 11. *c.* XIX. 31. *c.* XX. 6. 27.

deſcribit Vellejus[1]: *Plurima præſagia atque indicia Dii immortales futuri obtuliſſent periculi, nam & haruſpices præmonuerant ut diligentiſſime Iduum Martiarum caveret diem, & uxor Calpurnia territa nocturno viſo, ut eâ die domi ſubſiſteret, orabat. Sed profecto ineluctabilis fatorum vis, cujus cum fortunam mutare conſtituit, conſilia corrumpit.* Manilius[2]:

Ille etiam cœlo genitus cœloque receptus,
Cum bene compoſitis victor civilibus armis
Jura togæ regeret, totiens prædicta cavere
Vulnera non potuit, toto ſpectante Senatu,
Indicium dextrâ retinens, nomenque cruore
Delevit proprio, poſſent ut vincere fata.

Suetonius de Galbâ[3]: *Prius vero quam occideretur, ſacrificantem mane Haruſpex identidem monuit, caveret periculum, non longe percuſſores abeſſe.* idemque refert *Plutarchus*[4]. Rurſum *Suetonius* de Vitellio[5]: *Nullis tamen offenſior quam Veraculis & Mathematicis, ut quisque deferretur, inauditum capite puniebat.* Veraculi ſunt divinatores (nam qui *Vernaculis* ibi legunt, fruſtra ſunt, ut *Joſephus Scaliger*[6] monet) & Mathematici ſunt planetarii conjectores, a quibus Orbis vexatus ſemper, non potuit ab illis nebulonibus ſeſe liberare. Nam & hodie ſunt, & perquirunt ganea, ut habeant quibus themata (*Directiones* appellant Vates meretricarii, ita fraudum fabri vocabulis quoque ſuperbiunt,) obtrudant, volas inſpiciant, loculos expilent Crumeniſectores peſſimi & Diaboli inſtrumenta, *infra*[7].

XV. DUUM DECEMVIRI ſequuntur Cuſtodes & Relectores librorum Sibyllinorum:

Qui fata Deûm ſecretaque carmina ſervant.

ait *Lucanus*[8]. Libri illi publicorum malorum remedia, Deorumque arbitria continere putabantur. Venit ad

S Tar-

(1) *lib.* II. *Hiſtor. c.* 57. (2) *lib.* IV. *Aſtronom. pag.* 82. (3) *lib.* VII. *c.* 19. (4) *in Vitis illuſtribus pag.* 468. (5) *lib.* IX. *c.* 14. (6) *in Catalectis Schildi ad h. l. pag.* 713. (7) *lib.* IV. *c.* 1. *diſt.* 2. (8) *lib.* I. *Pharſal.*

Tarquinium Superbum (pro quo *Peucerus* [1], nominat Tarquinium Priſcum, lapſu memoriæ) Regem, anus ignoti oris ἐγγαστρίμυθος, & a Spiritu nequam obſeſſa potius quam a bono agitata. Sic enim Virgilius [2]:

Ventum erat ad limen, cum Virgo poſcere fata
Tempus, ait, Deus ecce Deus, cui talia fanti
Ante fores ſubito, non vultus, non color unus,
Non compta manſêre comæ, ſed pectus anhelum
Et rabie fera corda tument. ——

Rabidam Sibyllam dixit Claudianus [3]: *Furioſam Sibyllam*, vocat *Marcellus Palingenius* [4]. Ac de Paganorum Vatibus omnino valet illud *Platonis* [5]: οὐδεὶς γὰρ ἔννους ἐφάπτεται μαντικῆς ἐνθέου καὶ ἀληθοῦς. Et exemplo eſt Bileam Planetariorum omnium Princeps, *Numeror.* [6]. Cæterum de Vatibus a divino Spiritu agitatis verum eſt, quod citra amentiam acceperint & pronunciaverint futura. ἐγγαστρίμυθοι ſunt *Levit.* [7], *Deut.* [8], 1. *Samuel.* [9], 1. *Chron.* [10], *Eſai.* [11] אבות / ſcilicet ex locis obſcenis fœminæ (ἀπὸ τῶν γυναικείων κόλπων, ait *Origenes* [12]) humi jacentis aut ſedentis, verba obſcura pronunciabat Genius malus, uti porro diſquirunt *Joh. Druſius* [13], *Lempereur* [14], *Bodinus* [15], *Johan. Seldenus* [16], *Caſpar Schottus* [17], *Georgius Moëbus* [18], *Ludovicus de Dieu* [19], *Buxtorffius* [20]. Hæc Regi libros, in quibus Oracula veterum, ut ajebat ipſa, deſcripta, venales obtulit, eoſque Rex Augurum juſſu emit, ut deinceps eſſent commune Oraculum Urbis, unde rerum difficilium, in publicis malis cumprimis ſubſidia a Diis roganda addiſcerent, *Dionyſius Halicarnaſſæus* [21], *Aulus Gellius* [22], *Solinus* [23]. Itaque *Horatius* [24] dicit:

Quo

(1) *de Divinatione fol.* 111. (2) *lib.* VI. *Æneid.* (3) *Panegyrico in quartum Conſulatum Honorii.* (4) *in Librâ.* (5) *in Timæo.* (6) XXIV. 4. (7) XIX. 31. *cap.* XX. 27. (8) XVIII. 11. (9) XXVIII. 7. 8. (10) X. 13. (11) XIX. 3. (12) *lib.* VII. *contra Celſum.* (13) *Obſervationibus ad Deuteronom. c.* 18. (14) *Notis ad Jacchiadem pag.* 31. (15) *lib.* II. *Dæmonomaniæ c.* 3. (16) *Syntagm.* I. *de Diis Syris pag.* 120. (17) *in Phyſicâ curioſâ lib.* IV. *c.* 11. 12. (18) *de Oraculis pag.* 63. (19) *Commentariis ad Acta Apoſtol. pag.* 152. (20) *in Lexico Thalmudico pag.* 39. (21) *lib.* IV. (22) *lib.* I. *c.* 19. (23) *in Polyhiſtore c.* 8. (24) *in Carmine ſeculari.*

Quo Sibyllini monuere verſus
Virgines lectas, pueroſque caſtos,
Diis, quibus ſeptem placuere colles,
Dicere carmen.

Repoſuit eos in peculiari aliqua cella Templi Capitolini, ac conſtituit Duumviros eruditionis veterum in Oriente & apud Hetruſcos vulgatæ, peritos, qui Libros per occaſionem evolverent, & bono Urbis excerperent inde quod eis videretur factu optimum, Apolline favente. *Tibullus* ad Apollinem [1]:

— *Ipſe precor, quod canat illa, doce.*

id eſt, rege mentem Profeſſorum ordinariorum, ut Oracula vere interpretentur. Erant enim verbis reconditis & caliginoſis ſenſibus deſcripta, quomodo ſolebat Dæmon proferre ambigua & obſcura reſponſa, incertus eventi ipſe, aut ſaltem ne deſineret eſſe impoſtor. Hoc eſt, ἐν κρυφῇ λαλεῖν, *Eſai.* [2]. Æneas ad Demophilen Sibyllam [3]:

Te quoque magna manent regnis penetralia noſtris,
Hic ego namque tuas ſortes arcanaque fata
Dicta meæ genti ponam.

Decemviros effecerunt poſteri A. U. 389. & porro Quindecimviri * evaſerunt Syllæ temporibus, qui vi-



S 2 ctor

* Illorum titulus expreſſus eſt in hoc nummo apud J. Gutherium *l.* 1. *de Jure Pontif. c.* 15.

(1) *lib.* II. *Eleg.* 5. (2) XLV. 19. (3) *lib.* VI. *Æneid.*

ctor hoſtium ac civium multa correxit, ut potentiam oſtentaret, atque numerus ille confirmatus eſt ſub Julio Syllæ æmulo, uti conſtat è *Suetonio*[1]. Ergo *Horatius*[2] ævo illo:

Quindecim Diana preces virorum
Curet. ——— ———

Inſcriptio Brixiana: M. NONIO. M. F. FABIO. ARRIO. PAULINO. APRO. CI. XV. VIRO. SACR. FAC. CULTORES. LARUM. EJUS. *Gruterus*[3]. Syllæ tempore Capitolium deflagravit una cum Libris Sibyllinis. Ne carerent Oraculis ejuſmodi, vetuſta quævis carmina in Aſiæ & Italiæ locis (ubicunque Sibyllæ olim degerant) conquiſita Romam pertulerunt Quirites, plauſtrorum onera. Nam teſte Hermeâ Philoſopho[4], omnes mulieres τὸν μαντικὸν ἐλθοῦσαι βίον dictæ fuerunt *Sibyllæ*. Attamen fidem publicam meruerunt, & Auguſtus denuo recenſuit, inque Capitolio depoſuit, *Suetonius*[5]. Scribebat tunc Elegiam *Tibullus* ad Meſſalinum Quindecimvirum[6], ubi hæc leguntur:

Quicquid Amalthea, quicquid Marpeſia dixit,
Herophile Phœbo grata quod admonuit:
Quodque Albuna ſacras Tiberis per flumina ſortes
Portarit, ſicco perlueritque ſinu.

Habes hic plurimarum nomina. Amalthea erat Cumis oriunda, eſtque Demophile Virgilii[7]:

Huc ubi delatus Cumæam acceſſeris urbem,
Divinosque lacus & Averna ſonantia ſilvis
Inſanam Vatem aſpicies. ———

Et de eâdem[8]:

At pius Æneas arces quibus altus Apollo
Præſidet horrendæque procul ſecreta Sibyllæ
Antrum immane petit. ———

Et paulo poſt:

——— *Phœbi Triviæque Sacerdos*
Demophile Glauci. ——— Sic

(1) *lib.* 1. *cap.* 79. (2) *l. d.* (3) *in Volumine p.* 307. (4) *in Scholiis ad Phædrum.* (5) *lib.* 11. *c.* 31. (6) *lib.* 11. *Eleg.* 5. (7) *lib.* 111. *Æneid.* (8) *lib.* VI. *Æneid.*

Sic enim emendat *Janus Guilelmus*, ubi *Robertus Stephanus*, *Henricus Stephani*, *Heinſius*, *Jacobus Pontanus*, *G. Berſmannus*, excudunt, *Deiphobe*. Herophile erat Sacerdos Apollinis Sminthei, in cujus luco ſepulchrum accepit. Albuna vero illa eſt, quæ vaticinos Libros detulit ad Tarquinium, & Libros iſtos vocat *ſortes*. De eâdem Virgilius[1]:

——— ——— *Lucoſque ſub altâ*
Conſulit Albuneâ. ———

Ejus ſepulchrum & nemus erat Tibure in ripâ Anienis, ac porro videris *Turnebum*[2]. Etſi vero Capitolium iterato accenſum Libros ſacros iiſdem cineribus involverit, nunquam tamen defuerunt Templi Librorumque reparatores. Stellam Poëtam celebrat *Statius*[3], quod è Quindecimviris collega Sibyllinos Libros ſtudioſe pervolverit:

Hunc & biſſenos (ſic indulgentia pergat
Præſidis Auſonii) cernes attollere faſces
Ante diem, certe jam nunc Cybeleia novit
Limina, & Euboicæ carmen legit ille Sibyllæ.

Contigerunt iſta Domitiani tempore, & conſtat per teſtimonia *Martialis*[4], quod Stellæ erat celebris gloria. Sub Aureliano conſuluerunt Libros Sibyllæ, quamvis Senatus non admodum curaret exoleta figmenta, ut narrat *Vopiſcus*[5]. Demum Libros palam abdicavit Theodoſius Magnus, ejus vero etiam filius Honorius Cæſar permiſit aulæ Magiſtro ſuo Stiliconi, ut in locum unum comportatos exureret. Conqueritur factum Rutilius Numantianus[6]:

Nec tantum Geticis graſſatus proditor armis,
Ante Sibyllinæ fata cremavit opis.

De Sibyllis nos quædam notavimus *in Auctariis ad Pappum*[7], & confer *Lilium Gyraldum*[8], *Antonium Thyſium*

(1) *lib.* VII. *Æneid.* (2) *l.* XI. *Adverſar. cap.* 26. (3) *lib.* 1. *Sylv.* 2. (4) *lib.* IV. *Epig.* 60. *lib.* XII. *Epig.* 3. (5) *in Aureliani geſtis c.* 18. (6) *lib.* 11. *Itinerarii num.* 50. (7) *pag.* 78. (8) *in Hiſtoriâ Poëtarum pag.* 77.

ſium[1], *Boxhornium*[2], *Caſaubonum*[3], *Salmaſium*[4], *Jacobum Nicolaum Loenſem*[5], *Lucium Johannem Scoppam*[6], *Tholoſanum*[7], *Joh. Henricum Boeclerum*[8], *Petrum Lambecium*[9].

XVI. FECIALES non tam religionis quam juſtitiæ Sacerdotes, jus illud profitebantur, quod circa pacta, fœdera, conventiones, conditiones Populorum & Regum, Legatorum commiſſa, induciarum concordata, pacis & belli acta publica verſatur. Præſes collegii ejus erat Pater patratus. *Inſcriptio* Mediolanenſis: D. S. I. M. P. ACIL. PISONIANUS. PATER. PATRATUS. QUI. HOC. SPELEUM. VIOL. IGNIS. ABSUMPTUM. COMPARATA. AREA. A. REPUBL. MEDIOL. PECUNIA. SUA. RESTITUIT. *Gruterus*[10]. Cumque bello juſto Populum aliquem invadere volebant, Feciales quatuor amandabant, ut denunciarent bellum, *Dionyſius Halicarnaſſæus*[11], *Plutarchus*[12]. Verbenâ coronati Oratores capite velato, ad fines Populi ejus, quem hoſtem declaraverant, profecti, haſtam ſanguine tinctam immittebant, principium cladis ab exercitu accelerante imminentis. De Verbenâ teſtis eſt Virgilius[13]:

——— *Verbenâ tempora vincti.*

De haſtâ immiſſâ ſcribunt *Aulus Gellius*[14], *Ammianus Marcellinus*[15], & confer *Albericum Gentilem*[16], *Carolum Paſchalium*[17]. Fœderis paciſcendi ritus deſcribitur apud *Livium*[18], ubi eſt de fœdere inter Tullum Hoſtilium & Albanos percuſſo. Verba obligantia ſunt iſta: *Audi Jupiter, audi Pater patrate Populi Romani, audi tu Populus Albanus: ut illa palam prima poſtrema ex illis tabulis*

(1) *Obſervationibus ad Saluſtium.* 122. (2) *in Hiſtoriâ univerſali pag.* 47. (3) *Exercitat.* 1. *adverſ. Baronium ſect.* 10. 11. (4) *in Exercitationibus ad Solinum pag.* 70. (5) *lib.* 1. *Miſcellan. c.* 4. (6) *in Collectaneis lib.* 1. *c.* 11. (7) *lib.* XII. *de Republicâ c.* 12. (8) *Diſſertatione ad Bucolicon quartum Virgilii.* (9) *in Prodromo Hiſtoriæ literariæ lib.* 1. *pag.* 13. (10) *in Volumine pag.* 24. *num.* 9. (11) *lib.* IV. (12) *in Vitâ Numæ pag.* 39. (13) *lib.* XII. *Æneid.* (14) *lib.* X. *c.* 27. (15) *lib.* XIX. *Hiſtor.* (16) *lib.* 1. *de Legatis c.* 12. (17) *de Legato c.* 3. (18) *lib.* 1. *Hiſtor.*

bulis cerâve recitata ſunt ſine dolo malo : utique hîc ea rectiſſime intellecta ſunt : illis legibus Populus Romanus prior non deficiet. Si prior defecerit publico conſilio, dolo malo: illo die Jupiter Populum Romanum ſic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam : tantoque magis ferito quanto magis potes polleſque : Id ubi dixit, porcum ſaxo ſilice percuſſit. Hæc *Livius*. Porcus pro ſacrificio velut cædebatur, uti eſt in Gorlæi *Theſauro Numiſmatum* [1]. Itaque Virgilius [2]:

——— *Caſâ jungebant fœdera porcâ.*

ubi *Servius* notat [3] : *falſo autem ait* porca, *nam ad hoc genus Sacrificii porcus adhibebatur*. Res erat indifferens, porcus, porca, uti etiam in Sacris aliis. Cicero [4], *Porca fœminâ piaculum dare*. *Suetonius* in Claudio [5], *Cum Regibus fœdus in foro icit, porcâ caſâ ac vetere Fecialium præfatione adhibitâ*. Locus eſt Geneſ. [6] : *Offer mihi vitulam triennem, & Abraham offerens ei omnia hæc, cum diſſecuiſſet ea per medium, poſuerat dimidiam cujuſque partem è regione alterius*. Et porro [7] : *Condito Sole, ecce fumantem furnum & ardentem lampadem tranſeuntem inter ſegmenta illa. Hoc die pepigit Dominus cum Abrahamo fœdus, dicendo : Semini tuo dedi terram hanc*. Scilicet qui Fœdus ſanciebant, illi animalium carnes diſſecabant & inter ſegmenta illa tranſibant. Vitula vero ut porca, ſcilicet victima ſexus fœminei. Eratque ritus ille apud Chaldæos uſitatus, ut ſcribit *Cyrillus* [8], & confer *Dan. Heinſium* [9], *Bonfrerium* [10]. Reſpicitur eodem *Jerem.* [11]. Lampas ardens erat ſymbolum Dei tranſeuntis & cum Abrahamo paciſcentis.

XVII. Hactenus fuerunt munia publica & adminiſtri eorum. Privata Sacra erant præterea tum Civium, tum Principum. Civium Sacra per Curias & Tribus opificum pro familiarum ſalute agebantur, quique illis

(1) *Tab.* 38. *num.* 1. (2) *lib.* VIII. *Æneid.* (3) *pag.* 529. *Commentar.* (4) *lib.* II. *de LL.* (5) *lib.* V. *cap.* 25. (6) XV. 9. 10. (7) V. 17. 18. (8) *lib.* X. *Adverſus Julian.* (9) *Notis ad Silium Italicum pag.* 10. (10) *Commentario ad Geneſin pag.* 197. (11) XXXIV. 18. 19.

præerat, *Curio* dictus eſt, & Curionum omnium præfectus, ὁ φρατρίαρχος appellabatur *Curio Maximus*, *Dionyſius Halicarnaſſæus* [1], *Jacobus Perionius* [2], *Salmaſius* [3]. Principum Sacra cœperunt, poſtquam θεομανία invexit adulatio, atque ob præclara merita in Rempublicam ab exceſſu in Divos relati ſunt illi, ut nomina aſſcriberentur in libris ritualibus, ut digna eorum memoria coleretur Aris Templiſque erectis, ut Victimis cæſis & Carminibus recitatis honorarentur, ut Nummi aurei, argentei, ærei cuderentur cum adjectis vaſis ſacrificialibus. Annulos tales habet *Gorlæus* [4]. Prolixe deſcribunt *Julius Cæſar Bulengerus* [5], *Caſpar Barthius* [6], *Franciſcus Peruccius* [7], *Thomas Reineſius* [8]. Dicit Ovidius [9]:

Qua licet, affectas cœlum quoque, templa Quirinus
Liber & Alcides, & modo Cæſar habent.

Et [10]:

Hanc animam interea cæſo de corpore raptam
Fac jubar, ut ſemper Capitolia noſtra forumque
Divus ab excelſâ proſpectet Julius æde.

Similia habet Virgilius [11]:

Hunc tu olim Cœlo ſpoliis orientis onuſtum
Accipies ſecura, vocabitur hic quoque votis.

De Julio agit, & *vocari votis*, eſt idem atque Aris Faniſque ſtructis, Sacrificiis coli, Flamineſque habere. Confer *Suetonium* [12], ubi eſt, *ſolidam columnam prope XX. pedum lapidis Numidici in foro ſtatuit, ſcripſitque, PARENTI PATRIÆ, apud eandem longo tempore ſacrificare, vota ſuſcipere perſeveravit.* Hanc columnam *Dion* [13], βωμὸν fuiſſe ait, ad quam Cæſari plebs ſa-

(1) *lib.* II. (2) *lib.* II. *de Magiſtratibus Romanorum & Græcorum pag.* 338. (3) *Obſervationibus ad Jus Atticum & Romanum pag.* 144. (4) *in Dactyliothecâ num.* 95. 98. 115. (5) *lib.* I. *de Imperatore Romano c.* 10. 11. 13. 14. 15. (6) *in Adverſariis lib.* X. *c.* 21. 23. *lib.* XI. *c.* 10. *lib.* XVII. *c.* 1. (7) *de Pompa funebri lib.* III. *pag.* 54. (8) *in Epiſtolis num.* 34. (9) *lib.* III. *Amor. eleg.* 8. (10) *lib.* XV. *Metamorphoſ.* (11) *lib.* I. *Æneid.* (12) *lib.* I. *cap.* 85. (13) *lib.* XLIV.

ſacrificia fecit. *Ara* nominatur quoque a *Cicerone* [1], quanquam idem *Cicero* [2] vocat *columnam*, quam Dolabella ſuſtulit, & homines ſedicioſos, qui illam everſionem indigne ferebant, partim in crucem egit, alios de ſaxo dejecit. Meminit ejuſdem rei *Lactantius* [3], ubi ait Dolabellam *Cæſaris columnam*, id eſt, titulum evertiſſe. De hoc facto gratulatur *Cicero* Dolabellæ Conſuli [4]. Porro Suetonius [5]: *Funere indicto*, ait, *rogus exſtructus eſt in campo Martio juxta Juliæ tumulum, & pro roſtris aurata ædes ad ſimulachrum Veneris Genetricis, intraque lectus eburneus auro & purpurâ ſtratus.* Ædem appellant pegma in foro exſtructum, uti ibi collocaretur Cæſaris corpus, dum laudatio peragebatur. Ita autem vocat, primum quia ut diſertim notat, in modum Templi fuit confectum: deinde propter religionem circa defunctos. Qua ratione dixit *Polybius* [6], imaginibus defunctorum ſolita περιτίθεσθαι ξύλινα ναΐδια, & *Plinius* quoque armaria illa vocat *ædiculas*. Nummus Divi Julii cum ædiculâ eſt apud *Antonium Auguſtinum* [7]. Poſtremo, quia de Julio Cæſare tanquam de Deo loqui ſolent, fuitque hæc illius quædam ἀποθέωσις & conſecratio. Sane enim cum legantur multi ante Cæſarem in foro laudati, nemini tamen ædem exſtructam eſſe legimus, ſed *lectum pro roſtris*, vel in roſtris, ut loquitur *Aſconius*, *fuiſſe poſitum*. Poſtea vero cum Imperatores cœpêre conſecrari, hoc quoque ſervatum eſt. *Dion* in funere Pertinacis, οἴκημα ἄπτυχον περίφυλον ædem illam appellat, id eſt, *columnis, non parietibus cinctam*. Hæc omnia annotavit *Caſaubonus* [8], & adde *Johan. Gerh. Voſſium* [9], *Henricum Savilium* [10]. Quæ vero de Fanulis Deorum accuratius ſciri debent, ea monuimus *ſupra* [11]. Cæterum ad Sacra illa peragenda novum genus Sacer-

(1) *lib.* XI. *Familiar. Epiſt.* 2. (2) *lib.* XIV. *ad Attic. Epiſt.* 17. & *Philip.* I. (3) *lib.* I. *c.* 15. (4) *lib.* IX. *Familiar. Epiſt.* 14. (5) *cap.* 84. (6) *lib.* VI. (7) *Tab.* 2. *num.* 23. (8) *ad h. l. pag.* 107. (9) *lib.* III. *de Orig. & Progreſſ. Idololatr. c.* 16. 17. (10) *Notis ad Taciti hiſtoriam pag.* 55. (11) *cap.* VIII. *diſt.* 9.

dotum ordinabatur. *Dion Caſſius* de Auguſto [1], πρῶτος δὲ ἀθανατίσαντες αὐτὸν, καὶ θιασώτας οἱ καὶ ἱερεῖς ἀπέδειξαν. Vocabant *Sodales*: primus vero Romulus inſtituit Sodales Titios, ut Tatii Sabinorum Regis, (quem ille vivum tolerare non poterat, Divumque per ſicarios immiſſos fecerat) memoria conſervaretur. *Inſcriptio* Romana: IMP. CÆSARI. VESPASIANO. AUG. PONTIF. MAX. TRIBUNIC. POTEST. VIII. IMP. XVII. P. P. COS. VIII. DES. IX. CENSORI. CONSERVATORI. ÆDIUM. SACRARUM. SODALES. TITII. *Gruterus* [2]. Neque deinde Sodales alios fere legas uſque ad tempora Tiberii, qui in honorem familiæ Juliæ Sodales Auguſtales ordinavit, deprecatores pro viventium ſalute, conſervatores memoriæ defunctorum, *Suetonius* [3], *Tacitus* [4]. Scripſerat Auguſti ἀποθέωσιν adhuc viventis *Ovidius* [5], uti memorat ipſe, verum nihil minus propterea ab exſilii pœnâ immunis habitus. Teſtimonia plura ſunt apud *Horatium*, qui ſtultitiæ aulicæ (*adulationem* vocat *Tacitus* [6], ubi de re præſenti agit) valde aſſentatur [7]. Nummi in quibus deſcribitur Octavii Cæſaris relatio ad Divos, ſunt apud *Antoninum Auguſtinum* [8]. Sequenti ævo crevit numerus, inde *Sodales Flavii*, *Adrianales*, *Antoniani*, *Ælii*, & alii quorum nomina & munia exponunt *Onufrius Panvinus* [9], *Flavius Blondus* [10], *Caſaubonus* [11], *Johannes Kirchmannus* [12]. Huc pertinent *Inſcriptio* Pannonica: VICTORIÆ. ANTONINI. AUG. L. ANNIUS. ITALICUS. HONORATUS. LEG. AUG. LEG. XIII. ANTONIANÆ. PRÆFECTUS. ÆRARII. MILITARIS. SODALIS. ADRIANALIS. CUM. GLAUDIA. TORQUATA. SUA. ET. ANNIIS. ITALICO. ET. HONORATO. ET. ITALICA. FILIIS. *Gruterus* [13]. Et alia Helvetica: CAJO. LÆLIO. LE-

(1) *lib.* LVI. (2) *in Volumine pag.* 243. (3) *lib.* V. *c.* 6. (4) *lib.* XI. *Annal.* (5) *lib.* IV. *de Ponto Eleg.* 7. & 9. (6) *in Deſcriptione Germaniæ cap.* 8. (7) *lib.* I. *Carm.* 2. *lib.* III. *Carm.* 3. & 5. *lib.* II. *Epiſt.* 1. (8) *Tab.* 16. *num.* 17. 18. 19. 20. 21. 22. (9) *Commentario ad lib.* II. *Faſtorum p.* 246. (10) *fol.* 37. *ſeq. lib.* II. *de Româ triumphante.* (11) *Commentario ad Perſium pag.* 213. (12) *l.* IV. *de Funeribus Romanorum c.* 13. 14. (13) *in Volumine pag.* 259.

LEGATO. IMP. CÆS. NERVÆ. AUG. GERM. LEG. XVI. FLAVIÆ. FIRMÆ. ET. LEGATO. IMP. NERVÆ. TRAJANI. CÆSARIS. AUG. GERMANICI. DACICI. LEG. VI. FIRMÆ. SODALI. FLAVIALI. PRÆTORI. ÆRARII. MILITARIS. *Gruterus* [1]. Nec non tertia Romana: M. PONTIO. M. F. PUP. L. ÆTIANO. LARCIO. SABINO. COS. PONTIFICI. SODALI. ANTONINIANO. VERIANO. FECIALI. LEG. AUG. PR. PR. PROVINC. SYRIÆ. LEG. AUG. PR. PR. PROVINC. PANNONICÆ. *Gruterus* [2], *Jacobus Boiſſardus* [3]. Eis ſimiles erant *Herodiani*, apud quos Herodis Magni memoria ſancte habita fuit, & religioſis modis culta etiam Romæ, ubi eos noverat Perſius [4]:

Herodis venere dies, unctaque feneſtræ
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Nimirum die illo accenſas lucernas & violis coronatas in feneſtris ponebant, ac fores ornabant frondibus. Quod enim *Laurentius Pignorius* [5], *Samuel Petitus* [6], *Chriſt. Noldius* [7], exponunt Herodianos *de libertis Herodis, qui tributis exigendis præfecti erant, ut Cæſarianus ſervus apud Veteres eſt, qui Cæſarem Dominum habebat*, id fruſtra omnino eſt, de quâ re diximus *in Auctariis ad Pappi epitomen hiſtoriæ Eccleſiaſt.* [8], & adde *Caſaubonum* [9], *Dilherrum* [10].

XVIII. Communis omnium Flaminum & Sacerdotum erat lex, ab Ebræis petita, *Levitic.* [11], ut capite velato * Sacra peragerent. Primus Æneas inſtituit, atque hoc ideo factum eſt, ut Sacerdos præſenti animo ac devotione integrâ operaretur. Helenus Vates præcipit Æneæ [12]:

Quin ubi tranſmiſſæ ſteterint ſuper æquora claſſes,
Et poſitis aris jam vota in littore ſolves:

Pur-

* Hunc ritum eleganter exprimit ſtatua apud Oct. Ferrarium *l.* 1. *de re Veſtiar. c.* 10. quam videas pagina ſequenti 284.

(1) *libro dicto pag.* 427. (2) *ibidem pag.* 457. (3) *part.* 3. *Antiquitat. Romanar. fol.* 44. & *part* 5. *fol.* 74. (4) *Sat.* 5. (5) *de Servis pag.* 35. (6) *lib.* II. *Vatiar. lect. c.* 1. (7) *in Hiſtoriâ Idumeâ p.* 266. (8) *pag.* 107. (9) *Exercitat.* 1. *ſect.* 5. (10) *lib.* 1. *Electorum c.* 14. (11) x. 6. (12) *lib.* III. *Æneid.*



Purpureo velare comas adopertus amictu:
Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat & omina turbet.
Hunc ſocii morem Sacrorum, hunc ipſe teneto,
Hac caſti maneant in relligione nepotes.

Caſti, id eſt, pii, ἁγνοὶ, nam profani ſunt inceſti. *Spartianus* ſcribit de Hadriano [1]: *Natali ſuo ultimo cum Antonium commendaret, pratexta ſponte delapſa caput ei operuit.* Ita legit *Baptiſta Egnatius Venetus*, ſed *aperuit* emendant *Lipſius* [2], *Caſaubonus*, *Gruterus*, *Salmaſius*, *Boxhornius*, inde quia capite velato ſacrificabant. Die Natali vota faciebant pro ſuâ & ſuorum ſalute, eumque diem cognati & propinqui communi religione concelebrabant. De quâ re videris etiam *Schrevelium* [3], *Joſephus* de Veſpaſiano [4]: καὶ πολλῆς ἐκ πάντων ἡσυχίας γενομένης ἀναστὰς, καὶ τῷ θεῷ βλήμαθ τὸ πλέον τ κεφαλῆς ἀπικαλυψάμενος εὐχὰς ἐποιήσατο τὰς νενομισμένας. Ubi ἀπικαλυψάμενος eſt *velatâ facie.* Hos imitabantur, quicunque Principum ævo Cæſares velut Deos colebant, *Suetonius* de Vitellio [5]: *Miri in adulando ingenii primus C. Cæſarem adorari ut Deum inſtituit, cum reverſus ex Syriâ non aliter adire auſus eſſet quam capite velato, circumvertenſque ſe, deinde procumbens.* Nimirum ut Deos, ita Cæſarem religioſe adibat, capite operto. Erat idem apud Græcos. *Curtius* de Ariſtandro [6]: *Ille in candidâ verbenas manu præferens, capite velato precabat verba Regis.* In Nummis etiam & Marmoribus, ſacrificantes velato corpore cernimus, ut refert *Torrentius* [7]. Æneum ſacrificantis ſimulacrum in Veſontinis agris repertum habitu illo depingit *Johan. Jac. Chiffletius* [8], ubi addit, *velabatur autem caput laciniâ veſtis in caput rejectâ.* Quod ut recte capias, vide quæ dicemus *infra* [9]. Julii Cæſaris imago cum velatâ facie velut Pontificis Maxi-

(1) *cap.* XXVI. (2) *Notatis ad Annales Taciti lib.* II. *num.* 26. (3) *Notis ad Hiſt. Auguſtam p.* 106. (4) *lib.* VII. *de Bello Judaico.* (5) *lib.* IX. *c.* 2. (6) *l.* IV. (7) *Notis ad l. d. Suetonii pag.* 697. (8) *part.* 1. *Deſcript. Veſontionis c.* 25. (9) *l.* IV. *c.* 5. *diſtinct.* 28.

Maximi, eſt apud *Antonium Auguſtinum* [1]. Lepidi Pontificis imago velata eſt *ibidem* [2], nec non *Domitiani Cæſaris* [3]. Conſtat, quod Genii mali precibus ac ſacrificiis honorati, facies & imagines ſuas ſæpius inimicas, nonnunquam amicas, pro eventu præſtando exhibuerint viſibiles, quando imprecationes & conſecrationes recitabantur. Virgilius [4]:

Apparent diræ facies inimicaque Trojæ
Numina magna Deûm. ———

Nugatur hic *Servius* [5], ſecundum Planetariorum impoſturas. Vera cauſa eſt, quam protulimus, de occurſaculis & ſpectris Deorum. Explicabis inde, quod Bileamus dicit ad Balacum Regem: *Forſan occurret mihi Dominus, & quamcunque rem oſtenderit mihi, indicabo tibi*, Numer. [6]. Bileam Planetarius & Incantator erat, peractiſque Sacrificiis circumagebat ſe, ut facies Numinum videret, amicæ eæ vel inimicæ eſſent? Sed amicas vidit, nec poſſe carminibus maleficorum effici, ut poſſet populus ille damno affici, *Numer.* [7]. Proinde, ne occurrentes imagines, ſæpius inimicæ, Sacerdotis animum timore percellerent, unde Sacra irrita eſſent, voluerunt eum operto capite ſacrificare, *exceptis unius Saturni Sacris, ubi caput non velabant*, teſtibus *Servio* [8], *Feſto Pompejo* [9], & vide nos *ſupra* [10].

XIX. Sacrificia in Populo Dei peculiare id habebant, ut ſine ullo igne ab hominibus excitato, flammâ cœlitus allapſâ cremarentur, *Geneſ.* [11], *Levit.* [12], *Judic.* [13], 1. *Reg.* [14], 1. *Chron.* [15], 2. [16], & prolixe *D. Francius* [17]. Πῦρ γὰρ φησὶν ὁ κάτεισιν ὥσπερ ἐπὶ Μωσέως τὰς θυσίας ἀναλίσκον, ἅπαξ τοῦτο ἐπὶ Μωσέως ἐγίνετο, καὶ ἐπὶ Ἠλίου ἐν Θεσβίτῃ πάλιν μετὰ πολλὰς χρόνους, ait *Julianus* ὁ Ἀποστάτης

[1] *Tab.* 2. *Numiſmatum n.* 1. 2. 7. 13. [2] *Tab.* 6. *num.* 4. 7. [3] *Tab.* 32. *num.* 4. [4] *lib.* 11. *Æneid.* [5] *in Commentario pag.* 246. [6] XXIII. 3. [7] XXIII. 23. [8] *Commentario ad lib.* III. *Æneid. pag.* 299. [9] *in Fragmentis ab Urſino editis pag.* 210. [10] *c.* IX. *diſt.* 4. [11] IV. 4. [12] IX. 24. [13] VI. 11. *cap.* XIII. 20. [14] XVIII. 24. [15] XXI. 20. [16] VII. 1. [17] *in Scholâ Sacrificiorum Diſputat.* 5.

Ἑάτης apud *Cyrillum Alexandrinum* [1]. Diximus in *Auctariis ad Pappum* [2], & quod tantum in primo Templo ita fuerit, oſtendimus *ibidem* [3]. Sub Templo ſecundo adhibebant ignem de ſilicibus excuſſum; ut clarus textus eſt 2. *Maccab.* [4], & confer *Johan. Buxtorfium* [5]. Apud Paganos ſimile quid aliquando contigiſſe, credebant ipſi. Servius [6]: *Apud Majores Aræ non incendebantur, ſed Ignem divinum precibus eliciebant, qui incendebant Altaria.* Solinus [7]: *Qui in colle Vulcanio divinæ rei operantur, ligna vitea ſuper Aras ſtrûunt, nec Ignis apponitur in hanc congeriem, cum porricias intulerint, ſi adeſt Deus, ſi Sacrum probatur, ſarmenta licet viridia Ignem ſponte concipiunt, & inflammante nullo a litato Numine fit incendium.* Sic ille. Quanquam de facto illo dubitant alii. Horatius [8]:

Dum flammâ ſine thura liqueſcere limine ſacro
Perſuadere cupit. Credat Judæus Apella,
Non ego. — — —

ubi vide *Lambinum* [9], & adde *Dan. Heinſium* [10]. Non tamen negari debet, Satanam poſſe incendia concitare, ut exemplum eſt in *Literis Sacris*, *Jobi* [11].

CAP. XIII.

De eminentia poteſtatis civilis probata adverſus Papalis factionis Scriptores Digreſſio poſterior repetitæ lectionis.

I. De *Becano*, *Sandero*, *Conzeno Scioppio* Papæ aſſentatoribus dicere cœpimus peculiari Diatribâ, *in Auctariis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* [12]. Repetemus inde quædam, addemus plurima, ut datam fidem liberemus. Rationes quæ evincunt, Regem Veteris Teſt. præ

[1] *lib.*x. [2] *pag.*193. [3] *pag.*270. [4] x.3. [5] *in Exercitationibus Miſcellaneis pag.* 228. [6] *Commentario ad Æneid.* 12. [7] *in Polybiſtore cap.* 11. [8] *lib.* 1.*Satyr.* 5. [9] *in Commentario pag.* 74. [10] *Notis ad Silium Italicum pag.* 7. [11] 1. 16. [12] *pag.* 375.

præ ejuſdem Fœderis Pontifice multum eminuiſſe, hactenus firmo talo perſtant: reſtat vero, ut in examinandis prærogativis a *Becano* confictis pergamus. Prima eſt: Pontificatus originem habuit a Deo, regnum cœpit importunitate Populi, *Hebr.* [1], *Samuel.* [2]. RESPONDEO: Omnis poteſtas a Deo eſt. *Rom.* [3]. Itaque regia lex promulgabatur, antequam Reges ordinariâ ſucceſſione eſſent, *Deut.* [4]. Neque vetabat Deus habere Principem ſecundum jura Gentium, tantum improbabat, quod ſuo veluti arbitrio depoſcerent, ac prudentiæ Regis innixi vellent res magnas gerere, non requiſito Deo, qui hactenus eos Regis inſtar defenderat conſilio, & Judices miſerat armorum ſucceſſu felices, de quâ re accurata cenſura eſt *Syrachidis* [5].

II. Secunda eſt: Pontifex erat annis multis antequam Rex eſſet. RESPONDEO. Imo Rex erat Moſes, antequam Pontifex Aharon eſſet, *Deut.* [6]. Poteſtate ſummâ & prorſum regiâ Populum Iſraëlis eduxit, rexitque porro in deſerto, ut fatetur *Bonfrerius* [7]. Proinde ſecuti eum Judices quanquam cum multo minori poteſtate, *Reges* vocantur, *Judic.* [8].

III. Tertia eſt: Pontifex ſumebatur tantum è familiâ honoratiſſimâ, quæ erat Levi, Rex poterat ſumi è qualibet Tribu. RESPONDEO: Negatur, quod Tribus Levi fuerit honoratiſſima, *Geneſ.* [9], namque Tribus Juda maximam gloriam præ aliis habuit, *Geneſ.* [10], *Apocal.* [11]. Regiæ Tribui huic prærogativa ob ſummam dignitatem tribuitur in caſtris, *Numer.* [12] in proſectionibus, *Numer.* [13], in offerendis ſacrificiis, *Numer.* [14], in expeditionibus bellicis, *Judic.* [15]. Ex hac Tribu Reges deſcenderunt omnes, poſtquam Davidi regnum dabatur in patrimonium, 1. *Samuel.* [16], 1. *Chron.* [17], *Pſalm.*

(1) v. 4. (2) VIII. 4. *cap.* XII. 16. (3) XIII. 1. (4) XVII. 4. (5) *c.* XVII. 14. 15. (6) XXXIII. 5. (7) *Commentario ad Deuteron. pag.* 1050. (8) XVII. 6. *cap.* XXI. 25. (9) XLIX. 5. 6. 7. (10) XLIX. 8. (11) VII. 5. (12) II. 3. (13) X. 4. (14) VII. 11. (15) I. 2. (16) VII. 14. (17) XVII. 13.

Pſalm. [1]. Regibus ſchiſmaticis in Samariâ non curamus, 2. *Chronicor.* [2].

IV. Quarta eſt: Pontificis inauguratio ſolemnis admodum erat: Reges abſque ullâ ſolennitate promovebantur ad ſolium. RESPONDEO: Cerimoniæ illæ operoſæ omnes aliquid dignitatis conciliabant muneri, attamen nihil poteſtatis addebant Pontifici. Rex certe excellebat, quandoquidem habebat optima in Iſraële, & operoſæ illius inaugurationis circumſtantiæ prorſus myſticæ erant ad Meſſiam relatæ, ut Interpretes Chriſtiani ad Legem uberius docent.

V. Quinta eſt: Pontifex quilibet ungebatur, & quidem oleo ſancto, *Exodi* [3]. Reges non omnes ungebantur, neque enim præter Saulum, Davidem, Salomonem, Joas, Jehu, Regum aliquis unctus eſſe legitur, & fiebat unctio ea communi oleo. RESPONDEO: An quilibet Pontifex ungeretur olim, & vero, an Reges non omnes uncti fuerint, nondum pro certo aſſerunt Interpretes. *Toſtatus* [4], *Iſidorus* [5], ſtatuunt Reges omnes fuiſſe unctos. Rurſum *Tremellius*, *Grotius*, *Vinarienſes* [6], negant, quod Pontificum filii fuerint uncti, quando ad minorum ordinum Sacerdotes redigebantur. Sufficiebat illis, eſſe de unctorum Sacerdotum familiâ, 2. *Maccab.* [7]. De ſummis Sacerdotibus aliter erat, *Exodi* [8], *Levit.* [9], adeoque ungebatur ille quoties ſacro muneri admovebatur novus ſucceſſor. Quicquid ſit, nihil inde ſequitur ad conculcandam Regis ὑποροχὴν, quæ ſecundum effecta propria judicari debet. Uſus ſacræ unctionis poſt Moſis tempora obtinuit in populo Hebræo, cæterum non impoſuit neceſſitatem abſolutam. Non enim fuit adhibita, cum regni hæredes legitimi adibant regnum, hinc libere ungebantur, & cumprimis propter excitatam comperitorum, quos inter de prærogativæ

T

(1) II. 7. XLV. 7. 8. LXXXIX. 28. CXVIII. 22. (2) XIII. 5. (3) XXX. 30. (4) *Commentario ad lib.* 1. *Samuel. c.* X. *queſt.* 2. (5) *lib.* II. *de Eccleſiaſt. offic. cap.* 25. (6) *Notis ad Exodi* XL. 15. (7) I. 10. (8) XXIX. 29. *cap.* XXX. 30. (9) IV. 3. *cap.* XXI. 10.

tivæ jure lis mota erat, ſeditionem, quomodo Salomon propter Adoniæ factionem, Joas propter Athaliæ, & ob Joramo abdicatum imperium ungebatur Jehu. Hoc nos docent *Gemara Hieroſolymitana*[1], & confirmant *Levi Ben Gerſom*[2], *David Kimchi*[3]. Dicit Becanus: *Saul, David, Joas, Jehu tantum uncti eſſe leguntur*. Falſum hoc eſt, quia etiam ſchiſmaticus princeps Abſolom unctus eſſe legitur, 2 *Sam.*[4], nec non Johas filius Joſiæ, 2. *Reg.*[5] dudumque ante Reges conſtitutos Abimelech Sichemita, *Jud.*[6]. Quod oleo ſacro Reges perinde ac Pontifices uncti fuerint, conſtat per dicta & facta manifeſta, 1. *Sam.*[7], 1. *Reg.*[8], *Pſal.*[9], adeoque conſentiunt nobiſcum *Toſtatus*[10], *Pineda*[11], *Barradius*[12], *Genebrardus*[13], *Salianus*[14], *Sanctius*[15], *Wilhelm. Schickardus*[16], *Seldenus*[17]. Cum *Becano* diſſentit *Simon Epiſcopius*[18]. Rationes adferunt: (1) Quia Deus præcepit, ut oleo ſacro ungeretur nemo præter Sacerdotes & Pontificem, *Exod.*[19]. (2) Quia oleum ad ungendos Sacerdotes adhibitum ſemper vocatur *oleum ſacrum*, *Exodi*[20], *Lev.*[21], non etiam alterum illud quo Reges ungebantur, 1. *Sam.*[22], 2. *Reg.*[23] (3) Quia Pontifices non debebant, velut oleo ſacro uncti, adeſſe apud funera, *Levit.*[24]. At Reges poterant lugere & proſequi funera, ut David Sauli, Jonathæ, Abneris. Ergo oleum ſacrum non erat fuſum ſuper caput eorum. (4) Quia oleum ſacrum tractabant Pontifices & Sacerdotes. Atqui Saul, David, Salomoh ungebantur a Prophetis, non etiam a Sacerdotibus. Ergo non ſunt uncti oleo ſacro. (5) Quia Elias jubetur ungere Aſaël Regem Syriæ,

(1) *ad Tit.* חוראיוט. (2) *ad* 1. *Reg.* 1. (3) *ad Eſaiæ* x. 17. (4) xix. 10. (5) xxiii. 30. (6) ix. 8. (7) x. 1. (8) i. 39. (9) lxxxix. 21. (10) *l. d. quæſt.* 1. (11) *l.* 11. *de Rebus geſtis Salomonis c.* 6. (12) *Tom.* 2. *Concordiæ Euangel. l.* iii. *c.* 41. (13) *Commentario ad Pſalm.* lxxxix. 21. (14) *Tom.* 3. *Annal. Vet. Teſtam. pag.* 104. (15) *Commentario ad l.* 1. *Samuel. pag.* 194. (16) *de Jure regio Hebræorum pag.* 22. (17) *lib.* ii. *de Succeſſione Pontificum Ebræor. c.* 9. (18) *lib.* iii. *Inſtitut. Theol. ſect.* 2. *cap.* 2. *theorem.* 16. (19) xxx. 30. (20) xxix. 7. *cap.* xxx. 25. 31. (21) viii. 10. *cap.* xxi. 12. (22) x. 1. *cap.* xvi. 1. 13. (23) ix. 1. (24) xxi. 10.

riæ, & Eliſæum Prophetam uno eodemque oleo, 1. *Reg.*[1]. Atqui Aſahel non poterat ungi oleo ſacro, veluti Gentilibus ſacris addictus. Ergo nec Jehu, nec alii Reges oleum ſacrum acceperunt. (6) Quia David ter legitur eſſe unctus, 1. *Samuel.*[2], 2.[3]. Quæ repetitio non poterat fieri, ſi oleum ſacrum adhibitum fuiſſet. (7) Quod Salomoh accepit oleum ſacrum, eſt peculiaris diſpenſatio. (8) Aut fuit duplex oleum in tabernaculo, unum aromaticum, quo Pontifices & Sacerdotes, alterum vulgare, quo Reges & Prophetæ ungebantur. Hactenus *Epiſcopius*[4], & *Becanus*[5]. RESPONDEO: (1) Notat *Salianus*[6], cum dicitur, *non debere illo alienum ungi*, prohiberi ne quis unguento eo utatur ad profanos uſus, at Regum & Sacerdotum unctio eſt ſacroſancta, & Davidis judicio etiam in capitali hoſte formidabilis, 1. *Samuel.*[7]. Verbo: excluditur homo privati ordinis qui non erat Rex, Propheta, Sacerdos. (2) Etiam illud oleum, quo Reges ungebantur, vocatur *oleum ſacrum*, Pſalm.[8], itaque ad ungendum Salomonem accipiebat Sacerdos cornu olei de Tabernaculo: ad accipiendum commune oleum non erat opus adire Tabernaculum. (3) Tanto major libertas Regum erat, ut non eſſent legibus cerimonialibus addicte ſubjecti, itaque major etiam poteſtas eorum erat. (4) Prophetæ erant majores præ Sacerdotibus, & contra Sacerdotum decreta pronunciare poterant, quod notiſſimum eſt, *Deut.*[9], *Amos*[10]. (5) Quod Haſaël poterat ungi oleo ſacro, nulla cauſa prohibet, itaque Reges Gentium ſunt etiam uncti Domini, perinde ac Reges Iſraëlis, 1. *Samuel.*[11], *Eſai.*[12]. (6) Nulla unctio in Davide erat ſupervacanea. Prima erat inſtar teſtimonii quod ei Deus regnum deſtinaviſſet, poſt Saulis obitum occupandum: ſecunda eum declarabat actu Regem in Judâ: tertia vero addebat illi re-

(1) XIX. 15. (2) XIX. 13. (3) 11. 4. *cap.* V. 3. (4) *l. d.* (5) *de Poteſtate Regis & Pontificis adverſus Lancellottum Anglum pag.* 36. (6) *l. d.* (7) XXIV. 7. (8) LXXXIX. 2. (9) XVIII. 11. (10) VII. 10. (11) XXIV. 7. (12) XLV. 1.

gnum in decem Tribubus. Perinde uti de Sadoco Sacerdote legitur, quod bis unctus fuerit, 1. *Chron.* [1]. Fuerat ille quidem Davidis tempore Pontificis coadjutor, ſed Abjathare pulſo, pontificatum ſuſcepit & ſecundâ vice ungitur. (7) Diſpenſatio eſt exceptio adverſus regulam expreſſam: nulla vero eſt regula, quæ vetat Regibus oleum ſacrum addere. Contrarium potius eſt expreſſo loco, *Pſalm.* [2] Rex Joas in Templo ungebatur a Pontifice Jojadâ, ineptumque eſt arbitrari, alio quodam oleo, ac quod præ manibus erat, uſum fuiſſe. (8) Duplex oleum in Tabernaculo eſt figmentum.

VI. Sexta eſt: Varia erant Pontificis ornamenta, ſed Rex præter diadema nihil habebat. RESPONDEO: Ornamenta ſpectant ad ſenſum myſticum, de quo fuit *antea* [3]. Rex de poteſtate abſolutâ gloriabatur ſecundum jus regium a Samuele deſcriptum, 1. *Samuel.* [4], quem contextum male de jure Tyrannorum exponit *Becanus* [5]. Diadema non habebat, ſed coronam, inſuper haſtam ac gladium poteſtatis documenta, 1. *Sam.* [6]. Addit Becanus, *David coronam Idoli Moloch conflavit in diadema aliquod*, 1. Chronic. [7]. Falſo. Rectius, *accepit autem coronam Regis eorum de capite ejus.* Regis Hanon, uti vocatur 2. *Samuel.* [8]. מלכם appellative transferunt *Vatablus*, *Tremellius*, *Caſtalio*, *Lutherus*, *Scholia Græca*, *Vinarienſes* & *Batavi Scholiaſtæ*, *Arias Montanus*, *Cajetanus*, *Johan. Buxtorffius* [9], & ante omnes illos *Joſephus*, *Angelomus*, *Toſtatus.* Coronam Regis eorum jure ſibi imponebat David. Erat enim victor: nec prohibitæ erant res idololatrarum, ſed res Idolorum, *Deut.* [10]. De Molochi Idoli ornamento exponunt *Serarius* & *Cornelius a Lapide* [11], *Pineda* [12], *Salianus* [13]. Atqui non eſt veriſimile, quod Rex pius & optimus voluerit impuriſſimi Idoli

[1] XXIX. 22. [2] LXXXIX. 21. [3] *num.* IV. [4] VIII. 11. [5] *de Primatu contra Regem Angliæ pag.* 36. 37. [6] XIX. 10. *cap.* XX. 33. [7] XXI. 2. [8] X. 2. [9] *in Lexico Thalmudico pag.* 1210. [10] VII. 25. [11] *Commentario adh. l.* [12] *de Rebus geſtis Salomonis l.* I. *c.* 3. *num.* 19. *& l.* VII. *c.* 11. *num.* 5. 7. [13] *Tom.* 3. *Annal. Vet. Teſtam. pag.* 556.

Idoli coronam aptare capiti ſuo, per oleum ſacrum affuſum conſecrato. Excipit *Salianus:* Rex Ammonitarum in ultimo diſcrimine poſitus, longe aberat a tali ornamento gloriæ circumferendo, ne proderetur qui latere volebat, & quam ne ferre quidem poterat ob ponderis gravitatem. RESPONDEO: Neque circumferebat tunc, quando urbs capiebatur. Verbo: Erat corona, quam Rex eorum in ſolennibus geſtaverat.

VII. Septima: Pontifex curabat ſpiritualia, Rex vero civilia. RESPONDEO: Pontifex tamen erat ſervus Regis, 1. *Samuel.*[1], 1. *Reg.*[2]. Quid multis opus eſt? *Coronam Regis excelluiſſe ſemper præ coronâ legis & ſacerdotii*, vere ait *Rabbinus Maimonides*[3]. Neque Reges Hebræorum curabant ſolum civilia, verum inſimul ſacris præerant, ita ut ſumma poteſtas in ſacris pariter ac civilibus ad eos pertineret, 2. *Samuel.*[4], 1 *Reg.*[5], 2.[6], 2 *Chron.*[7]. Summa præfectura ſacrorum ad Regem pertinebat, veluti cuſtodem utriuſque tabulæ Decalogi: miniſterium ad Pontificem, Sacerdotes, Levitas ſpectabat, *Deut.*[8], *Joſu.*[9]. Itaque in Sanctuario cum שכיבה agere volens Rex, ſedebat, ut hoc ille eximium in ſacris ipſis præ Sacerdote haberet, religionis major antiſtes: Sacerdos & coram Deo, & coram Rege ſtabat ſupplex ac venerabundus. Locus eſt 2. *Samuel.*[10], & ibidem *Vatablus*[11], *Petrus Cunæus*[12].

VIII. Octava: Pontifex gerebat negocia ſua non requiſito prius Rege: at Rex gerebat nihil inconſulto Pontifice, *Numer.*[13], 1. *Samuel.*[14]. RESPONDEO: Scribe rectius, *inconſulto Deo*, quomodo in Teraphim, id eſt, falſis Oraculis reſpondebat Dæmon, *Judic.*[15]. Satis conſtat, quod Reges ipſi præſentes inſpicicbant Oraculum ſacrum pro cognoſcendis eventis rerum, Sacerdotes

 tan-

[1] XXII. 12. 15. [2] I. 2. 26. 27. 33. 43. 47. [3] *Tom.* I. *Halachoth Thalmud. Thor. cap.* 3. [4] VI. 12. *cap.* VIII. 11. [5] II. 27. *cap.* VI. I. *cap.* VIII. I. 2. *cap.* XV. 12. [6] XIII. 4. *cap.* XVIII. 4. [7] XVII. 6. 7. *cap.* XIX. 4. *cap.* XXIX. 3. 5. [8] XVII. 18. [9] I. 8. [10] VII. 18. [11] *in Notis.* [12] *lib.* I. *de Republ. Hebræorum cap.* 14. [13] XXVII. 21. [14] XXIII. 9. *cap.* XXX. 6. [15] XVIII. 5. 14.

tantum externo ministerio fungebantur, 1. *Samuel.* [1]. Confer *Hugonem Grotium* [2].

IX. Nona: Pontifices vice Regis erant, ubi Rex non erat, 2. *Regum* [3]. Rex vero nihil eorum, quæ ad Sacerdotis functionem pertinebant, tractare debuit, 2. *Chron.* [4]. RESPONDEO: Non satis bene vel recte provisum fuit regimini civili, quando illud a Sacerdotibus curabatur, populusque ansam cepit res novandi & Regem postulandi, qui secundum mores omnium Gentium Reipublicæ supremus curator esset, ac Sacerdotum non minus quam aliorum exerrationes dignis modis puniret, 1. *Sam.* [5]. Regiam potestatem verebatur ac venerabatur Samuel. 1. *Samuel.* [6]. Et verum quidem est, quod Sacerdos summus excelluerit inter proceres, adeoque accensetur illis, 1. *Reg.* [7], 2. *Chronic.* [8]. Hoc etiam verum est; quod perinde uti proceres alii fuerit Regis servus, & regum dictis obsequio suo addictus. Nam de hoc solo valet illud: *Quis dicet Regi, quid facis?* Ecclesiast. [9].

X. Decima: Pontifex erat exemptus a potestate Regis, neque poterat eum Rex punire, cum deliquerat. RESPONDEO: Reges cum peccarent non puniebantur. Hinc dictum *Thalmudis:*

אין בריאה דן את המלך אלא הבה:

Nulla Creatura judicat Regem, nisi Deus Benedictus. Saul occiderat Sacerdotes, & vero David tamen dicebat, nolle se lædere unctum Domini, 1. *Samuel.* [10]. Summus Sacerdos a Rege poterat in judicium vocari, damnari, puniri, ut Abjathar læsæ majestatis reus & convictus damnabatur a Rege Salomone, 2. *Reg.* [11]. Exemplum hoc multo evidentissimum est, quod frustra Hildebrandinæ scholæ Doctores multiplicibus elusionibus fatigant. Ajunt: (1) Si regiâ autoritate Salomon de-

(1) XXIII. 9. 10. 11. *cap.* XXX. 6. 7. (2) *de Imperio Potestatum summarum circa Sacra pag.* 134. (3) XI. 4. (4) XXVI. 18. (5) 11. 15. *cap.* VIII. 1. 2. (6) XII. 1. 2. 3. *cap.* XV. 30. 31. *cap.* XVI. 2. (7) 1. 7. 8. 19. 25. 26. 32. 44. *cap.* IV. 2. 4. (8) XIX. 11. (9) VIII. 4. (10) XXII. 11. *cap.* XXIV. 7. *cap.* XXVI. 9. (11) 11. 26. 27.

depoſuit Abjatharem, male fecit, uti Saul cum occidebat Abimelechum, 1. *Sam.* [1], *Becanus* [2], RESPONDEO: Iniquiſſime dictum! Nihil peccaverat Abimelech adeoque innocens periit: Abjathar vero inter complices rebellionis deprehenſus, & ſcelerate moleſtus Regi legitimo, vero Regis judicio capitis ſupplicium incurrebat, ſed pro gratiâ erat, vitam donaviſſe nocenti & relegationis pœnâ mitiori contentum eſſe. (2) Salomonis factum narratur, & non approbatur: nec enim ille videtur mortis pœnâ ideo dignus eſſe, quod Abiſag Sunamitidem ſibi conjugem poſceret, *Bellarminus* [3]. RESPONDEO: Omnino approbat *Scriptura* factum Regis, cum Pontificis iniquam conſpirationem adverſus Regem damnat, 1. *Reg.* [4]. Tale factum merebatur ſupplicium ejuſmodi. Nec aliter eſt de Adoniâ turbatore, quem Regis gratia abſolverat ſemel, atqui redibat ille ad vomitum, petendo Abiſagam Regis conjugem, ut turbas novas Reginæ maritus dare poſſet, eodemque pertinent manifeſta verba ejus coram Bathſabâ matre Reginâ prolata. 2. *Regum* [5]. Corrigenda ſunt illa, quæ *Salmaſius* [6] ſcribit: *Salomon cum fratrem ſuum natu majorem interfici mandavit, parricidii ſcelere maculatus eſt.* Erat certe Adonias perduellis, neque enim ferebat mos Hebræorum, ut Regum ſive conjuges ſive pellices ſociarentur privato. Docent *Vatablus* [7], & *Schickardus* [8]. Hanc ergo cupiens Adonias, jus regni ad ſe pertinere novis molitionibus oſtendere vult, tentatque animum Salomonis, ut ſi metu juvenili hoc ei conceſſiſſet, auderet mox majora: mulierem autem aggreditur, ſut regnandi ignaram, ita amoribus facilem. Notant *Kimchi* [9], & *Theodoretus* [10]. (3) Non poterat Laicus Princeps jure communi Pontificem deponere, itaque divina intervenit ordinatio, cujus exſecutor Salomon fuit, *Bellarminus* [11],

(1) XXII. 17. (2) *l. d. pag.* 66. (3) *Reſponſo ad Barclajum cap.* 15. (4) II. 22. (5) II. 15. (6) *Defenſ. Regiæ cap.* 4. (7) *in Notis.* (8) *de Jure regio Hebræorum pag.* 174. (9) *ad h. l. commentario.* (10) *Quæſt.* 7. (11) *lib.* 11. *de Pontif. Rom. cap.* 29.

Cornelius a Lapide[1], *Salianus*[2], *Bonfrerius*[3], *Menochius*[4], *Johan. Pineda*[5]. RESPONDEO: Rex poterat de jure communi Pontifices officio privare, etiam morte mulctare, ubi flagitium exilio vel morte dignum commiserant. Ex officio inquam; Rex enim Dominus erat, Sacerdos vero subditus & servus Regis, uti non semel prolatis *Scripturæ* tabulis firmavimus, & exempla ordinaria prostant, quod Reges dederint leges & præcepta Sacerdotibus, ne salus publica forte labefactaretur ipsorum vel incuriâ vel temeritate. 2. *Reg.*[6], 1. *Chron.*[7], 2.[8]. Verbo: Uti Rex puniebat Abjatharem, Adoniam, Joabum, Simei, non vero ut Propheta, cujus non est pœnam irrogare delinquentibus.

XI. Undecima: Pontificis major erat authoritas, quam Regis, ac Populus a Rege semper dissensit, assensitque Pontifici. RESPONDEO: Vel in ipso religionis negocio, de quo cumprimis nunc agitur, constat, Regum exempla & decreta plus valuisse, quam Pontificis, corrigendo, mutando, depravando quoque illam, adeoque jubendo quæ sacra palam valere deberent, *Judic.*[9], 1. *Reg.*[10], 2.[11]. Ubique mutatio religionis adscribitur Regi, velut factum ejus, itaque autoritate multum præpollebat Sacerdoti, qui nec factum infectum reddere propriis viribus poterat, nec impedire ne laberentur Sacra in pejus. Tanta fuit potestas Regis circa Sacra. Quæ porro inde eluceſcit, quod Reges potuerint dispensare circa Legis statuta, 2. *Chron.*[12]. Pontifex nihil tale potuit, sed nec unquam cum successu fecisse legitur.

XII. Cæterum eminentia Regis patet evidenter secundum Jura illa, quæ promulgabat Samuel, 1. *Samuel.*[13] Jura illa sunt majestatis, quæ Rex apud subditos suos exercere potest, & secundum quæ tenentur subditi excel-

(1) *in Commentario ad h.l. pag.* 109. (2) *Tom.* 3. *Annal. Vet. Testam. pag.* 745. (3) *Commentario ad Deuteronom. pag.* 973. (4) *in Hieropoliticis lib.* 11. *cap.* 5. (5) *lib.* VI. *de Rebus Salomonis cap.* 15. *num.* 5. (6) XXII. 25. (7) XXIII. 24. 25. (8) XVII. 19. *cap.* XXIX. 30. *cap.* XXXIV. 35. (9) XVII. 7. (10) XII. 26. *cap.* XVI. 31. (11) XVI. 10. (12) XXIX. 34. *cap.* XXX. 17. (13) VIII. 11.

cellentiam Regis perfecte venerari, ut dudum notavit *Rabbinus Maimonides*[1]. Quod enim *Wilhelm. Bucanus*[2], ſcribit, *abſolutam poteſtatem aliquam verbis illis non contineri*, erroneum eſt. Sane omnia ponuntur in manum Regis, adeoque negatur verbis expreſſis, quod Populus aliquid contra moliri debeat. Et qui cum *Bodino*[3], exponunt, *hic eſt mos Regis*, ſi de more, id eſt, conſuetudine ordinariâ intelligunt, nobiſcum ſentiunt. Fuit enim hoc Jus Regum omnium temporumque omnium, ita ut conſuetudine perpetua illud metiri poſſimus, quanquam nullæ de illo ſcriptæ ſint leges. Itaque *Chaldæus* vocem משפט exponit diſerte ſatis per נימוסא legem: *Hæc eſt ordinaria Lex Regis.* Sin de Tyrannorum auſis explicant, cum *Becano*[4], *Beſoldo*[5], *Vatablo* & *Johan. Druſio*[6], *Lamberto Danæo*[7], *Pezelio*[8], *Zeppero*[9], *Ulrico Hunnio*[10], *Buchanano*[11], *Huttero*[12], *Olao Laurelio*[13], *Piſcatore*[14], *Johan. Althuſio*[15], *Miltono*[16], *Balthaſ. Willio*[17], *Sixtino ab Amama*[18], *Adamo Conzeno*[19], *Johan. Werdenhagen*[20], graviter hallucinantur. Nihil enim ibi continetur, quod non poſſit Rex a ſubditis exigere bono titulo, quatenus ad aulæ magnificentiam ſuſtinendam, & res omnes domi forisque feliciter gerendas plurimæ impenſæ requirebantur. Et probatur ulterius: (1) Quia reſcripta debent interpretari ſecundum petita. Atqui Populus Regem petebat, non vero Tyrannum. (2) Quia talem Dominum ipſis impoſuit Dominus, qualem petebant,

(1) *in Halachoth Melachim cap.* 4. (2) *in Analyſi Theolog. Loco* 49. (3) *lib.* 1. *de Republ. cap.* 10. (4) *de Analogia cap.* 16. *quæſt.* 8. *& de Primatu ad Regem Angliæ pag.* 36. (5) *Diſſertat. de Majeſtate in genere pag.* 66. *& part.* 1. *Collegii Politici Diſput.* 2. *theſ.* 45. (6) *Notis ad h.l.* (7) *lib.* 111. *Politicæ Chriſtianæ pag.* 37. (8) *in Locis Theologicis pag.* 999. (9) *lib.* 1v. *de Legibus Moſaicis pag.* 8. (10) *Reſolutionibus ad Treutlerum Volum.* 1. *pag.* 73. (11) *in Dialogo de Jure Regis pag.* 70. (12) *in Locis Communibus pag.* 1039. (13) *in Syntagm. Theolog. pag.* 663. (14) *in Quæſt. ad h.l. num.* 104. (15) *in Politicis cap.* 18. *num.* 51. (16) *Defenſione pro Populo Anglicano pag.* 32. (17) *in Politicis pag.* 533. (18) *in Antibarbaro Biblico pag.* 616. (19) *lib.* v1. *Politicor. cap.* 2. *num.* 9. (20) *in Medullâ Politicâ lib.* 1. *quæſt.* 10. *cap.* 3.

bant, id est, Regem, quem Deus jussit ungi, quem reverenter Populus suscepit, quem David colebat ut Domini unctum, quem Deus juvit in rebus gerendis pro Populo, cum tamen hostis Tyrannorum esset, eosque Abimelechi & Absolomi exemplo male perderet: qui Davidi testis est, quod pascere debuerit Populum in fide & animi rectitudine, *Psalm.* [1] qui Regibus dedit sapientiam, ut Populo bene & recte præessent, 1. *Reg.* [2] *Psalm.* [3]. (3) Quia nihil dicit Samuel quod Rex non possit exigere pro Reipublicæ defensione, aut si denegetur a subditis, quomodo stabit Respublica? Non poterant recusare decimas, id est, tributa, non poterant Regem deserere cum prodiret in bellum, non poterant servitia denegare, quatenus aulæ reditus illis describerentur, nec poterant ministeria aulica detrectare, quia peregrinis & incircumcisis uti non licebat. (4) Quia in formam Legis redactum Jus & scripto comprehensum deponebatur apud Arcam fœderis, ut in testimonium esset posteris, 1. *Samuel.* [4]. Quæ manifesto iniqua erant, Legis Regiæ perpetuæ instar esse non poterant.

XIII. Vera sententia ergo est, quod sit Regum Jus, ut recte defendunt *Albericus Gentilis* [5], *Jacobus Rex* [6], *Barclajus* [7], *Wilhelmus Barret* [8], *Arminæus* [9], *D. Friedlib.* [10], *Thomas Hobbes* [11], *Johan. Cammannus* [12], *Claudius Salmasius* [13], *Philippus Henonius* [14], *Martinus Schokius* [15]. Contrarias rationes videbimus. Dicunt: (1) Jus regium descriptum a Mose *Deut.* [16] aliter se habet. RESPONDEO: Describitur ibi Rex secundum virtutes Theologicas & Ethicas, unde quidem nihil educi potest, quod cum

(1) LXXVIII. 70. 71. 72. (2) VII. 17. (3) LXXII. 1. 2. (4) X. 35. (5) *in Disputationibus regiis fol.* 18. (6) *in Operibus Anglicanis, libro (quem vocat) Jus liberæ Monarchiæ pag.* 184. (7) *lib.* 11. *de Potestate Regiâ pag.* 239. (8) *lib.* 11. *de Jure Regis cap.* 1. (9) *lib.* 11. *de Jure Majestatis cap.* 1. *num.* 4. (10) *Observationibus ad Vetus Testam. pag.* 332. (11) *de Cive cap.* 11. *num.* 6. (12) *de Jure Majestatis Disputat.* 2. *dist.* 11. (13) *in Defensione Regiâ pag.* 35. (14) *in Disputationibus Politicis pag.* 433. (15) *de Majestate.* (16) XVII. 16.

cum Politicâ gubernatione, uti a Samuele deſcribitur, pugnet. (2) Quia decimæ Levitis debitæ ad Regem deferuntur. RESPONDEO: Decimas a Levitis accipi ſolitas non intercepit Rex, ſed novas decimas impoſuit, unde aulæ magnificentia conſiſteret, ſecundum Jus Gentium omnium, *Matth.*[1], *Roman.*[2]. Non video quam ob cauſam adverſus *Maimonidem* pertendat Schickardus[3], *nullas Regi ſolutas fuiſſe decimas*. Aliter eſt in expreſſâ literâ. (3) Quia Achabus Rex non fecit impune, cum vineam Nabothi regio fiſco adjudicaret, 1. *Reg.*[4]. RESPONDEO: Erat vetitum in Lege, ne agri familiarum proprii, cum hæredes adhuc vivebant, extra cognationem devolverentur venditione, donatione, oppignoratione in poteſtatem alterius, *Num.*[5], *Deut.*[6], videlicet, ne de nomine exirent familiæ ſuæ. Si Naboth retinere volebat vineam ſuam, erat obſervantia erga leges: cum vero Achab ſibi rapiebat per homicidium & calumniam, erat factum tyrannicum, quatenus ad privatam libidinem etiam inſerviebant iſta, non vero utilitatis publicæ intererat in rerum omnium copiâ, ſpoliare ac præterea occidere civem, adeoque jure illo, quod Samuel deſcripſit, tueri ſe non poterat. (4) Quia futurum erat, ut Populus oppreſſus clamaret ad Deum, nec exaudiretur: atqui contra Magiſtratum bonum nemo inſurgit precibus. RESPONDEO: Et hîc poteſtas jure conceſſa, Populo tamen futura moleſta, quando facile eſt Regi, licentius uti poteſtate ſuâ in adducendis ſubſidiis publicis, quod facere non poterant Judices hactenus, tum quod hi aulam nullam habebant, tum quod milites præſidiarios non alebant. Hinc querelæ poterant oboriri, ſed quod placuerat ſemel deinde non debebat diſplicere. (5) Quia Samuel multis agit, ut Populum revocet a propoſito. RESPONDEO: Non tam ideo quod peterent injuſta, fuerat enim permiſſum in Lege, ut cum vellent, poſt finitum erroris tempus, & Chanaanis

(1) XXII. 21. (2) XIII. 7. (3) *de J. Regio Hebræorum p.* 105. (4) XXI. 19. (5) XXXVI. 7. (6) XIV. 25.

nis terram in poteſtatem redactam (*Deut.* [1]) Regem è civibus electum præficerent ſibi : ſed quod cuperent oneroſa, & quod libertatem avitam cum ſubjectione rigoroſâ, tantum ut vicinos Populos exemplo imitarentur, permutare vellent. Hoc eſt quod *Rabbinus Levi Ben-Gerſon* [2], vocat eleganter התבלית הרע *clauſulam malam*, videlicet, in eventu. (6) Quia Samuel increpat Populum Dei nomine, ejuſque iram comminatur. RESPONDEO : Hoc ideo quod Regem poſtularent impatientiâ aliquâ commoti, & quod ſibi viderentur melius res ſuas adminiſtrare ſe velle Gentium more, quam ſi Deus pergeret eo, quod cœperat, modo, uti *ſupra* [3] eſt.

CAP. XIV.

De Conſecratione Principum corollarium.

I. UT ſatis intelligantur, quæ *ſupra* [4] retulimus de Conſecratione Principum, adſcribemus, verba *Herodianis*, quomodo Latine expreſſit Cl. *Boeclerus*, & deinceps addemus quæ in exponendis quibuſdam obſcuris requiri forte poſſunt. Cæterum *Herodianus* ita habet : *Mos*, inquit *Romanis conſecrare Imperatores, qui ſuperſtitibus filiis vel ſucceſſoribus moriuntur quique eo honore ſunt affecti, relati dicuntur inter Divos. Eſt autem totâ Urbe quaſi luctus quidam feſtæ celebritati promiſcuus, quippe functum vita corpus ritu hominum ſumptuoſo funere ſepeliunt. Sed ceream imaginem defuncto quam ſimillimam fingunt, eamque in Regiæ veſtibulo proponunt ſupra eburneum lectum maximum atque ſublimem veſtibus inſtratum aureis. Et quidem imago illa ad ægroti ſpeciem pallida recumbit : Circa lectum vero utrinque magnam partem diei ſedent, a læva quidem, Senatus omnis veſtibus atris amictus, a dextera vero matronæ, quas virorum aut parentum dignitas honeſtat, harumque nulla vel aurum geſtans, vel ornata monilibus conſpicitur, ſed veſtibus albis exilibus induta mœrentium ſpeciem præbent. Hæc ita per ſeptem dies continuos faciunt, Medicis ad lectum quotidie accedentibus, inſpectumque velut ægrum deterius ſe habere ſubinde pronunciantibus. Dein ubi jam viſus obiiſſe diem lectum humeris attollunt, Equeſtris Senatoriique Ordinis nobiliſſimi ac lectiſſimi Juvenes, perque viam Sacram in vetus*

(1) XVI. 15. (2) *Commentar. ad lib.* 1. *Samuel. cap.* VIII. (3) *diſt.* 1. (4) *cap.* XII. *diſt.* 17. (5) *lib.* IV. *Hiſtoriar. cap.* 2.

vetus Forum deferunt, ubi Magiſtratus Romani deponere Imperium conſueverant; Utrinque autem gradus quidam ſunt ad ſcalarum ſimilitudinem exſtructi, in quibus altera ex parte puerorum chorus eſt è nobiliſſimis atque patritiis; altera fœminarum illuſtrium hymnos in defunctum pæanaſque canentium verendo ac lamentabili carmine emodulatos. Quibus peractis tollunt iterum lectum, atque extra Urbem perferunt in Martium campum, ubi qua latiſſime campus patet, ſuggeſtus quidam ſpecie quadrangula lateribus æquis aſſurgit, nulla præterquam lignorum ingentium materia compactus in tabernaculi formam. Id quidem interius totum eſt aridis fomitibus oppletum, extra autem intextis auro ſtragulis atque eboreis ſignis variiſque picturis exornatum. Infra vero alterum, minuſculum quidem poſitum eſt, ſed formâ & ornatu perſimile portis januiſque patentibus. Tertiumque item & quartum ſemper ſuperiore contractius: ac deinceps alia, donec ad extremum, quod eſt omnium breviſſimum, perveniatur. Poſſis ejus ædificii formam comparare turribus his, quæ portubus imminentes, noctu igne prælato naves in tutas ſtationes dirigunt: Pharos vulgo appellant. Igitur lecto in ſecundum tabernaculum ſublato aromata & ſuffimenta omnis generis, fructus herbaſque ſuccos omnes odoratos conquirunt atque acervatim effundunt. Quippe neque Gens neque Civitas, neque quo honore ullo aut dignitate præcellat, quin certatim pro ſe quiſque ſuprema illa munera Principis honori deferant. Ubi vero ingens aromatum acervus aggeſtus eſt, ac locus omnis expletus, tum circa ædificium illud adequitant, univerſis Equeſtris Ordinis certâ quâdam lege ac recurſu, motuque pyrrhichio numeroque, in orbem decurrentibus. Currus item decenti ſimiliter ordine circumaguntur, inſeſſi purpuratis rectoribus, perſonas ferant, quæ habet imagines Ducum omnium Romanorum Principumque illuſtrium. Quæ ubi celebrata ſunt, facem capit Imperii ſucceſſor, eamque tabernaculo admovet. Tum cæteri omnes undique ignem ſubjiciunt: cunctaque illico fomitibus illis aridis odoramentiſque referta, igni valido corripiuntur. Mox ab extremo minimoque tabernaculo tanquam è faſtigio quodam ſimul cum ſubjecto igni aſcenſura in ætherem aquila dimittitur, quæ in cœlum creditur ipſam Principis animam deferre, ac jam ex illo una cum cæteris Numinibus Imperator colitur.

II. Hæc porro notis illuſtrabimus. Sic vero ille: *Mos Romanis conſecrare Imperatores, qui ſuperſtitibus filiis vel ſucceſſoribus moriuntur, quique eo honore ſunt affecti, relati dicuntur inter Divos.*] Ita Auguſtus Julium, Tiberius Auguſtum, Nero Claudium, Titus Veſpaſianum, Domitianus Titum, Trajanus Nervam, Hadrianus Trajanum, Pius Hadrianum, Marcus Pium, Commodus Marcum conſecraverunt, omnes aut

filii

filii aut deſtinati ſucceſſores fuerunt. Et hæc improba ab animo nimis facili profecta indigetatio procudit Deos omnes orbemque implevit ſuperſtitioſis cultibus, *Sapient.* 1. Reprehendit Kirchmannus[2]: *Lapſus memoriæ eſt in Herodiano, quando Imperatores aliqui conſecrati fuerunt, opibus exuti & filiorum nullorum parentes, demum quoque uxores Imperatorum inter Divas relatæ ſunt, quomodo Liviam Auguſti uxorem conſecravit Claudius, effigiem dicando, Veſtales inſtituendo, currum in pompa circenſi decernendo, teſte Suetonio lib. 4. cap.* 11. Hæc ille. Verum exempla ſuperius allata, quorum ſimilia paſſim exſtant plurima, (& ordine referuntur apud *Onufrium Panvinium*[3]) defendunt *Herodianum*, adeoque certum eſt primam conſecrationem fuiſſe virorum Principum, ſive hanc filiis ſuis, ſive deberent ſucceſſoribus imputare. De uxoribus Principum ſerius agi cœpit & quoque rarius, quando Nero etiam conſecravit Poppæam, *Tacitus*[4], & Antoninus Philoſophus Fauſtinam ſuam, *Capitolinus*[5]. Rarius, uti dictum, contigerunt iſta, & per aliquam velut imitationem, unde mos ipſe non poterat immutari, de quo pronunciandum eſt ſecundum primam originem ejuſque conſuetudinem communiorem.

III. *Eſt autem totâ Urbe quaſi luctus quidam promiſcuus feſtæ celebritati, quippe functum vitâ corpus ritu hominum ſumptuoſo funere ſepeliunt.*] *Dion*[6]. Οὐκ ἔστ᾽ ἀδὲ πενθεῖν αὐτὸν ἡμῖν πρέπει, ἀλλὰ τὴν ψυχὴν, ὡς τῷ Θεῷ ἀεὶ ἀγάλλειν. Rationem profert ejus inerrantis mœrori lætitiæ, ſed quæ nimium ſubtilis eſt. Verius dicendo, luctus erat a defuncto Principe, ſed temperatus cum lætitia publica, quando novus Princeps adferebat gaudia. De luctu ſolenni in funeribus dicemus *infra*[7]. Quod ait, *ſumptuoſo funere ſepeliunt*, intelligi debet è communi lege ac more, quando corpora primo ſunt exuſta, poſt reliquiæ, cineres videlicet & oſſa, vino aliiſque odoribus perſperſa atque irrigata in monumentum condebantur, *infra*[8]. Namque corpora Principum perinde, ut aliorum de vulgo, ſunt cremata, deinde humata, *Suetonius*[9], *Tacitus*[10]. Expreſſe vero *ſumptuoſo*, quando in Principum funeribus veſtimenta funeralia erant, pretii maximi, quamobrem *decretum fuiſſe Claudio funus Cenſorium*, ait *Tacitus*[11]. *Cenſorium*, id eſt, honoratiſſimum, & in quo omnia

(1) XIV. 15. (2) *lib.* IV. *de Funeribus Romanor. pag.* 642. (3) *Commentariis ad lib.* II. *Faſtorum pag.* 249. (4) *lib.* XVI. *Annal. cap.* 21. (5) *in Vitâ ejus pag.* 26. (6) *lib.* LVI. (7) *lib.* IV. *cap.* 6. *diſt.* 4. (8) *lib.* IV. *cap.* 6. *diſt.* 9. 13. (9) *lib.* I. *cap.* 84. *lib.* II. *cap.* 100. *lib.* III. *cap.* 75. *lib.* IV. *cap.* 59. (10) *lib.* I. *Annal. cap.* 8. (11) *lib.* XIII. *Annal. cap.* 13.

omnia purpurea, veſtes ſtragulaque fuerunt, ut exponit *Lipſius* [1]. De Pertinace Cæſare eodem modo Capitolinus [2]: *Funus imaginarium ei & cenſorium ductum eſt.* Nomine videlicet ſeculi veteris, quia temporibus Reipublicæ liberæ Cenſura omnium dignitatum maxima & præſtantiſſima habebatur. De Neronis exſequiis alia Suetonius [3]: *Funeratus eſt impenſâ ducentorum millium ſtragulis albis auro intextis.* Hæc ſtragula una cum cadavere flammis abſumebantur. Nam quod hic monet *Beroaldus* [4], videlicet intelligi ſtragula ex lino incorruptibili confecta, quæ cadaveribus Regum injecta non quidem vetarent, quo minus exurerentur cadavera, interim hos cineres vetarent permiſceri cum cineribus lignorum, hæc inquam ſtragula forte apud Indorum Reges uſitata fuerint, uti ex fabuloſis relationibus commemorat *Plinius*, cæterum apud Romanos veteres ac novos haud erant. Et cur fuiſſent? permiſcebantur ſane cineres, quia non curabatur, & cum reliquias legebant, non quidem omnes cadaveris cineres conquirebant anxii, ſed reſiduas oſſium particulas indebant urnæ. Subinde quidem pro affectu in defunctos aliquantulum cineris adſperſêre: verum illud & oppido exiguum erat, & cum aromatum cineribus permiſtum. *Herodianus* [5], ubi deſcribit Severi Cæſaris exſequias, τὸ μὲν σωμάτιον πυρὶ παραδόντες, τὴν τε κόνιν σὺν τοῖς ἀρώμασι εἰς κάλπιν ἀλαβάστρου ἐμβαλόντες, ἀπεκόμιζον εἰς τὴν Ῥώμην, εἰς τὰ βασίλεια ἱερὰ μνήματα ἀποθησόμενοι. Teſtantur hoc urnæ, quæ non ita magnæ ſunt, ac præter oſſicula vix manipulum cineris colliquati habent. De qua re etiam dicemus *infra* [6].

IV. *Sed ceream imaginem defuncto quam ſimillimam fingunt, eamque in regiæ veſtibulo proponunt ſupra eburneum lectum maximum atque ſublimem, veſtibus inſtratum aureis.*] Quod de imagine cerea dicit, eſt apud *Capitolinum* verbis ſupra allatis *funus imaginarium*, & de tali imagine Cæſaris, quam Antonius oſtentavit Populo in funere Principis ejus, memorat quoque *Appianus* [7], *Tacitus* [8] de Germanici funere: *Ubi illa veterum inſtituta; propoſitam toro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina;* Quod in veſtibulo regiæ poſuerunt, è communi lege erat, de quâ eſt *infra* [9]. *Suetonius* in exſequiis Auguſti [10]: *A Bovillis equeſter ordo ſuſcepit, urbique intulit, atque in veſtibulo domus collocavit.* Nec aliter eſt de cæteris. Lecto imponebantur mortui, *infra* [11]. Eburneum vero Principes viri acceperunt, quan-

(1) *Notis ad h. l. pag.* 194. (2) *in Vitâ ejus cap.* 15. (3) *lib.* VI. *cap.* 50. (4) *in Enarrationibus fol.* 297. (5) *lib.* III. (6) *lib.* IV. *c.* 6. *num.* 13. (7) *lib.* V. *Bellor. civil.* (8) *lib.* II. (9) *lib.* IV. *cap.* 6. *diſt.* 3. (10) *lib.* II. *cap.* 100. (11) *lib.* IV. *cap.* 6. *diſt.* 3.

quando precium ebori olim ingens erat, unde Conſulis ſella eburnea, *infra* [1]. Lectus eburneus auro & purpura ſtratus, eſt quoque in funere Julii Cæſaris apud *Suetonium* [2], & in funere Auguſti apud *Dionem Caſſium* [3]. Veſtibus inſternebant aureis, partim quod communiter ita fieri ſolebat, partim ob dignitatem, quia aureæ erant, ut paulo antea de Neronis funere diximus, ad augendos ſumptus.

V. *Et quidem imago illa ad agroti ſpeciem pallida recumbit: circa lectum vero utrinque magnam partem diei ſedent, a læva quidem Senatus omnis veſtibus atris amictus, a dextera vero matronæ, quas virorum aut parentum dignitas honeſtat, harumque nulla vel aurum geſtans, vel ornata monilibus conſpicitur, ſed veſtibus atris exilibus induta mœrentium ſpeciem præbent.*] Omnia illa fere è lege communi exſequiarum, tantum quod dignior lugentium chorus & conſeſſus. Veſtes atræ in luctu apud viros erant, & veſtes albæ apud mulieres, eæque non admodum precioſæ, verum ſatis viles, uti dicemus *infra* [4].

VI. *Hæc ita per ſeptem dies continuos faciunt, Medicis ad lectum quotidie accedentibus, inſpectumque velut agrum deteriusſeſe habere ſubinde pronunciantibus.*] Nobilis φαντασία, ſed Magnatibus propria, quando & hodie defunctis in Galliâ Regibus non diſſimile aliquid præſtatur, diebus quadraginta ab exceſſu miniſtrantibus apud cereas horum imagines aulicis, epulas apponentibus, Medicorum aditum requirentibus, perinde quaſi viverent aut ſaltem morbo affecti, nondum mortui eſſent, *Thomas Dempſterus* [5], *Henricus Savilius* [6].

VII. *Deinde ubi jam viſus obiiſſe diem, lectum humeris attollunt, Equeſtris Senatoriique Ordinis nobiliſſimi ac lectiſſimi juvenes, perque viam Sacram in vetus Forum deferunt, ubi Magiſtratus Romani deponere imperium conſueverant.*] Lectus ebore exutus, (quod in campo deponebatur) cum reliquis veſtibus efferebatur & una comburebatur, *infra* 7. Senatorii Ordinis viri ſuccollabant, quod poſt Syllæ exſequias, contigit deinde in exſequiis Julii Cæſaris *Suetonius* [8], porro quoque in funere Auguſti, de quo Suetonius: *A Bovillis Equeſter Ordo ſuſcepit Urbique intulit.* Et paulo poſt: *Senatorum humeris delatus in campum crematuſque.* Et deinde: *Reliquias legerunt primores Equeſtris Ordinis.* Via Sacra erat, quæ a curia veteri (id eſt, Pompeji, quam poſt cædem Julii Cæſaris obſtruxerant Romani,

(1) *lib.* II. *cap.* 3. *diſt.* 6. (2) *lib.* I. *cap.* 84. (3) *lib.* LVI. *Hiſtor.* (4) *lib.* IV. *cap.* 6. *diſt.* 5. (5) *Notis ad lib.* III. *Antiquitatum Roſini pag.* 479. (6) *Notis ad lib.* I. *Taciti pag.* 56. (7) *lib.* IV. *cap.* 6. *num.* 3. (8) *lib.* I. *cap.* 84.

mani, teſte *Suetonio* 1) incipiebat & ad Capitolium pertingebat. *Pro Roſtris ſub veteribus a Druſo Tiberii filio laudatus eſt Auguſtus*, ait *Suetonius* 2. Hæc erat ad viam Sacram, & quod in Capitolio deponerent Magiſtratus imperium ſuum veteri ævo, diximus *ſupra* 3. Horatius 4:

Videſne Sacram metiente te viam
Cum bis ter ulnarum togâ.

Et 5:

Intactus aut Britannus ut deſcenderet
Sacra catenatus via.

Viam Sacram depingit *Joban. Baptiſta de Cavalleriis* 6.

VIII. *Utrinque autem gradus quidam ſunt ad ſcalarum ſimilitudinem exſtructi, in quibus alterâ ex parte puerorum chorus eſt è nobiliſſimis atque patriciis, altera fœminarum illuſtrium hymnos in defunctum pæanaſque canentium verendo ac lamentabili carmine emodulatos.*] De puerorum & virginum choro idem fuit in Auguſti exſequiis: *Canentibus neniam principum liberis utriuſque ſexus*, ait *Suetonius* 7. Quia Imperator erat pater patriæ & communis omnium parens: nam ex ritu neniam canebant ſolum qui propinqui mortuis erant, vel eorum loco præficæ, ut dicemus *infra* 8. Aderant ſiticines, quos pingit *Jacobus Laurus*, & conteſtatur Seneca 9: *Erat omnium formoſiſſimum* (funus Claudii) *& impenſâ cura plenum, ut ſcires Deum efferri, tibicinum, cornicinum, omniſque generis æneatorum tanta turba, tantus conventus, ut etiam Claudius audire poſſet.*

IX. *Quibus peractis tollunt iterum lectum, atque extra Urbem perferunt in campum Martium, ubi qua latiſſime campus patet, ſuggeſtus quidam ſpecie quadrangula lateribus æquis aſſurgit, nulla præterquam lignorum ingentium materia compactus in tabernaculi formam.*] Poſterioris ævi omnino inventum artificioſum erat, nam in Cæſarum primorum uſtrinis nihil tale occurrit. Tantum de Julio refert Suetonius 10: *Funere indicto rogus exſtructus eſt in campo Martio juxta Juliæ tumulum, & pro Roſtris aurata Ædes ad ſimulachrum Templi Veneris Genetricis collocata, intraque lectus eburneus, auro & purpurâ ſtratus.* Notavimus, quæ huc pertinent, *ſupra* 11, ubi videri poſſunt. *Ædem* ſcilicet vocat tabernaculum illud in forma Templi exſtructum, ut ibi collocaretur Cæſaris corpus, donec laudatio peragebatur. In

(1) *lib.* 1. *cap.* 88. (2) *l. d.* (3) *cap.* VIII. *diſt.* 6. (4) *lib.* V. *Carm.* 4. (5) *ibidem Carm.* 7. (6) *lib.* II. *Antiquitat. Romanar. Tab.* 23. (7) *l. d.* (8) *lib.* IV. *cap.* 6. *diſt.* 4. (9) *in Ludo Claudii conſecrati pag.* 512. *Operum.* (10) *lib.* 1. *cap.* 84. (11) *cap.* XII. *diſt.* 17.

Foro laudabantur, ut de exſequiis Auguſti refert *Suetonius*. Cæſar tamen in Foro ipſo crematus eſt, non in exſtructo ei rogo, quod per Populi tumultum evenit.

X. *Id quidem interius totum eſt aridis fomitibus oppletum, extra autem intectis auro ſtragulis atque eboreis ſignis variiſque picturis exornatum. Infra vero alterum, minuſculum quidem poſitum eſt, ſed forma & ornata perſimile portis januiſque patentibus. Tertiumque item & quartum ſemper ſuperiore contractius, ac deinceps alia, donec ad extremum, quod eſt omnium breviſſimum, perveniatur.*] Ejuſce tabernaculi pictura eſt apud *Jacobum Laurum* [2]. Tum quoque in Numiſmatis Antonini Cæſaris apud *Antonium Auguſtinum* [3]. Fauſtinæ majoris Auguſtæ apud eundem [4], Aurelii Cæſaris ibidem [5], Fauſtinæ minoris Auguſtæ ibidem [6], Lucillæ Auguſtæ ibidem [7].

XI. *Poſſis ejus ædificii formam comparare turribus his, quæ portubus imminentes, noctu igne prælato, navem in tutas ſtationes dirigunt: Pharos vulgo appellant.*] Opus Ptolomæi Philadelphi Regis in Ægypto, de quo *Strabo*, *Plinius*, *Pomponius Mela*, *Hirtius* [8], locis plurimis.

XII. *Igitur lecto in ſecundum tabernaculum ſublato aromata & ſuffimenta omnis generis, fructus, herbaſque ſuccos omnes odoratos conquirunt atque acervatim effundant. Quippe neque gens neque civitas; neque qui honore ullo aut dignitate præcellat, quin certatim pro ſe quiſque ſuprema illa munera Principis honori deferant.*] De odoribus & aromatis effuſis in rogum apud Græcos & Romanos, dicemus *infra* [9].

XIII. *Ubi vero ingens aromatum acervus aggeſtus eſt, ac locus omnis expletus, tum circa ædificium illud adequitant, univerſus Equeſtris Ordinis certa quadam lege ac receſſu, motuque pyrrhichio numeroque in orbem decurrentibus.*] Equi ſingulatores, de quibus agetur *infra* [10]. A Græcis eſt, de quibus *Iſocrates* [11]: τιμῶντα σε τὸ τάφον τὸν πατρὸς οὐ μόνον τῷ πλήθει καὶ τῷ κάλλει τῶν ἐπιφερομένων, ἀλλὰ καὶ χορεῖς, καὶ μουσικὴν, καὶ γυμνικοῖς ἀγῶσι, ἔτι δὲ πρὸς τούτοις ἱππῶν τε καὶ τριηρῶν ἀμίλλαις.

XIV. *Currus item decenti ſimiliter ordine circumaguntur, inſeſſi purpuratis rectoribus, qui perſonas ferant, quæ habent imagines Ducum omnium Romanorum, Principumque illuſtrium.*] Currus quadrigas pingit *Jacobus Laurus* [12], in quo manifeſtum erro-

(1) *lib.* 11. *cap.* 100. (2) *part.* 2. *Antiquitat. Romanar. Tab.* 12. (3) *Tab.* 42. *num.* 22. (4) *Tab.* 44. *num.* 17. (5) *Tab.* 47. *num.* 23. (6) *Tab.* 49. *num.* 18. 19. (7) *Tab.* 50. *num.* 16. (8) *de Bello Alexandrino.* (9) *lib.* IV. *cap.* 6. *num.* 9. (10) *lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 5. (11) *in Euagorâ.* (12) *l. d.*

errorem committit. Nam in honorem Deorum Manium agitabantur trigæ, ut dicemus *infra* [1], & convincunt meliores picturæ, quas adfert *Onufrius Panvinius* [2]. Quod præferebantur larvæ, id eſt, imagines Ducum & Principum, eſt a communi lege & more, ut docebimus *infra* [3], & confer quæ docebimus *porro* [4]. Huc pertinet illud Flavii Vopiſci [5]: *Et dignitatem Probo derogent, quem Imperatores noſtri prudenter & conſecrandum vultibus, ornandum templis, & celebrandum ludis Circenſibus judicaverunt. Conſecrandum vultibus*, id eſt, ut ejus imago præferatur inter alias, quæ majorum ſunt, pro funeris Principum deductione. Nam hæ imagines erant facies virorum cum humeris, αἱ προτομαὶ, atque præterea ad militaria ſigna appendebantur, ut dicemus *infra* [6], & confer *Salmaſii Notas* [7]. Malorum Principum imagines dejiciebantur, ſi forte viventes ſibi poſuiſſent aliquas, neque ratio habebatur earum in exſequiarum proceſſu.

XV. *Quæ ubi celebrata ſunt, facem capit imperii ſucceſſor, eamque tabernaculo admovet. Tum cæteri omnes undique ignem ſubjiciunt, cunctaque illico fomitibus illis aridis odoramentiſque referta, igne valido corripiuntur.*] Imperii ſucceſſor accendebat primus, tanquam defuncti proximus, nam & alias hoc uſu venit, ut propinqui inflammarent rogos averſa facie facibus ſubjectis, uti dicemus *infra* [8].

XVI. *Mox ab extremo minimoque tabernaculo tanquam è faſtigio quodam ſimul cum ſubjecto igne aſcenſura in ætherem Aquila dimittitur, quæ in cœlum creditur ipſam Principis animam deferre.*] * Aquila Regina avium & Jovis miniſtra credebatur Heroum ac Diis velut genitorum animas in cœleſtes ſedes inferre, ac ſideribus imponere. Ac in Julii funere hanc animarum tranſlationem credulum vulgus perſuaſit ſibi & omnibus propter viſum cometam, ut diximus *ſupra* [9]. De Auguſti anima Suetonius [10]: *Nec defuit vir Prætorius, qui ſe effigiem cremati euntem in cœlum vidiſſe juraſſet.* Virum illum Prætorium nomine proprio Numerium Atticum vocat *Dion.* [11]: *Contemplator cœlitis in cœlum recepti*, ait *Tertullianus* [12]. Nummos in conſecratione Principum virorum procudebant cum appoſitâ A-

* Perbelle viſui ſeſe offert hæc ſolennitas Pagina ſequenti 308. quam ex Romæ antiquæ deſcriptione mutuavimus, & hic loci poni curavimus.

(1) *lib.* 11. *cap.* 6. *diſt.* 5. (2) *lib.* 1. *de Ludis Circenſibus fol.* 15. (3) *lib.* XI. *cap.* 1. *diſt.* 5. (4) *lib.* IV. *cap.* 6. *diſt.* 6. (5) *in Vita Probi cap.* 23. (6) *lib.* XI. *cap.* 1. *diſt.* 6. (7) *in excerptis Schrevelii ad h. l. pag.* 949. (8) *lib.* IV. *cap.* 6 *diſt* 9. (9) *cap.* XII. *diſt.* 10. (10) *lib.* 11. *cap.* 100. (11) *lib.* LVI. *Hiſtor.* (12 *Adv. Nat' lib.* 1. *cap.* 10.



A Suggestus aromatum.

B Stragulæ, auro intertextæ, variisque picturis exornatæ.

C Imagines eburneæ.

D Ædificium quadrangulum in Tabernaculi formam exstructum, aridis fomitibus oppletum.

E Lectulus.

F Equestris ordo, circa illud ædificium equo & curru adequitans.

G Imperii Successor facem ardentem tabernaculo admovens.

H Aquila è fastigio dimissa animam Principis in cœlum (uti vulgus credit) deferens.

I Plebs adulatoria.

quilâ, quomodo in conſecratione Principum fœminarum ſignabantur Nummi cum appoſita imagine Pavonis ocellatam caudam expandentis, *Abrah. Gorlæus* 1, & *Antonius Auguſtinus* locis productis *ſupra* 2. Hoc *Artemidorus* 3 dixit, ὀχεῖσθαι αἰετῷ. Et *Dionis* verba ſunt 4: καὶ τότε δέδας ἑκατόνταρχοι λαβόντες, ὑφῆψαν τὴν πυρὰν, καὶ ἡ μὲν ἀνηλίσκετο, ἀετὸς δέ τις ἐξ αὐτῆς ἀφεθεὶς ἀνέπτατο, ὡς καὶ δὴ τὴν ψυχὴν αὐτῆς εἰς τὸν ἀέρα ἀναφέρων.

XVII. *Ac jam ex illo una cum cæteris numinibus Imperator colitur.*] Templis & effigie Numinum per Flamines & Sacerdotes, quæ omnia prolixe deſcripſimus *ſupra* 5. Nec tantum per Flamines, ſed quoque Flaminicas. *Inſcriptio* Brixienſis: P. POSTHUMIÆ. P. F. PAULLÆ. AVIDIÆ. PROCULÆ. RUTILIÆ. PROBÆ. SACERD. D. JULII. AUGUST. D. D. Et alia Nemauſenſis: D. M. DOMICIÆ. GRACENIÆ. FLAMINIC. AUG. V. S. P. Et ibidem: D. M. SAMMIÆ. Q. F. FLAMIN. AUG. NEMAUS. C. TERENTIUS. APRONIANUS. AMITÆ. OPTIMÆ. ET. PIIS. *Gruterus* 6. Exemplum hujus rei a Liviâ, quæ miro exemplo Sacerdos viri ſui è decreto Senatus. Vellejus 7: *Livia Romanorum eminentiſſima, quam poſtea conjugem Auguſti vidimus, quam tranſgreſſi ad Deos Sacerdotem ac filiam,* (& *Jacobus Schegkius* 8. Eo pertinent iſta Ovidii 9:

Nec pietas ignota mea eſt, videt hoſpita terra,
In noſtrâ ſacrum Cæſaris eſſe domo.
Stant pariter natuſque pius, conjuxque Sacerdos,
Numina jam facto non leviora Deo.

Dicit, ſe quamvis abſentem, colere tamen Auguſtum velut Deum in larario ſuo, atque illi per imitationem aliquam Liviam & Tiberium addere, quibus non minus quam patri ac marito Cæſari defuncto offerat thura in arâ privatâ. *Natus pius* eſt Tiberius, *conjux Sacerdos* Livia. Inde ſequitur:

His ego do toties cum thure precantia verba,
Eoo quoties ſurgit ab orbe dies.

Sed parum hæc illi proderat adulatio, quando ab exilio nunquam liberatus apud Barbaros obiit. Cæſarum Flaminicas, quæ Auguſtarum conſecratarum aris templiſque præerant, memorant *Inſcriptiones.* Italica: CURTILIÆ. C. F. PRISCILLÆ SACERDOTI. DIVÆ. AUGUSTÆ. ORDO. VI. VIRAL. Nec non alia Aquinenſis: DENTRIÆ. L. F. POLLÆ. SACERDOTI.

(1) *in Theſauro Numiſmatum Tab.* 20. *num.* 4. (2) *cap.* VII. *diſt.* 2. (3) *lib* II. *Oniroctiticorum cap.* 10. (4) *lib.* LVI. *Hiſtor.* (5) *cap.* XII. *diſt.* 17. (6) *in Volumine pag.* 320. *num.* 10. *pag.* 321. *num.* 5. 9. (7) *lib.* II. *cap.* 75. (8) *Notis ad h. l. pag.* 397. (9) *lib.* IV. *de Ponto eleg.* 9.

DIVÆ. AUGUSTÆ. POST. MORTEM. D. D. Et Brixienſis: ÆMILIÆ. C. F. ÆQUÆ. SACERD. DIVÆ. PLOTINÆ. COLL. CENT. TITULO. USA. Et Campanica: SÆNIÆ. CN. FIL. BALBILLÆ. SACERDOTI. DIVÆ. FAUSTINÆ. DECURIONES. ÆRE. COLLATO. OB. MERITA. EJUS. *Gruterus* [1].

XVIII. De hac indigetatione ita loquitur Tertullianus [2]: *Non ſuffecerat vectigalium Deorum contumelia, de contemptu ſcilicet æſtimanda, nec contenti eſtis Deis honorem non habuiſſe, niſi etiam quæcunque habetis, deprecietis aliquâ indignitate. Quid enim omnino ad honorandos eos facitis, quod non etiam mortuis veſtris ex æquo præbeatis? Exſtruitis Deis templa, exſtruitis aras Deis, æque mortuis aras, eiſdem titulis ſuperſcribitis literas eaſdem: ſtatuis inducitis formas, ut cuique ars aut negocium, aut ætas fuit: Senex de Saturno, imberbis de Apolline, virgo de Dianâ figuratur, & miles in Marte, & in Vulcano faber ferri conſecratur. Nihil itaque mirum, ſi hoſtias eaſdem mortuis, quas & Deis cæditis, eoſdemque odores excrematis. Quis iſtam contumeliam excuſet quæ ut aut mortuos cum Deis deputet? Regibus quidem etiam ſacerdotia adſcripta ſunt, ſacrique apparatus, ut thenſæ & currus & ſoliſternia & lectiſternia, lætitiæ & ludi. Plane quoniam illis cœlum patet, hoc quoque non ſine contumeliâ Deorum. Primo quidem, quod non decuerit alios eis adnumerari, quibus datum ſit, poſt mortem Deos fieri. Secundum, quod tam libere atque manifeſte coram populo non pejeraret contemplator Cœlitis in cœlum recepti, niſi contemneret quos dejeraret, tam ipſe quam ei, qui ei pejerare permittunt.*

XIX. Ad quæ verba cumprimis notamus ſequentia. *Mortuis veſtris ex æquo præbeatis.*] Regibus cumprimis, ut vulgus deinceps credat, fuiſſe illos è Cœlitum numero, ac veniſſe cœlitus animos, carnemque aſſumſiſſe hominum bono.

Senex deSaturno.] De qua re prolixe ſcripſimus *ſupra* [3].

Regibus quidem etiam.] Ita vocat Imperatores, qui illo ævo regiâ cum poteſtate agebant omnia domi foriſque.

Sacerdotia adſcripta ſunt.] Sodalium inde numerus ingens exſtitit, quos produximus *ſupra* [4].

Sacriſque apparatus ut thenſæ.] Thenſæ ſunt vehicula ſacra, quibus portabantur Deorum & Indigetum ſimulachra cum pompa ordinum & officiorum, in ludis Circenſibus imprimis, qui Numinum honoribus conſecrati erant, uti dicemus *infra* [5]. Thenſa ejuſmodi ſive carpentum mulare, in ludis Circen-

(1) *in Volumine pag.* 320. *num.* 12. *pag.* 321. *num.* 4. *pag.* 322. *num.* 1. 2. 5. (2) *lib.* 1. *adverſus Nationes cap.* 12. (3) *cap.* VII. (4) *cap.* XII. *diſt.* 17. (5) *lib.* II. *c.* 6. *num.* 1.

cenſibus traducta videtur in Nummis Fauſtinæ, in alterâ ejuſdem facie eſt Fauſtina cum patera & ſceptro, ut Dea, *Antonius Auguſtinus*[1].

Et currus.] Notat currus ſacros illos, de quibus nunc diximus. Exempla copioſa proſtant. Claudius Cæſar effigiem Liviæ templo intulit, ac ſacra illi fieri a Veſtalibus juſſit, in Circenſi pompâ currum elephantorum, quâ veheretur ipſa, ut Auguſti ſimulachrum, decrevit, *Suetonius*[2], *Dion Caſſius*[3]. Et porro idem Claudius parentibus inferias publicas, patri quoque Circenſes annuos natali die, matri carpentum, quod per Circum duceretur, conſecravit, *Suetonius*[4]. Currus elephantorum Auguſto poſt mortem dicatus eſt apud *Antonium Auguſtinum*[5]. Currus Agrippinæ (quem Caligula Cæſar inſtituit, docente *Suetonio*[6]) eſt ibidem[7]. Quadriga elephantorum D. Claudio & Agrippinæ decreta, eſt ibidem[8]. Quadriga elephantorum Marco Aurelio Philoſopho conſecrata, eſt ibidem[9].

Et ſoliſternia] Notat apparatus illos emortuales poſt exceſſum Principis, quaſi viveret ille, uti eſt *ſupra*[10].

Et lectiſternia.] Similiter in deſcriptione honorum Julii Cæſaris, qui humanum faſtigium excedebant, recenſet *Suetonius*, thenſam & ferculum in Circenſi pompa, templa, aras, ſimulachra juxta Deos, pulvinar, Flaminem[11]. Nec aliter *Dion*: ἔστε τὰ θέατρα ἔν τε δίφρον αὐτῷ ἓν ἐπίχρυσον, καὶ στέφανον αὐτῷ ἓν διάλιθον καὶ διάχρυσον ἐξ ἴσου τοῖς τῶν Θεῶν ἐσκομίζεσθαι, καὶ ταῖς ἱπποδρομίαις ὀχὸν εἰσάγεσθαι ἐψηφίσαντο. *Pulvinar*, id eſt, lectiſternium; atque de hoc genere ſacrorum vide quæ diximus *ſupra*[12], & adde *Caſaubonum*[13], *Jul. Cæſ. Bulengerum*[14].

Lætitiæ & ludi] *Lætitias* vocat, publicam hilaritatem ob conſecrationem Principis, & quos ludos intelligat, vide *ſupra*[15].

Contemplator Cœlitis in cœlum recepti] Notum, in Principum conſecrationibus id ſolenne fuiſſe, ut præmio conducti inducerentur, qui in funere cœlum contemplantes aſſererent, vidiſſe ſe Principem in cœlos receptum, ut diximus *ſupra*[16].

(1) *Tab.* 43. 20. 21. (2) *lib.* v. *cap.* 11. (3) *lib.* LX. (4) *l. d.* (5) *Tab.* 16. *n.* 24. (6) *lib.* IV. *cap.* 15. (7) *Tab.* 18. *num.* 16. 17. (8) *Tab.* 19. *num.* 24. (9) *Tab.* 47. *num.* 17. 18. (10) *diſt.* 5. (11) *lib.* I. *cap.* 76. (12) *cap.* XII. *diſt.* 9. (13) *Notatis ad h. l.* (14) *de Circo & Circenſibus Ludis cap.* 36. & *lib.* III. *de Imperatore Romano cap.* 20. (15) *diſt.* 10. 11. (16) *diſt.* 13.

CAP. XV.

De Bileami Oraculis corollarium, in quo illa exponuntur, obſervatis cumprimis iis, quæ ex moribus & ritibus Gentium deducuntur.

I. NUMEROR. [1]. *Et miſit* (Balacus Rex) *nuncios ad Bileamum filium Beboris*] Augur erat Bileamus, neque tolerari poteſt, quod *Toſtatus* [2], *Rodolfus Gualtherus* [3], *Victorinus Strigelius* [4], *Janus Druſius* [5], ſcribunt fuiſſe hunc verum Dei Prophetam. Contrarium demonſtrant *Rabbinus Moſes Gerundenſis* [6], *Wolfgang. Francius* [7], *Franciſcus Junius* [8], & conſtat ſatis, tum quod ſacra facit Idololatrica pro Spiritibus in ſeptem Planetis efficaciter (ut putabant οἱ οἰωνιϛαὶ) agentibus [9], tum quod verbis manifeſtis dicitur exercuiſſe incantationes נחשים [10]. Itaque נבואשקר vocat eum *Autor Pheſichta* [11].

Pethoram, quæ eſt impoſita ipſi flumini, in regionem populariorum ejus] Pethora eſt urbs Meſopotamiæ, nam ex illis Gentibus oriundum ſe eſſe fatetur Planetarius [12]. Flumen, ut paſſim alibi, eſt Euphrates maximus Orientis, *Geneſ.* [13]. Nomen urbis videtur eſſe a Radice פתר *interpretari*, *Buxtorffius* [14] videlicet, quod ibi ſcholas haberent illi, qui ὀνειροκριτὰς profitebantur, *Geneſ.* [15].

Iverunt ergo ſeniores Moabitarum & ſeniores Medianitarum cum divinationum honorariis in manibus ſuis [16] Ebræum קסמים vertunt *Pagninus, Tremellius, Chaldæus*, ut notet *precium divinationis*. Nec male, uti patet ex 2 *Petri* [17]. Quanquam *Aben Eſdras* interpretetur *divinationis inſtrumenta*, quibus utebantur in captandis auguriis & compellendis aſtralibus Dæmonibus ſub obſequium.

Reddam vobis reſponſum, quemadmodum præceperit Dominus mihi [18] Credebant veteres, ſuum Genium tutelarem habere quamlibet Gentem, a quo illa potenter ita defenderetur, ut hoſtium armis ſuperari non poſſet, antequam Numina tutelaria vel ſponte migrarent, vel ſolenniter per Magos evocarentur, *Plinius* [19], *Briſſonius* [20], & quæ nos prolixe docemus

[1] *Cap.* XXII. 5. [2] *Commentar. adh. l. quæſt.* 3. [3] *Commentario in Epiſtolas Petri fol.* 136. [4] *in Hypomnematis ad Novum Teſtamentum pag.* 528. [5] *Commentario ad loca difficilia Numerorum cap.* 105. [6] *Commentariis ad Geneſin pag.* 262. [7] *de Interpretatione Scripturæ pag.* 309. [8] *Tom.* I. *Operum Theolog. pag.* 467. [9] *cap.* XXIII. 1. 2. [10] *cap.* XXIV. 1. [11] *fol.* 26. *num.* 2. [12] *cap.* XXIII. 7. [13] 11. 14. [14] *in Lexico Thalmudico pag.* 1877. [15] XL. 5. 8. 12. 18. [16] *verſ.* 7. [17] II. 15. [18] *verſ.* 8. [19] *lib.* XXVIII. *cap.* 2. [20] *lib.* I. *de Formulis pag.* 63.

mus 1. His congrua ſunt, quæ proponit Æneas in recenſione Trojani excidii 2:

Exceſſere omnes aris adytiſque relictis
Dii, quibus imperium hoc ſteterat. ——

Tacitus de obſeſſa Hieroſolymorum urbe 3: *Expaſſæ repente delubri fores, & audita major humana vox, excedere Deos. Simul ingens motus excedentium.* Ita *Sophocles* inducit Deos ſuis humeris ſua deportantes ſimulacra ex urbibus occidioni proximis, quod idem apud *Æſchylum* 4 legitur. Cum Alexander M. obſidebat Tyrum, multis civium viſus eſt Apollo in ſomniis dicere, ſe ad Alexandrum abire, nec enim placere ſibi, quæ in civitate gerebant, *Curtius* 5, & addit, *metu aurea catena devinxere ſimulachrum, aræque Herculis, cujus Numini urbem dicaverant, inſeruerunt vinculum quaſi illo Deo Apollinem retenturi.* Nimirum ſimulacris injiciebant vincula, & vinctus credebatur Deus, vano augurio, ut pulchre diſſerit *Auguſtinus* 6. Proinde credebat Rex Balacus, vinci poſſe Hebræos, poſtquam Dei tutelaris patrocinium excantaverat Magus 7. Aderat quidem provocatus Deus Iſraëlis, non vero etiam incantamentis Magi poterat vinci, quoniam pro ſalute populi feliciter rem gerebat 8.

II. *Venit autem Deus ad Bileamum & dixit, quinam ſunt viri iſti apud te?* 9] Deus eſt ὁ λόγος, pro quo Angelum creatum vice Dei agentem & loquentem, fruſtra hic obtrudunt *Toſtatus*, *Vatablus*, *Cornelius a Lapide*, *Bonfrerius*, *Emanuel Sa*, *Menochius* 10, nam adverſus illos *peculiari Diatriba* perſcripſimus *in Auctariis ad Pappum* 11, Interrogat vero, non tanquam ignarus a quo diſcat; ſed tanquam arbiter, qui Augurem ipſum, iniquitatem facti recitantem, ut eam a ſe removeat, adducat.

Veniens autem Deus ad Bileamum noctu, dixit ei 12] Reſponſum accepit per modum בתיקול quod vaticinii genus in Veteri Teſtam. uſitatum erat, 1. *Samuel.* 13, 1. *Regum* 14, *Jobi* 15, *Daniel.* 16, & perdurabat in Novo, *Matth.* 17, *Johan.* 18, *Actor.* 19. Hanc vocem illi tantum audiebant, propter quos edebatur, alii præſentes nihil ejus percipiebant, ut conſtat exemplo Pauli & comitum ejus, *Actor.* 20. De quo porro vi-

[1] *cap.* II. *num.* 3. *lib.* III. *cap.* IV. *num.* 6. [2] *lib.* II. *Æneid.* [3] *lib.* V. *Hiſtor.* [4] *in Perſis.* [5] *lib.* IV. *cap.* II. [6] *lib* XI. *de Civitat. Dei cap.* 22. [7] *cap.* XXII. *c.* [8] *cap.* XXII. 8. *cap.* XXIII. 16. 17. [9] *verſ.* 9. [10] *in Notis & Commentariis.* [11] *pag.* 281. [12] *verſ.* 20. [13] III. 4. [14] XIX. 11. [15] IV. 12. [16] IV. 28. [17] III. 17. *cap.* XVII. 5. [18] XII. 28. 29. [19] XXIII. 9. [20] IX. 4. 5. 6. 7. *cap.* XXVI. 13. 14.

deantur *Daniel Heinſius* [1], *Paulus Fagius* [2], *Johannes Cocchius* [3].

Et oppoſuit ſe Angelus Domini in via, ut eſſet adverſarius ei [4]] Angelus iſte Michaël erat, ait *Toſtatus* [5], & ante eum monuerat *Procopius Gazæus*. Nos hoc negamus, & quod ὁ λόγος fuerit, probamus: (1) quia repetitis vicibus אל Deus vocatur [6]. (2) quia pro imperio regit Augurem, & verba, quæ eum vult eloqui, ſuppeditat 7. (3) quia ſibi tribuit injuriam illam factam, quam Augur meditabatur adverſus populum [8].

Aperuit autem Dominus os aſinæ, quæ dixit Bileamo, quid feci tibi [9]?] Prolixe differit *Toſtatus* [10], ut oſtendat, quomodo aſina locuta fuerit, cum non haberet organa articulata, quæ ad ſermonem efformandum requiruntur. Nos illi curioſitatem relinquimus, & paucis dicimus, potuiſſe Genium aſſiſtentem movendo aſinæ linguam, voces formare in aëre. Confer eventa ſimilia, quæ retulimus *ſupra* [11].

Cumque Balacus mactaviſſet boves & pecudes, miſit ad Bileamum & ad principes, qui cum coerant [12].] Rex mactabat in ſacrificium Bahali Deorum maximo, & carnium oblatarum portiones mittebat ad Bileamum, ut epulas adornaret, quomodo ferebat mos ſacrorum, ut diximus *ſupra* [13].

Et Balacus aſſumſit Bileamum deducendo eum ad excelſa Babalis [14]] Locis editis conſtituebant aras ſuas, velut cœlo proprioribus. Docuimus iſta *ſupra* [15].

III. NUMER. [16]. *Tunc dixit Bileamus Balaco, exſtrue mihi hic ſeptem altaria, & præpara hic mihi ſeptem juvencos & ſeptem arietes*] Septem Planetis totidem rotatores Genios, per quos in ſublunaria agerent, adjungebant Chaldæi. Hos divinationum ſuarum patronos in mente habebat Augur, cum jubebat ſeptem altaria ponere pro totidem tauroboliis & crioboliis. Chaldæorum ſunt & veterum Judæorum, uti oſtendit facto ipſo *Scriptor libri Tobiæ*, qui Raphaëlem è Geniorum contubernio devocatum cœlo, Magica fide inducit de ſui ordinis Angelis teſtimonium perhibentem, quod ſeptem ipſi coram Deo ad obeunda miniſteria adſtent [17].

Et fecit Balac, quemadmodum locutus eſt Bileamus, obtulitque juvencum & arietem in unoquoque altari [18]] Boves & arietes melior pars Sacrificiorum erant apud populos mundi. Et hactenus quidem

(1) *in Exercitationibus ſacris ad Nonnum pag.* 455. (2) *Notis ad* פרקי אבות *cap.* 6. (3) *Notis ad* סנהדרין. (4) *verſ.* 22. (5) *Commentario ad h. l. quæſt.* 10. (6) *verſ.* 9. 10. 12. 20. (7) *verſ.* 20. 35. 38. (8) *verſ.* 32. (9) *verſ.* 28. (10) *Commentariis ad h. l. quæſt.* 9. & 10. (11) *cap.* XII. *num.* 11. (12) *verſ.* 40. (13) *cap.* XI. *num.* 12. (14) *verſ.* 41. (15) *cap.* XI. *num.* 11. (16) *Cap.* XXIII. *verſ.* 1. (17) *cap.* XII. 15. (18) *verſ.* 2.

dem adipe ſuccenſo exta comederant, perſuaſi ita fore, ut purgarentur animi, quomodo ſcripſimus *ſupra* [1]. Apud Romanos cœperunt peculiari nomine vocari *taurobolium*, quod erat ſacrificium hircorum vel arietum. *Inſcriptio* Romana: DIIS. MAGNIS. ULPIUS. EGNATIUS. FAVENTINUS. V. C. AUGUR. P. U. B. P. R. Q. PATER. ET. HIEROCERYX. D. S. J. M. ARCHIBUCULUS. DEI. LIBERI. HIEROFANTA. HECATÆ. SACERDOS. ISIDIS. PERCEPTO. TAUROBOLIO. CRIOBOLIOQUE. IDIBUS. AUGUSTIS. D. D. N. N. VALENTE. AUG. V. ET. VALENTINIANO. AUG. CONSS. FELICITER. *Gruterus* [2]. Et Romana alia: M. D. M. J. ET. ATTIDI. SANCTO. MENOTYRANNO Q. CLODIUS. FLAVIANUS. V. CL. PONT. MAJOR. XV. VIR. S. F. SEPTEMVIR. EPULONUM. TAUROBOLIO. CRIOBOLIOQUE. PERCEPTO. Scripſit Laurentius Pignorius *Diſſertationem de magnæ Matris Deum & Attidis initiis*, & illi adde *Vincentium Chartarium* [3], *Claudium Salmaſium* [4], ubi plurima occurrunt lectu digniſſima. Exſtat *Juliani Cæſaris Sermo* εἰς τὴν Μητέρα τῶν Θεῶν, nam fiebant cumprimis in honorem Dianæ, Cybeles, Solis. Et vetuſtiſſimum Oriente toto, quod Mithra illis coleretur, ita enim vocabant Solem, teſtibus *Arnobio* [5], & *Julio Firmico* [6], *Porphyrio* [7], ubi eſt de ſacris Mithriacis. Atque idem eſt in prolata Inſcriptione *menotyrannus*, id eſt, Rex menſium, anni gubernator, dierum & menſium arbiter, μηνοτύραννος. Corrigenda hinc eſt *Inſcriptio* alia Romana: M. D. M. IDEÆ. ET. ATTIDI. MINOTAURO. AUGENTUR. MERITIS. SYMBOLÆ. TAUROBOLI. *Gruterus* [8]. Legi debet *minoturanus*, quando *Minotaurus* eſt prorſum alienus. Deinde vero expiabantur & luſtrabantur in ſacris illis. Hoc erat *Taurobolium & Criobolium percipere*, uti ſunt verba *Inſcriptionis*. Ritum deſcribit *Prudentius* [9]. Homo conſecrandus in ſcrobe profunda defoſſus taurorum arietumque ſuper ſtrato multiforo tabulato mactatorum ſanguine proluebatur, eoque capite, ore, auribus, oculis, naribus totoque adeo corpore excepto, purus ſemper eſſe cenſebatur. Fiebat hoc extra urbem in Circo Flaminio, itaque ἐπισόβρια ἱερὰ vocat *Ariſtides* [10]. *Inſcriptio* Romana: DIIS. MAGNIS. MATRI. DEUM. ET. ATTIDI. SEXTILIUS. AGESILAUS. ÆDESIUS. V. C. CAUSARUM. NON. IGNOBILIS. AFRICANI. TRIBUNALIS. ORATOR.

(1) *cap.* XI. *num.* 11. (2) *in Volumine pag.* 27. *num.* 4. (3) *de Imaginibus Deorum pag* 190. (4) *Notatis ad Lampridii Heliogabalum pag.* 467. (5) *lib.* V. *adv. Gentes.* (6) *adverſus profanos Errores cap.* 5. (7) *in Explicatione antri Nympharum.* (8) *l. d. pag.* 28. *num.* 6. (9) *Hymno in Romanum pag.* 198. *Operum.* (10) *ſerm.* 2.

TOR. ET. IN. CONSISTORIO. PRINCIPUM. ITEM. MAGISTER. LIBELLORUM. ET. COGNITIONUM. SACRARUM. MAGISTER. EPISTOLAR. MAGISTER. MEMORIÆ. VICARIUS. PRÆFECTOR. PER. HISPANIAS. VICE. S. J. C. PATER. PATRUM. DEI. SOLIS. INVICTI. MITHRÆ. HIEROPHANTA. HECATÆ. DEI. LIBERI. ARCHIBUCOLUS. TAUROBOLIO. CRIOBOLIOQUE. IN. ÆTERNUM. RENATUS. ARAM. SACRAVIT. D. D. N. N. VALENTE. V. ET. VALENTINIANO. JUN. AUGG. CONSS. IDIB. AUGUSTIS. *Gruterus* 1. Certe hauſerunt è dogmate Chriſtianorum, qui credebant ſanguine Redemtoris emundari homines impuros, & Deo reddi acceptos, neque antequam invaluiſſet Chriſti religio & orbis Romani provincias omnes pervaſiſſet, taurobolii, criobolii, ulla in Romanorum geſtis mentio eſt, ut ignoraviſſe hanc ſacrorum ſuperſtitionem & nefarium piaculum, priuſquam a Chriſtianis, & in irriſum Majeſtatis ſummæ vel accepiſſent, vel arripuiſſent, veriſſimum ſit, ait *Thomas Reineſius* 2.

IV. De Alagabalo Imperatore prodit Spartianus 3: *Matris Deum ſacra accepit & tauroboliatus eſt, jactavit autem caput inter præciſos fanaticos, & genitalia ſibi defixit, & omnia fecit, quæ Galli facere ſolent. Tauroboliatus eſt*, id eſt, cruore ſacrorum perfuſus initia percepit. Quod capita jactaverint, & genitalia ſibi amputaverint Archigalli, diximus *ſupra* 4. Conſtantino Magno ad imperium evecto, cum majorem partem orbis Romani, nedum curiam Romanam, conſtituerent Chriſtiani, qui Baptiſmi ſacro ceu profeſſionis nota præcipue a Paganis diſcernebantur, eoque vel Epiphaniorum die, vel profeſto Paſchatis vel Sabbatho Pentecoſtes multa cum ſolennitate magnis cœtibus initiabantur, frequentiora quoque taurobolia, velut Baptiſmi imitamenta, obſervamus, poſtquam nimirum Juliano imperante Gentilium, collapſa pietate præcedentium Rectorum, ſuperſtitio caput erigeret, Senatumque facerent, Præfecturas & reliquos Magiſtratus gererent Pagani Diis patriis addicti, & in contemptum temporis ſui avitis funeſtæ ſuperſtitionis erroribus & nefariis ſacrificiorum ritibus inhærentes. Huc pertinent *Inſcriptiones* poſitæ a *Petronio*, *Apollodoro*, *Cejonio Rufio Voluſiano*, *Rufio Cejonio*, *Vettio Agorio Prætextato*, quas referunt *Gruterus* 5, *Job. Jacobus Boiſſardus* 6. Taurobolio facto cornua tauri inaurata, quo fecerant, conſecra-

(1) *in Volumine pag.* 28. *num.* 2. (2) *in Epiſtolis pag.* 620. (3) *in Vita ejus cap.* 7. (4) *cap.* 11. *num.* 7. (5) *in Volumine pag.* 28 6. *pag.* 309. *num.* 2. 3. *pag.* 1012. *num.* 2. *num.* 1. 5. (6) *part.* 3. *Antiquitat. Romanar. Tab.* 47.

ſecrabant & dedicabant. Hinc intelligi debet Inſcriptio: SE-VERUS. JULII. F. L. VIRES TAURI. QUO. PROPR. PER. TAUROBOL. PUB. FAC. FECERAT. CONSECRAVIT. Tauri cornua vocat *vires tauri.*

V. *Conſiſte juxta holocauſtum tuum, dum abeo, forſan occurret Dominus mihi, & quamcunque rem oſtenderit mihi, indicabo tibi* [1]] Circumagebat ſeſe Augur, ut facies Numinum videret, amicæ illæ an vero inimicæ eſſent? De tota re videris *ſupra* [2].

En populus, qui ſolus habitat & aliis gentibus ſe non annumerat [3]] *Solus*, id eſt, legibus & ſacris a reliquis mundi populis ſecretus. Non laudant profani Scriptores. *Barbaram ſuperſtitionem* gentis increpat *Cicero* [4], & poſt eum ambitioſus politicus Tacitus ſcripſit [5]: *Moſes, quo ſibi in poſterum gentem firmaret, novos ritus contrarioſque cæteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quæ apud nos ſacra. Rurſum conceſſa apud illos, quæ nobis inceſta.* Conſimiliter Juſtinus [6]: *Caverunt, ne cum peregrinis communicarent.* Confer illa, quæ diximus *ſupra* [7].

Non eſt idolum in Jacob, nec videtur ſimulachrum in Iſraële] Bene Tacitus [8]: *Judæi mente ſola, unumque Deum intelligunt, profanos qui Deorum imagines mortalibus materiis in ſpecies hominum effingant. Summum illud & æternum, neque mutabile neque interiturum, igitur nulla ſimulacra urbibus ſuis, nedum templis ſunt.* Mox inverſis remis veliſque: *Rex Antiochus demere ſuperſtitionem & mores Græcorum dare anniſus, quo minus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus eſt.* Nimirum ut errori publico faveret, *ſuperſtitionem* appellat, Numen ſummum citra ſimulacrorum figuras venerari. Porro de Moſe honorificum *Strabonis* teſtimonium audire juvat [9]: *Moſes unus ex Ægyptiis Sacerdotibus, cum partem quandam regionis obtineret, ac moleſte ferret Ægyptiorum inſtituta, hinc in Judæam abiit. Diſceſſerunt cum eo multi, quibus divina curæ erant. Docebat enim, quomodo Ægyptii non recte ſentirent, qui ferarum ac pecorum imagines Deo tribuerent, nec Græci, qui Deos figuris hominum inſignirent. Et quod illud ſolum Deus eſſet, quod nos cunctos terramque ac mare contineret, quod cœlum dicimus, & mundum, rerumque naturam. Cujus profecto imaginem nemo ſanæ mentis noſtræ ſimilem auderet effingere, oportere igitur omnium ſimulacrorum effigie remota, ac digna ei templo erecto ſine figura colere.* Ait, Moſen fuiſſe de Sacerdotibus Ægyptiis, id eſt, virum ſapientem in gente illa, quod percepiſſet artes

&

(1) *verſ.* 3. (2) *cap.* XII. *num.* 18. (3) *verſ.* 9. (4) *Orat.* 24. (5) *lib.* V. *Hiſtor.* (6) *lib.* XXXVI. (7) *cap.* VIII. *num.* 3. (8) *lib.* V. *Hiſtor.* (9) *lib.* XVI. *Geograph.*

& ſcientias omnes in ſcholis eorum proponi ſolitas, ἐπαιδεύθη πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων, *Actor.* 1. Ita ſumitur vox בהנים *Geneſ.* 2. Ex artes fuerunt Geometria, Arithmetica, Aſtronomia, Muſica, Phyſica, Metaphyſica, ut referunt *Herodotus* 3, *Diodorus Siculus* 4, *Laërtius* 5, *Philo* 6, *Clemens Alexandrinus* 7.

VI. *Dominus Deus ejus cum eo eſt, & clangor Regis eſt in eo* 8] Quæ de clangore dicuntur, pertinent ad tubas ſacras, quarum ſonitu perſtrepebant Hebræi, aut in diebus feſtis, aut ad pugnam exeuntes, *Levit.* 9, *Numer.* 10, *Tacitus* 11, ubi de Judæis agit: *Sacerdotes eorum tibia tympaniſque concinebant.* Exempla ſunt *Exodi* 12, *Joſuæ* 13, *Judic.* 14, 2. *Samuel.* 15, 2. 16, *Pſalm.* 17.

Deus eduxit illum ex Ægypto, eſtque ei ut vires monoceratis 18] De Unicorne libros peculiares ſcripſerunt *Andreas Baccius Italus*, & *Caſpar Bartholinus Danus*, ita ut contendant, eſſe animal diverſum ab eo, quod Rhinocerotem vocamus. Atqui ſpecierum nulla interiit hactenus, proinde quæcunque de ראם cornigero animali in *Sacris Literis* dicuntur toties, quando Unicornis hodie non exſtat uſpiam locorum, veriſſime cenſeri debent, pertinere ad Rhinocerotem, ferociſſimum & Elephantis inimicum. Quæ contra diſſerunt *Scaliger* 19, *Laurentius Foreruſ* 20, ea minus firmo ſtant talo, nam: (1) Picturis citra rationes haut quicquam tribui debet. (2) Cornua illa, quæ circumferuntur, medicamina adverſus venenum, non quidem animalis alicujus ſunt, verum ſunt foſſilia & de terræ mineris eruuntur, docente *Sennerto* 21, atque illi adde *Jacobum Primiroſium Anglum* 22, *Ambroſium Paræum* 23, *Buxtorffium* 24.

Non eſt augurium contra Jacob, & non eſt divinatio contra Iſraëlem 25] Nihil proficiunt diræ, quæ incantatorum & Magorum opera adverſus populum iſtum enunciantur. Diximus *ſupra* 26.

Non accubabit, donec devoret prædam & occiſorum ſanguinem bibat 27. Prædam comedebant Hebræi, quando gentes infeſtas armis opprimebant, *Geneſ.* 28.

Et aſſumens Balacus Bileamam, duxit in verticem Peor, qui re-

(1) VII. 22. (2) XLVII. 29. (3) *in Euterpe.* (4) *lib.* II. (5) *proœmio ad Vitas Philoſophorum.* (6) *lib.* I. *de Vita Moſis.* (7) *lib.* V. *Stromat.* (8) *verſ. eod.* (9) XXIII. 24. (10) X. 2. *cap.* XXIX. 1. (11) *lib.* V. *Hiſtor.* (12) XV. 20. (13) VI. 4. 5. (14) XI. 34. (15) XVIII. 6. (16) VI. 5. (17) XLVII. 6. LXVIII. 26. LXXXI. 3. 4. (18) *verſ.* 26. (19) *Exercitat.* 205. (20) *in Viridario philoſophico pag.* 75. (21) *lib.* V. *Epit. Phyſ.* (22) *lib.* II. *de Vulgi Erroribus in Medicina cap.* 8. (23) *lib.* XX. *Chirurgiæ cap.* 39. (24) *in Lexico Thalmudico pag.* 2167. (25) *verſ.* 23. (26) *cap.* II. *num.* 13. (27) *verſ.* 24. (28) XLIX. 9. 27.

reſpicit ſolitudinem verſus [1]] Colebatur in monte iſto Idolum Baal-Peor, *Numer.* [2], de quo aliqua retulimus *ſupra* [3].

VII. NUMER. 4. *Hac vice, ut antea, non ivit ad captandum augurium*] Non exploravit prius Numinum facies prolatis carminibus Magicis, ut *ſupra* [5]. *Dictum Bileami filii Beboris, dixit homo, cujus obturatus eſt oculus* [6]] Ebræum eſt שתם הגבר & vertunt Pagninus; Tigurini; Tremellius; *cujus apertus eſt oculus*, verum melior verſio eſt Ariæ Montani, *cujus occluſus eſt oculus*. Qui enim erant in ἐκστάσει conſtituti, procumbebant humi & quoque ſenſuum externo uſu privabantur, 1. *Samuel.* 7. Confer illa, quæ diximus *ſupra* [8], & *Bodinum* [9].

Ut valles extenduntur, ut horti juxta flumen, ut ſantalos plantavit eos Dominus, ut cedros juxta aquas [10]] Ebræum אהלים *ſantalos* notat aquoſis locis gaudentes, ut *Tremellius* reddit: voci accuratius inſiſtens *Chaldæus* vertit *aloëm*, eumque *Tigurini* ſequuntur. *Lignum Paradiſi* appellant vulgo, & naſcitur in deſertis Indiæ locis, teſte *Garſia ab Horto* [11], ubi *Carolus Cluſius* [12], adfert *Chaldæum Interpretem*, qui videlicet affirmet, provenire aloën in Paradiſo terreſtri. Adverſus eum litem capit *Daniel Heinſius* [13]. Res paucis componitur de Euphrate, ut ſæpe alias, & vero ad Euphratem ſitum olim fuiſſe Paradiſum, accurate demonſtravimus *in Auctariis ad Pappi epitomen Hiſtoriarum* [14]. Eſt deſcriptio fortunæ maximæ, quam nullis cladibus evertere unquam poſſet hoſtium impetus quicunque.

Fluet aqua de ſitula ejus, & ſemen erit in aquas multas [15]] Aquæ ſunt populi, *Apocal.* [16]. Senſus ergo eſt: Augebitur poſteritate & capiet magnum incrementum. Inde fœcunditatis Dea Venus eſt ὑδρογενὴς apud Poëtas, ut diximus *ſupra* [17], & in *Sacris Literis*, nunc aquis comparatur ſemen, *Proverb.* [18], *Eſai.* [19], nunc rori, *Pſalm.* [20]. Vide in re ſimili σιμωνὸν λόγον, *Cantic.* [21].

VIII. *Video illud non tamen nunc, contemplor illud ſed non propinquum* [22]] *Illud*, id eſt, Regnum magnum in populo Iſraëlitico oriturum, ut ſequentia oſtendunt. Nondum enim tunc temporis Iſraëlitæ in Regni formam erant redacti, ſed velut ab Optimatibus regebantur.

Prodibit ſtella ex Jacob, & ſurget ſceptrum ex Iſraële [23]] Sydera

(1) *verſ.* 32. (2) XXV. 3. (3) *cap.* III. *num.* 3. (4) *cap.* XXIV. *verſ.* 1. (5) *diſt.* 5. (6) *verſ.* 3. (7) XIX. 24. (8) *cap.* XII. *num.* 15. (9) *lib.* II. *Dæmonomaniæ cap.* 5. (10) *verſ.* 6. (11) *in Deſcriptione plantarum exoticarum pag.* 103. (12) *in Notatis.* (13) *Exercitationibus ad Nonnum pag.* 518. 519. (14) *pag.* 305. (15) *verſ.* 7. (16) XVII. 15. (17) *cap.* I. *num.* 17. (18) V. 15. 16. (19) XLVIII. 1. (20) CX. 3. (21) IV. 17. (22) *verſ.* 17. (23) *verſ. eod.*

dera vocantur Reges & viri illuſtres, ut *Eſai* 1, *Apocal.* 2. Davidem prænunciat, Regem Iſraëlis potentiſſimum, qui plurimarum gentium victor fuit, *Pſalm.* 3. Sublimi ſenſu ad Meſſiam applicant *Onkelos*, *Maimonides*, *R. Levi Ben Gerſon*, *Vatablus*, *Bonfrerius*, *Cornelius a Lapide*, *Tremellius*, *Druſius*, & Chriſtianorum interpretum turba, hujus maximum ſucceſſum in domandis gentibus Euangelii voce, omnes veteres victoriæ modo ſuo adumbraverunt, *Pſalm.* 4.

Quod franget latera Moabitarum] Quid clarius? David multis præliis attrivit Moabitas, 2. *Samuel.* 5, 2. *Chron.* 6, *Pſalm.* 7.

Et deſtruet omnes illos, qui pone ſunt] בנשית adverbialiter exponit *Tremellius*, ſecutus *Rabbinum Hiskuni*. *Qui pone ſunt*, id eſt, Ammonitas, Philiſtinos, Syros Euphratis accolas. Omnes gentes illas a tergo ſitas habebat Bileamus, tunc cum converſo ad caſtra Iſraëlitarum ore vaticinia proferebat, ac Davidi Hebræotum Regi potentiſſimo ſubjectas fore prædicebat. De Ammonitis vide 2. *Samuel.* 8, 1. *Chron.* 9. De Philiſtinis eſt 2. *Sam.* 10, 1. *Chron.* 11, *Pſalm.* 12. De Syris eſt 2. *Sam.* 13, 1. *Chron.* 14, *Pſalm.* 15. Syriæ partem vocat Plinius *Ciudeviam*, quod eſt nomen Syriacum קדוא *portio Davidis*, quam victor ille Hadadeſari eripuit & regno ſuo adjunxit, 1. *Reg.* 16.

Et erit Edom poſſeſſio ejus 17] David ſubegit Idumæos, 2. *Samuel.* 18, 1. *Chron.* 19, *Pſalm.* 20.

Dominium obtinebit ex Jacobo natus, & perdet ſuperſtites è civitatibus 21] Hoc de illo interpretor, quod reliquias Cananæorum expurgavit David capta Jeroſolymorum urbe, 2. *Samuel.* 22, 1. *Chron.* 23.

Principium gentium Amalek & noviſſimum ejus ad perditionem 24] Diu floruit inter Orientis populos ob celebria belli ac pacis ſtudia, ſed veniet tempus, cum internecioni dabitur, 1. *Samuel.* 25.

Cum vero aſpiceret Kinæum, proferens ſententiam ſuam dixit 26] Salmæum interpretatur *Onkelos*, & noti apud *Plinium* ſunt Arabes Salmani. Ex illis oriundus fuit Jethro, cujus propinqui & eorum poſteri Iſraëlitis in Chanaan profecturis adhæſerunt, *Judic.* 27, *Samuel.* 28.

Quin

(1) XIV. 12. (2) VIII. 10. (3) XVIII. 35. LX. 8. (4) II. 6. 7. 8. 9. (5) IX. 2. (6) XIX. 2. (7) LX. 10. (8) XI. 1. *cap.* XII. 26. (9) XX. 15. *cap.* XXI. 1. 2. 3. (10) V. 17. *cap.* VIII. 1. *cap.* XXIII. 9. (11) XII. 10. *cap.* XV. 8. *cap.* XIX. 1. (12) LX. 2. (13) VIII. 3. *cap.* X. 6. (14) XIX. 3. *cap.* XX. 6. (15) LX. 2. (16) XI. 23. 24. 25. (17) *verſ.* 18. (18) VIII. 14. (19) XIX. 12. 13. (20) LX. 2. 10. (21) *verſ.* 19. (22) V. 6. (23) XII. 4. (24) *verſ.* 20. (25) I. 2. (26) *verſ.* 21. (27) I. 18. *cap.* IV. 11. (28) XV. 6.

Quin imo erit ad depaſcendum Kinæum, donec Aſſyrius captivum tenebit te[1]] Modica ſemper fuit Kenitarum fortuna, ob agrorum ſterilitatem, donec una cum Hæbræis adducerentur captivi, & vero multi eorum reverſi cum Judæis Babylonicis patriam repetiverunt, 1. *Chron.* 2.

Navès a littore Kitthæorum venient & vaſtabunt Aſſyrios[3]] Hæc & ſequentia exponas ſecundum illa, quæ dicemus[4]. Kitthæi ſunt Græci & eorum princeps Alexander Magnus, qui evertit Babyloniorum ac Perſarum imperia.

Vaſtabuntque Ebræos] Et porro devaſtavit gentes plurimas ultra Euphratem ſitas. Nam hoc eſt עבר videlicet, qui trans flumen ſunt, appellativo ſenſu, quomodo *Geneſ.*[5] dicitur: Abrahamo Ebræo, ubi reddiderunt Alexandrini τῷ περάτῃ. Commodiſſime, nec enim ab Hebero cognomen illud Abrahamo datum provenit, (ſecus ac contendunt *Janus Druſius*[6], *Vatablus* & *Tremellius*[7], *Carolus Sigonius*[8],) quando tot alii parentes interceſſerunt: ſed ita Phœnices appellabant, quod ex locis trans Euphratem ſitis advenerat, ut recte monent *Chryſoſtomus*[9], *Theodoretus*[10], *Auguſtinus*[11], *Moſes Gerundenſis*[12], ac confirmatur loco manifeſto, *Joſuæ*[13]. Alexander victoriarum curſu profectus ad Indos pervenit.

Et ad extremum illi quoque peribunt] Romani demum partes Aſiæ & Africæ edomabunt armis ſuis, poſteroſque Alexandri Magni devincent feliciter.

(1) *verſ.* 22. (2) 11. 55. (3) *verſ.* 24. (4) *lib.* 11. *cap.* 1. *num.* 6. (5) XIV. 13. (6) *Obſervationibus ad loca difficiliora Geneſeos cap.* XXIX. (7) *Notis ad Geneſ.* X. 21. (8) *lib.* 1. *de Republ. Ebræorum cap.* 1. (9) *Serm.* 35. *in Gen.* (10) *Quæſt.* 60. *ad Geneſ.* (11) *Quæſt.* 29. *in Geneſin.* (12) *Commentariis ad Geneſ.* XIV. 13. (13) XXIV. 3.

LIBRI PRIMI FINIS.

ANTIQUITATUM ROMANARUM

LIBER SECUNDUS.

QUO CONTINENTUR RES CIVILES.

CAPUT PRIMUM.

De Magnitudine Urbis Romanæ.

I. ROMAM condiderunt Remus & Romulus, è regiâ familiâ Sylviorum, quæ ab Æneâ duce Trojano originem habebat: Romulus vero de nomine ſuo vocavit, factusque Rex Urbis ejus agrum latiſſimum, devictis vicinis adjecit. Incolæ primi *diſpari genere*, *diſſimili linguâ*, ut ait *Saluſtius*[1], Agricolæ & Latini extorres, quibus Arcades & Thuſci permiſti, Urbis incolatum conſtituerunt, *Solinus*[2]. Nimirum pro modulo Urbis, quæ Palatinum ſolum complexa eſt: deſignavit vero etiam Romulus pro futuris ædificiis montes proximos, Tarpejum, Quirinalem, Cœlium, & præſidium locis illis diſpoſuit, ut cuſtodia adverſus latrones eſſet. Titus Tatius in montem Tarpejum adduxit coloniam Sabinorum: Numa Pompilius montem Cœlium Etruſcis attribuit: Tullus Hoſtilius & Ancus Marcius Albanos in Cœlio monte & Latinos in Aventino collocaverunt. Servius Tullius adjecit Eſquilinum & Viminalem. Superbus maxima aggerum & propugnaculorum opera conſtruxit, poſtquam

[1] *in Catilinariâ.* [2] *in Polybiſtorico cap. 2.*


Effigies Lupæ . Romuli & Remi nutricis.
Pag. 322.






MERIDIES
OCCIDENS
ORIENS
SEPTENTRIO
TIBERIS
FLVVIVS
VATICANVS
CAMPVS VATICANVS
ROMA ANTIQVA.
Ex ruderibus, reliquiis et vetustis monumentis accuratissimè ab ORTHIVSE PANVINIO delineata.
LVGDVNI BATAVORVM.
Exeudit PETRVS VANDER AA. cum Privilegio.
CAMPVS MARTIVS
QVIRINALIS
COLLIS HORTVLORVM
CVM COLLE VIMINALI
CLAVDIA ET ANIO NOVA
AQVAE MARCIA TEPVLA ET IVLIA
CIRCVS FLAMINIVS
PORTA FLAMINIA
VIA LATA
REG. XIII TRANSTIBERIM
REG. VI ALTA SEMITA
REG. VII VIA LATA
REG. IX CIRCVS FLAMINIVS
REG. XIV TRANSTIBERIM
REG. XII PIS
REG. XIII AVE
REG. X PALATINVS
REG. VIII FORVM ROMANVM
REG. XI CELIMONTANA
REG. V ESQVILINA
REG. IV TEMPLVM PACIS
REG. I PORTA CAPENA
REG. II CAELIMONTANA
REG. III ISIS ET SERAPIS
REG. XIV TRANSTIBERIM
REG. XIII TRANSTIBERIM
REG. XII PIS
REG. XIII AVE
REG. X PALATINVS
REG. VIII FORVM ROMANVM
REG. XI CELIMONTANA
REG. V ESQVILINA
REG. IV TEMPLVM PACIS
REG. I PORTA CAPENA
REG. II CAELIMONTANA
REG. III ISIS ET SERAPIS

quam Urbs ſeptem montibus impoſita vires acquireret, ut omnino pomœrium proferendum eſſet. Virgilius[1]:

Scilicet & rerum facta eſt pulcerrima Roma,
Septemque una ſibi muro circumdedit arces.

Et[2]:

——— ——— *Inclyta fama*
Imperium terris, animos æquabit Olympo,
Septemque una ſibi muro circumdabit arces.

Propertius[3]:

Septem Urbs alta jugis toti quæ præſidet Orbi.

Martialis[4]:

Hinc ſeptem dominos videre montes
Et totam licet æſtimare Romam.

Palatinus ab antiquo habitatus a Palantibus, id eſt, vagis Arcadibus, quos Evander ſecum adduxerat, nomen ab iiſdem accepit, *Varro*[5]. Eodem ſenſu Virgilius[6]:

Arcades his oris genus a Pallante profectum,
Qui regem Evandrum comitati & ſigna ſecuti
Delegêre locum, & poſuere in montibus urbem
Pallantis proavi de nomine Pallanteum.

Romulus ibidem ſub ficu Ruminali cum fratre ſuo expoſitus, poſtquam in Fauſtuli domo adoleverat, incunabulis ſuis favere atque Urbem novam, unaque Palatium ſuum regium loco iſto condere voluit, aut ſolum veterem Romam novis ædificiis ampliare, *Dionyſius Halicarnaſſ.*[7], & prolixe *Philippus Cluverius*[8], *Onuphrius Panvinius*[9]. Tarpejum habitaverant Saturnus & Pelaſgi, *Varro*[10]. Et Virgilius[11]:

Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit urbem:
Janiculum huic: illi fuerat Saturnia nomen.

Capitolium in honorem Jovis ibi condiderunt Tarquinius Priſcus, Servius Tullius, Tarquinius Superbus. In Quirinali fœdus pepigerunt Romulus & Tatius,

[1] *lib.* II. *Georg.* [2] *lib.* VI. *Æneid.* [3] *lib.* III. *Eleg.* 9. [4] *lib.* IV. *Epigram.* 64. [5] *lib.* IV. *de L. L. pag.* 16. [6] *lib.* VIII. *Æneid.* [7] *lib.* II. [8] *in Italiâ antiquâ lib.* III. *c.* 2. [9] *Commentario ad librum* I. *Faſtorum p.* 12. [10] *l. d. pag.* 13. [11] *l. d.*

ſtructumque Romulo poſt exceſſum ejus Templum Quirini. Cœlium occupavit Celes Etruſcorum Optimas, qui cum popularium ſuorum manu in auxilium veniebat Romulo contra Sabinos, *Varro*[1], *Tacitus*[2], ubi vide *Juſtum Lipſium*[3]. Aventinus mons pro receſſu gratus fuit Aventino Regi Albano, & ille ibidem ſepulchrum habuit, *Varro*[4]. Quanquam monti nomen illud fuerit etiam ante illa tempora, ſi vera canit Virgilius:

Poſt hos inſignem palmâ per gramina currum,
Victoresque oſtentat equos, ſatus Hercule pulchro
Pulcer Aventinus.

Et paulo poſt:

Collis Aventini ſilvâ quem Rhea Sacerdos
Furtivum partu ſub luminis edidit auras
Miſta Deo mulier. ———

ubi vide *Servium*[5]. *Miſta Deo mulier*, id eſt, Herculi Rhea, poſtquam ille ab Hiſpaniâ regreſſus Geryonis boves abegerat. Sepulti quoque hoc loco fuerunt Remus frater Regis, & Titus Sabinus collega ejus, uterque occiſus a Romulo, alter vi, alter dolo. Horatius[6]:

Acerba fata Romanos agunt,
Scelusque fraternæ necis,
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

Eſquilinus nomen habet, quod exverras & quisquilias eo deportarent cives & accolæ, *Varro*[7]. Erant ibi domus & horti Mecænatis, quos depingit *Jacobus Laurus*[8]. Cæteroquin loco illo ſordido venificia & maleficia ſua exercere ſolebant anus Sagæ. Horatius[9]:

Et Eſquilini Pontifex venefici.

Erat ibidem locus deſtinatus pro ſuppliciis publicis. Suetonius[10]: *Civitatem Romanam uſurpantes in campo Eſqui-*

(1) *l. d. pag.* 14. (2) *l.* IV. *Annal.* (3) *in Annotatis num.* 142. (4) *l. d. pag.* 14. (5) *in Commentario pag.* 484. (6) *lib.* III. *Carm.* 7. (7) *lib. d. pag.* 15. (8) *lib.* I. *Antiquit. num.* 34. (9) *lib.* V. *Carm.* 17. & *lib.* I. *Sat.* 8. (10) *lib.* V. *cap.* 25.

Eſquilino ſecuri percuſſit. Tacitus[1] : *Sumptum eſt more priſco extra Eſquilinam de nocentibus ſupplicium.* Portam Meciam vocat Plautus[2] : *Illum ædepol videre ardentem extra portam Meciam credo ædaſtor velle.* Nam ſtabant ibi cruces depactæ , ad quas figebantur patibulati , ut dicemus *infra*[3]. Horatius[4] :

Poſt inſepulta membra different lupi,
Et Eſquilinæ alites.

Confer *Turnebum*[5], *Petrum Fabrum Sanjoranum*[6], *Juſtum Lipſium*[7]. Denique Viminalis ab uliginoſo ſolo, quare ibi ſalices & populi copioſe proveniebant. Neque hodie aliter eſt , uti referunt *Bartholom. Marlianus*[8], *Georgius Fabritius*[9].

II. Hi montes ſunt , & penes eos tres colles , *Hortorum* , *Janiculum* , *Vaticanus* , non exigua pars civitatis. In colle Hortorum ſepultus eſt Nero Cæſar, *Suetonius*[10]. Janiculum dictum eſt , quod ibi Janus Priſcus habitaverat , teſte *Virgilio* ſupra allatis verbis. Vaticanus eſt, ubi Euandri & Carmentæ Vatum ſchola fuerat, quod demonſtrabant literæ Etruſcæ vetuſtiſſimæ ilicibus loco illo inciſæ , *Plinius*[11]. Vaticanam Bibliothecam orbis prædicat. Germania (quæ ejus liberalitas in exteros eſt !) Palatinam addendo auxit.

III. Ad Imperii magnitudinem oſtendendam , dabant Urbi cognomina varia, ut enumerant *Elmenhorſtius*[12], *Julius Cæſar Bulengerus*[13]. Præcipuum eſt quod *æternam* vocabant. *Inſcriptio* Romana eſt adducta *ſupra*[14]. Tibullus[15] :

Romulus æternæ nondum formaverat Urbis
Mœnia , conſorti non habitanda Remo.

Eam Auguſtus Cæſar in Regiones quatuordecim diſtribuit ,

(1) *lib.* 11. *Annal.* (2) *in Caſinâ Act.* 2. *ſc.* 6. (3) *cap.* VIII. *diſt.* 4. (4) *lib.* V. *Carm.* 5. (5) *lib.* XIV. *Adverſar. cap.* 10. *lib.* XL. *cap.* 38. (6) *lib.* II. *Semeſtr. cap.* 8. (7) *Notatis ad Tacitum lib.* 11. *Annal. num.* 62. (8) *lib.* V. *Topographiæ Urbis cap.* 19. (9) *in Deſcriptione Romæ pag.* 31. (10) *lib.* VI. *cap.* 50. (11) *lib.* XVI. *cap.* 44. (12) *Obſervationibus ad Arnobium pag* 76. (13) *lib.* I. *de Imperatore Romano cap.* 2. (14) *lib.* I. *cap.* 12. *diſt.* 4. (15) *lib.* II. *Eleg.* 5.

buit, teſte *Plinio*[1], & exacte recenſent *Onuphrius Panvinius*, *Bartholomæus Marlianus*, *Pyrrhus Ligorius*, *Georgius Fabricius* Chemnicenſis, *Jacobus Boiſſardus*, *Bernh. Gamuccius*, Petrus Scriverius[2], Paulus Merula[3], Guido Pancirollus[4]. Poſtquam Auguſtus inivit cenſum, trecenta viginti millia plebis urbanæ invenit, *Suetonius*[5]. *Plebis* intellige, de vulgo. Nam melioris ſortis & amplioris ordinis cives ille numerus haut comprehendit, non etiam mulieres, non ſervos. Et ſervorum quidem agmina optimates habebant. Cives erant in triplici differentia, *Senatores*, *Equites*, *Plebeji*, & priorum quidem ordinum duorum cives erant Patricii, ex illis aſſumebantur Senatores aliique Officiales, qui in Provinciis nomine S. P. Q. R. res gerebant. Equites iidem qui Nobiles, videlicet Primores viri claris natalibus orti & opibus pollentes, vitam ſplendidam agebant, clientum donativo, mancipiorum villicationibus, nummis in fœnore poſitis fruentes, mercimonia exercentes. His equum Cenſores donabant è publico, ejusque rei primus autor fuerat Servius Tullius Rex, *Dionyſius Halicarnaſſ.*[6], & permanſit deinceps, ut ad manum eſſent Equites pro gerendis bellis. Veniebant quotannis bis in equis Senatu inſpiciente, vocabantque *Transvectionem*, ut docet *Suetonius*[7]. Si quis adiret ſolennem conventum in equo ſtrigoſo & male habito, mulctabatur ad placitum Cenſorum. Talis Eques Ovidius erat[8]:

At memini, vitamque meam, moresque probabas,
Illo quem dederas prætereuntis equo.

Prætereuntis ſcilicet *in transvectione*, & confer *Aulum Gellium*[9], *Carolum Sigonium*[10], *Gerh. Joh. Voſſium*[11], *Lipſium*[12]. Plebeji curabant opificia, agros colebant, pecora alebant, ſuffragiorum jus non habebant. Pulſis Re-

(1) *lib.* III. *cap.* 5. (2) *in Deſcriptione Urbis.* (3) *in Coſmographiâ part.* 2. *lib.* IV. *cap.* 22. (4) *de Regionibus Urbis Romæ.* (5) *lib.* II. *cap.* 27. (6) *lib.* VI. *Hiſtor.* (7) *lib.* II. *cap.* 38. (8) *lib.* II. *Triſtium eleg.* 1. (9) *lib.* IV. *cap. ult.* (10) *lib.* II. *de Antiquo Jure Populi Romani cap.* 4. (11) *in Lexico Etymolog. pag.* 196. (12) *lib.* I. *de Militia Rom. Dialog.* 5.

Regibus, qui Nobilium jura dederant & tuebantur, manſit equidem Ordo ille, verum Plebeji dignitatum civilium partem ſibi obtinuerunt, Tribunosque deſignaverunt, qui adverſum decreta Senatus intercedendo poterant illa vel ſufflaminare vel impedire omnino, ac Conſules, Cenſores, Curiones, Augures plebeji introducti Patriciorum arrogantes ſpiritus non ſemel in ordinem redegerunt, interim ſeditiones multiplices fuerunt, quas enumerat *Florus* [1].

IV. Et quanquam Romulus ita extuliſſet Patricios, ut ſoli illi Officiales in Republ. domi forisque eſſe poſſent, ne tamen Plebejos injuriæ potentiorum obnoxios feciſſe videretur, Patronos è Nobilibus ſibi deligere juſſit eos quos vellent. Atque hi *Clientes* vocabantur, non quidem redacti in poteſtatem Patronorum, (cives enim erant) ſed tamen in comi obſequio eorum obligati, ad quos lites privatim ortas deferebant velut arbitros. Horatius [2]:

Romæ dulce diu fuit & ſolenne reclusâ
Mane domo vigilare, Clienti promere jura.

Hoc ideo, ne ſumptibus ad publica judicia ineunda requiſitis domeſticam rem attenuarent, & a Patronis iisdem in judiciis publicis, cum res magni momenti erat, defendebantur. *Inſcriptio* Beneventana: CLAUDIO. JULIO. PACATO. V. C. CONSUL. CAMP. OB. ÆQUITATEM. JUDICII. ET. PATROCINIA. JAM. PRIVATI. ORDO. BENEVENTANUS. PATRONO. POST. FASCES. DEPOSITOS. CENSUIT. COLLOCANDAM. *Gruterus* [3]. Et alia Mediolanenſis: GENETLON. P. TUTILI. CALLIFONTIS. VI. VIRI. SEN. PATR. CXXII. COLL. ÆRAR. C. A. A. M. NEG. STIP. ARG. SPLENDID. ET. JUN. PUBLICIÆ. C. F. POMPONIÆ. T. T. CONJUG. EJUS. ET. JUN. TUTILIÆ. P. F. POMPONIAN. CONSTANTII. VIVATIS. L. ROMATIUS. VALERIANUS. ET. VOCATIA. VALERIA. CUM. FILIIS. CLIENTES. *Gruterus* [4]. Notorius error eſt *Joſephi Scaligeri*, qui accuratiſſimis

(1) *lib.* I. *cap.* 23. 24. 25. 26. *lib.* III. *cap.* 14. 15. 16. 17. (2) *lib.* II. *Epiſt.* I. (3) *in Velum. p.* 424. (4) *l. d. pag.* 477.

indicibus opus illud donavit, ac exiſtimavit, *vivatis* eſſe cognomen a caſu recto, *Vivas*. Atqui non debebant ex his *Inſcriptionibus* talia cognomina erui, nam *vivatis* aliud nihil eſt quam votum Clientis poſitum in honorem Domini & Patroni, ob incolumitatem, ut bene monet *Caſpar Gevartius*[1]. Rurſum Clientes ad referendam gratiam Patronis donabant collectas pecuniarias, unde ipſi eorumque familiæ honeſtis modis alerentur, & die illo quo eorum interceſſione uſi, obtinuiſſent cauſam, obtentæ ſententiæ publicum ſignum ad fores Patroni ſuſpendebant coronam. Martialis[2]:

Sic fora mirentur, ſic te Palatia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores.

Juvenalis[3]:

— Rumpe miſer tenſum jecur, ut tibi laſſo
Figantur virides ſcalarum gloria palmæ.

Cornelius Gallus[4]:

Sæpe peroratâ percepi lite coronam,
Et data ſunt linguæ præmia digna meæ.

οἱ Φοίνικες ὅτι τῇ θύρᾳ χλωροὶ ἐστεφανωμένοι, ait *Lucianus*. Nec tantum Urbis incolæ, verum etiam Coloniæ & Socii Patronos in Urbe adoptabant. Tantæ autoritatis fideique erat hoc Patroni munus, ut ſi Patronus aliquis vel in minimo deſeruiſſe aut neglexiſſe Clientem ſuum convinceretur, Diti ſacer prævaricator eſſet, ac a quovis impune occideretur, *Dionyſius Halicarnaſſ.*[5], *Suetonius*[6], *Aulus Gellius*[7].

V. Patricii, Nobiles, Equites geſtabant Annulum aureum, *Livius*[8], & in domibus, villis, prædiis ponebant Imagines majorum cum titulis ſuis, ut eorum virtutes non legerent ſolum poſteri, verum etiam imitarentur, *Saluſtius*[9], *Valerius Maximus*[10]. Nobiles priſci erant, qui longâ ſerie majorum dignitatem generis habe-

(1) *lib.* III. *Electorum cap.* 8. (2) *lib.* VII. *Epigr.* 27. (3) *Sat.* 7 (4) *Eleg.* I. (5) *lib.* II. (6) *lib.* I. *cap.* 71. (7) *lib.* V. *cap.* 13. *lib.* XX. *cap.* I. (8) *lib.* XXIII. & XXVI. *Hiſtor.* (9) *in Jugurthinâ.* (10) *lib.* V. *cap.* 8. *num.* 3.

habebant. Dignitatem non quidem originis, ſed quia Magiſtratum illi geſſerant. Non enim ex genere, ſed ex Imaginum multitudine omnis nobilitas, & Imagines ex Magiſtratu erant. Nec tamen quovis Magiſtratu, ſed Curule, Quæſtura, Tribunatus, & qui alii inferiores honores jus Imaginis non dabant. Novi erant, qui meritis in Rempublicam clari, virtutis præmium acceperant Annulum & Imaginem. Stabant Imagines pictæ in atriis, olim etiam (antequam ſculptoria & effigiatoria in rudi populo notæ eſſent) è cerâ expreſſæ viri ſpecie, quæ in armariis latebant, & ſolum diebus feſtis in conſpectu omnium de pariete appendebantur. Tibullus [1]:

Nec quæris quid quaque index ſub Imagine dicat.

Conſtat hinc, Imaginibus appoſitos fuiſſe indiculos ſcriptos, unde ſciretur, quid glorioſe ab hoc vel illo peractum eſſet. Martialis [2]:

Atriaque immodicis arctat Imaginibus.

Et [3]:

Nec nos atria, nec domos potentum,
Nec lites tetricas forumque triſte,
Noſſemus, nec Imagines ſuperbas.

Ovidius [4]:

Nec te decipiant veteris quinquatria ceræ,
Tolle tuos tecum, pauper amator, avos.

Et [5]:

Perlege diſpoſitas generoſa per atria ceras.

Cumque domeſticorum aliquis obierat, in funere præferebantur per ſervos atrienſes veſtibus exornatæ, *Plinius* [6], *Lipſius* [7], *Tiraquellus* [8], *Cujacius* [9], *Weſenbecius* [10], *Johan. Kirchmannus* [11]. Hinc explicabis illud Juvenalis [12]:

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria.

(1) *lib.* IV. *Eleg.* 1. (2) *lib.* II. *Epigr.* 90. (3) *lib.* V. *Epigr.* 21. (4) *lib.* I. *Amorum eleg.* 8. (5) *lib.* I. *Faſtor.* (6) *lib.* XXXV. *cap.* 2. (7) *in Electis lib.* I. *cap.* 29. (8) *de Nobilitate cap.* 20. (9) *lib.* VII. *Obſervat. c.* 14. (10) *in Paratitlis ad Pandectas lib.* XL. *pag.* 1046. (11) *lib. de Annulis c.* 15. & *lib.* II. *de Funeribus Romanorum c.* 7. (12) *Sat.* 8.

Et paulo ante dixerat :

——— *Quid prodeſt, Pontice, longo*
Sanguine cenſeri, pictosque oſtendere vultus
Majorum? ——— ———

Vultus dicit, quia cerei viri illi humerotenus exſtabant, reliqua pars corporis erat lignum politum. Meminit *Seneca* [1], & de iisdem ſonant illa Vopiſci [2] : *Senatores omnes eâ eſſe latitiâ elatos, ut in domibus ſuis omnes hoſtias albas cæderent, Imagines frequenter aperirent, albati ſederent.* Optime iſta exponit *Marcellus Donatus* [3], & adde *Onuphrium Panvinium* [4], *Turnebum* [5], *Marcum Vetranium Maurum* [6].

VI. De origine & incrementis Romæ Urbis ſunt quædam in *Sacris Literis* teſtimonia, ut Interpretes aliqui cenſent. Quod *Daniel* originem notet, putat *Grotius*, verbis illis, cum ait, *lapidem a monte revulſum obruiſſe lapſu ſuo omnia iſta regna, Daniel.* [7]. Nam qui Coloſſi partem inferiorem ad Romanos applicant, falluntur. Sulpitius Severus [8] : *Crura ferrea, Imperium quartum, idque Romanum intelligitur, omnibus ante regnis validiſſimum.* De hac re diximus *in Auctariis hiſtoricis* [9]. Et vero quod *lapidem a monte revulſum* de Romanis interpretatur *Grotius*, non minus falſum eſt. Nam de novo aliquo (non tantum ratione populorum, ſed quoque regiminis) imperio agitur, uti *Danielis* verba oſtendunt [10]. Neque Romani obruerunt omnes illos in prioribus imperiis populos, a Parthis repulſi toties & profligati. Solus Chriſtus mundum totum ad ſe convertit nunciando Euangelium per Apoſtolos, *Matth.* [11]. Locus eſt Numeror. [12]. *Et naves de littore Citthim* (venient) *vaſtabuntque Ebræos, & deinceps ipſe quoque in perditionem* (tendet.) *Citthim* de Romanis exponunt Rabbinus *Salomoh*, *Aben-Eſdra*,

(1) *Epiſt.* 44. (2) *in Floriano cap.* 6. (3) *Elucidationibus ad Vopiſcum pag.* 1056. (4) *Commentario ad lib.* 1. *Faſtorum pag.* 42. (5) *lib.* XXVI. *Adverſarior. cap.* 3. (6) *Notis ad Tacitum pag.* 185. (7) 11. 34. (8) *lib.* 11. *Hiſt. ſacræ cap.* 4. (9) *pag.* 328. (10) *verſ.* 44. 45. (11) XXVIII. 19. 20. (12) XXIV. 24.

Eſdra, *Vatablus*. Nullo cum ſucceſſu, quandoquidem כתים ſunt Græci & horum vicini Inſulani, ut patet è collatione *Geneſ.*[1], *Dan.*[2], 1. *Maccab.*[3], & confer *Sebaſtianum Caſtalionem*[4]. Græci ſunt, qui Aſſyrios eorumque ſucceſſores Medos & Perſas armis ſubegerunt, transvecti Helleſpontum. Et Aſſyrii, Medi, Perſæ ſunt עבר / id eſt, περάτης appellative capiendo, illi qui ultra flumen ſunt. *Flumen*, id eſt, Euphratem. Etiam hunc ſuperaverunt Græci, Inſulani, (quos inter potentiſſimi erant Cyprii, Cretes, Rhodii) Macedones ſub Rege Alexandro Magno, & devaſtaverunt florentiſſimas Orientis Provincias. Sequitur, *ipſe in perditionem tendit*, factumque eſt, cum victricia Græcorum arma ſuccubuerunt fortunatis Romanorum ſucceſſibus, *Florus*[5].

CAP. II.

De Jure Civitatis Romanæ.

I. CIVIS plenus Romanus erat qui Domicilium, Tribum & Suffragii poteſtatem in Urbe habebat. Domicilium quidem, ut quoties ab exteris advenirent, receptum haberent, Cives honorarii etiam Romæ acquirere ſibi poterant, ſed nec illi Tribum vel Suffragium capiebant, neque privilegiis omnibus civium fruebantur. Tribus certas in tabulis deſcriptas publicabant, eaſque triginta quinque, uti numerant *Carolus Sigonius*, *Onuphrius Panvinus*, *Aldus Manutius*, *Raphaël Volaterranus*, *Wolffgangus Lazius*, *Alexander Donatus*, & poſt illos *Godelevius*[6], *Jacobus Stoer*[7]. Jus Suffragiorum hoc erat, ut poſſent Magiſtratus creare, judicia facere, in cenſum deferri, hæreditates & legata capere, gentilitatem, agnationem, adoptionem ſortiri, in legionibus militare. Quod omne acceperunt, poſtquam Valerius Publico-

(1) x. 4. (2) xi. 2. (3) i. 1. (4) *Annotatis ad h. l. pag.* 338. (5) *lib.* ii. *cap.* 8. 12. *lib.* iii. *cap.* 5. *lib.* iv. *cap.* ii. *ad Livium pag.* 34. (6) *Notatis Juris pag.* 1014. (7) *in Lexico*

blicola Conſulatum adeptus, Plebi detulit, ne Optimatum poteſtas nimia eſſet, *Livius*[1].

II. Cives honorarii erant imprimis quos alias vocabant Colonos & Municipes. Coloni deducebantur ex Urbe ad loca bello ſubacta, quorum incolæ, ſi qui a clade belli ſupererant, in ſervitutem redigebantur, bonis fundisque eorum ad Romanos cives ditiores precio, ad egenos vero & milites veteranos per donationem tranſlatis, ut loca illa deinceps in fide erga Romanos perſtarent, & peregrinæ nationes hac velut cuſtodiâ ſepirentur. Nam ab indigenis timendum erat, ne aliquando receptis viribus inſurgerent & pro libertate ſuâ armis certarent. Vetus hic mos eſt, & a Græcis Aſiæque Populis uſurpatus, quod teſtantur exempla in Sacris, 1. *Reg.*[2], *Eſdræ*[3], *Cicero*[4], *Thucydides*[5], *Plutarchus*[6], *Machiavellus*[7], & *Conringius*[8]. Utebantur illi Romanis legibus, magiſtratibus, cerimoniis ſacris, Prætor ab urbe mittebatur qui jus diceret, ac Coloni ex frugibus, pecoribus, paſcuis vectigalia certa pendebant, unde commodum publicum augebatur, uti dicemus *infra*[9]. Municipes in Urbem cooptabantur, verum legibus ſuis, ſacris, magiſtratibus pro arbitrio utebantur, (niſi ſponte mallent jus Romanum aſſumere) ſaltem ut appellatio eſſet ad tribunal Romanum in cauſis graviſſimis, neque Tribum certam habebant. Suos, inquam, magiſtratus deſignabant, & majorum cerimonias retinebant. Lanuvienſes, qui Municipes erant, proprium habebant Pontificem, *Vellejus*[10] Quidam etiam, ut Tuſculani, Hernici, Volſci, Arpinates, obtinuerant jus Suffragiorum, *Livius*[11], *Valerius Maximus*[12], *Johannes Coraſius*[13]. Sic olim erat: nam poſt editam legem Juliam & Pompejam, quâ civitatis Romanæ jura omnibus Italis data ſunt, Muni-

(1) *lib.* XI. *Hiſtor.* (2) XVII. 24. (3) IV. 2. (4) *Oratione pro Flacco.* (5) *lib.* II. (6) *in Pericle.* (7) *de Principe cap.* 3. (8) *Animadverſionibus ad h. l. pag.* 24. (9) *cap.* 3. *diſt.* 10. (10) *lib.* I. *Hiſtor.* (11) *lib.* VI. & VIII. (12) *lib.* IX. *cap.* 10. (13) *lib.* III. *Miſcellaneorum Juris cap.* 6.

Municipum & Colonorum jura pariter ac nomina in desuetudinem venerunt, *Ulpianus*[1], & *Guido Pancirollus*[2].

III. Civitas acquirebatur: (1) *Per nativitatem*. Et primis quidem seculis, quicunque Civis plenus esse volebat, utroque parente Cive natus esse debebat, ut patet ex Appii oratione, quam recitat *Livius*[3]. Deinceps sufficit, ut Civis esset, qui patre Cive genitus erat[4]. Aut etiam matre Cive, ex rescripto Adriani, *Ulpianus*[5]. *Hybridam* vocat *Horatius*[6]. Perinde in usu erat apud Græcos. Nam Athenienſium leges jubebant, ut quis utrumque parentem Civem haberet, cum ipse Civis esse vellet: Civis vero haut erat, qui alterum tantum parentem Civem habebat, *Aristoteles*[7]. Donec Pericles lege latâ sanciebat, Civem esse qui patrem Civem, matrem peregrinam habebat, *Plutarchus*[8]. Et apud Hebræos ille qui patre quidem Cive, matre vero servâ aut peregrinâ natus erat, Civis ex quorundam opinione non erat, sed nothus & illegitimus, neque illi patrimonio fruebantur. Exemplo est Jephta, *Judic.*[9] ubi est, בן אשה זונה quod *Alexandrini* vertunt υἱὸς γυναικὸς πόρνης, *meretrice natus*, reddunt *Castalio*, *Pagninus*, *Tigurini*, *Tremellius*, *Petavius*[10], itaque inter spurios illustres numerant eum *Gabriel Palæottus*[11], *Johan. Piscator*[12]. Porro *ex adulterio prognatum esse*, annotant *Serarius* & *Menochius*. Quod tamen falso dici, satis constat inde quia conqueritur de injuriâ sibi factâ, *Judic.*[13]. Erat patrimonii sibi debitâ parte mulctatus, & patriâ familiâ abdicatus. De quo conqueri non poterat, si ex adulterio natus, aut vero etiam spurius fuisset. Conqueritur vero, quandoquidem apud Ebræos Proselyta in eodem cum verâ Israëlitide gradu erat vi legis divinæ. Si non erat Proselyta, ejici poterat filius, secundum processum ab

(1) *l.* 1. *ff. de Municip.* (2) *de Magistratibus Municipalibus.* (3) *lib.* 11. (4) *l. Assumptio* 6. §. *Filius ff. de Municip.* (5) *in Institut.* §. 2. *de Latin. in usu.* (6) *lib.* 1. *Sat.* 7. (7) *lib.* 111. *Politic. cap.* 1. *lib.* 1v. *cap.* 4. (8) *in Periclis vitâ pag.* 108. (9) XI. 1. (10) *in Rationario Temporum part.* 1. *pag.* 22. (11) *de Spuriis pag.* 429. (12) *Commentario ad librum Judicum quæst.* 60. (13) XI. 7.

ab Esdrâ institutum, *Esdræ*[1], & confer *Joh. Seldenum*[2]. Virgilius[3]:

——— ——— *Patri quos Dædala Circe*
Suppositâ de matre, nothos furata creavit.

ubi Servius[4]: *Nothos, id est, materno genere ignobiles.* Sic & *Aristophanes*[5], cum νόθον *spurium* vocat, qui est ξένης γυναικὸς peregrinæ mulieris filius. (2) *Per Cooptationem*, ut peregrinis ob maxima eorum in Rempublicam merita & ad Reipublicæ incrementa procuranda liberaliter daretur, vel per donationem: vel ut ab eis certo precio redimeretur, exemplo Centurionis, *Actor.*[6]. Nimirum victores Romani, ut novæ injuriæ licentiam eriperent vicinis eis quos semel vicerant, victos miscuerunt victoribus. Et initium fecit Romulus cooptando Sabinos, qui cum auxissent civitatem, honore maximo culti sunt a Numâ & Tarquinio Prisco, *Livius*[7]. (3) *Per manumissionem*, de quâ est *infra*[8].

IV. Magna Civis Romani dignitas erat, privilegia ampliſſima, quamobrem *Cicero*[9] dicit: *An quis amplissimus Galliæ cum infimo Cive Romano comparandus est?* De capite, opibus & libertate eorum non poterat statui nisi in Comitiis centuriatis, *Cicero*[10]. Itaque cum Marcus Tullius Consul jussisset Catilinæ socios in carcere strangulari, quoniam illi Cives Romani fuerant, proscriptus est, domus ejus incensa & area Libertati consecrata promulgante edictum Clodio Tribuno, *Vellejus*[11], *Dion Cassius*[12], *Plutarchus*[13], & *Cicero* ipse[14]. Nec minus *Cicero*[15] accusat Prætorem illum Siciliæ in maximis, quod Cives Romanos jussu proprio capitis supplicio affecerat: *Facinus*, ait, *est vinciri Civem Romanum, scelus verberari, prope parricidium necari*[16]. Ne virgis quidem sævire licebat in corpus ejus per ullum in Provinciis designa-

(1) X. 3. 44. (2) *de Successione ad leges Ebræorum pag.* 30. (3) *lib.* VII. *Æneid.* (4) *in Commentario pag.* 466. (5) *in Nubibus.* (6) XXII. 27. 28. (7) *lib.* I. *Histor.* (8) *lib.* IV. *cap.* I. *dist.* 4. (9) *pro Marco Fonteio.* (10) *Orat. pro S. Pompejo.* (11) *lib.* II. (12) *lib.* XXXVIII. *Histor.* (13) *in Vitâ ejus.* (14) *Oratione pro Sextio.* (15) *in Verrinis declamationibus.* (16) *Orat.* 5. *Verrin.*

gnatum Magiſtratum, ſi provocaſſet, ac per *Notores* (uti vocat *Seneca*[1]) ſive prædes ſpopondiſſet, Civem ſe Romanum eſſe, antequam in Comitiis maximis, Romæ cauſa cognoſceretur, & velut facinoroſus damnaretur. Hoc Paulum ſervavit ne flagris ſubjiceretur, *Actor.*[2] (ubi confer *Danielem Heinſium*[3], *Balduinum Walæum*[4]) Et vox illa, *Civis Romanus ſum*, apud latrones etiam multis incolumitatem procuravit, teſte *Cicerone*[5].

V. De Suffragiis ferendis per Comitia curiata, centuriata, tributa, nihil addimus, legique poſſunt omnia illa apud *Joachimum Perionium*[6], *Flavium Blondum* Forolivienſem[7], cumprimis *Nicolaum Grucchium*[8], unde præcipua deſcripſit *Johannes Roſinus*[9], liberalis, ut ſolet, ex alieno, itaque *Reineſius* de illo tulit acrius judicium[10]: *Iſte homo in quodvis opus condemnandus potius fuit, quam ad Romanas antiquitates digerendas admittendus, adeo nihil ſani ubique fere docet, niſi cum autores integros deſcribit, & nihil de ſuo inculcat, quam primum autem dat è ſuo penu aliquid, nugas blatit.* Poterat jus civitatis amitti per delictum civile, id quod merito ſuo capitale non erat. Et iſte, qui jus hoc amiſerat, dicebatur, *ad peregrinitatem redactus eſſe*, Ulpianus[11]. *Suetonius*[12]. Hoc quoque notetur, peregrinos haut uſos eſſe prænomine, quod tunc demum, cum in Urbem allegabantur, feciſſe eos teſtantur *Cicero*[13], & ibidem *Gothofredus*[14], *Johannes Meurſius*[15]. Ejus rei exempla innumera ſunt apud *Johannem Glandorpium* & *Reinerum Reineccium*[16], nec non *Onuphrium Panvinium*[17], *Antonium Auguſtinum*[18], *Carolum Sigonium*[19], *Claud. Salmaſium*[20]. CAP.

(1) *Epiſt.* 39. (2) XVI. 37. *cap.* XXII. 25. (3) *lib.* V. *Exercitation. cap.* 13. (4) *in Commentario perpetuo pag.* 1251. (5) *l. d.* (6) *lib.* II. *de Magiſtratibus Græcorum & Romanorum pag.* 319. (7) *lib.* III. *de Româ triumphante fol.* 60. (8) *libris tribus de Comitiis Populi Romani.* (9) *lib.* VI. *Antiquit. Romanarum.* (10) *lib.* I. *Variarum Lectionum cap.* 15. (11) *l.* X. §. 4. *ff. de in Jus vocand.* (12) *lib.* V. *cap.* 16. (13) *lib.* XIII. *Epiſt. familiar.* 30. & 36. (14) *in Notis pag.* 236. (15) *in Auctario Philologico pag.* 121. (16) *in Onomaſtico hiſtoriæ Romanæ.* (17) *de Antiquis Romanorum Nominibus.* (18) *lib.* III. *Emendationum & Opinionum cap.* 8. (19) *de Nominibus Romanorum.* (20) *de Nominibus & Prænominibus Romanorum.*

CAP. III.

De Magiſtratibus variis.

I. TOTIUS Urbis Conſilium erat SENATUS, quem Romulus inſtituit, centum ſpectatæ fidei viris creatis, qui abſente Rege curarent negocia civilia, eoſque ab ætate *Senatores*, a cura *Patres* appellavit. Lunam dimidiatam in calceis ferebant, id eſt, ligulam ita conformatam, quæ centenarii nota erat, tot enim erant numero Senatores, uti ſcribunt *Alexander Neapolitanus* [1], *Jacobus Nicolaus Loënſis* [2], ὑπόδημα μηνοειδὲς eſt apud *Philoſtratum*. Nam cauſæ aliæ, quas rimantur *Plutarchus* [3], & *Cœlius Rhodiginus* [4], eæ merito negliguntur. Juvenalis [5]:

—— —— *Et nobilis & generoſus*
Appoſitam nigræ Lunam ſubtexit alutæ.

Martialis [6]:

Lunata nuſquam pellis & nuſquam toga.

Colerus vult emendare,

Lanata nuſquam pellis.

& dictum putat de *pelliceo indumento*. Sed conjectura eſt ocioſa: agit enim Poëta de Româ cultâ, quando pellicea dudum in uſu non erant amplius, Lunam vero Senatores & Nobiles in calceis geſtabant, uti ſatis conſtat: *Togæ* ſunt anteambulones togati, clientes & alii ſportularum aſſeclæ, de quibus eſt alibi [7]. Rurſum Martialis [8]:

Non extrema ſedet lunatâ lingula planta.

Auctus eſt numerus * confecto bello adverſum Sabinos additis centum, *Dionyſius Halicarnaſſ.* [9]. Trecentos effecit Tar-

* Hujus lectionis non meminit *Livius*, centum tantum a Romulo una lectione, ducentos a Priſco conſtitutos narrat l. 1. c. 35. a Bruto deinde tot adlectos, ut trecentorum numerum explerent, cum is cædibus regum aliquo modo diminutus eſſet l. 2. c. 1. hoſque qui tum in ſenatum erant a Bruto lecti *Patres Conſcriptos* vocatos aſſerens.

[1] *lib.* v. *c.* 18. [2] *l.* iv. *Miſcellan. c.* 25. [3] *in Problematis Romanis quæſt.* 79. [4] *lib.* xi. *cap.* 28. [5] *Sat.* 6. [6] *lib.* i. *Epigr.* 50. [7] *lib.* x. *Epigr.* 47. & 51. [8] *lib.* ii. *Epig.* 29. [9] *lib.* ii.

Tarquinius Priſcus, ut populi favorem obtineret, nam quos ille adjecit, Plebeji erant, ſed Patriciis decreto regio æquati, *Dionyſius Halicarnaſſ.* [1] Hos vocabant *Patres Conſcriptos*, titulo celebri & qui deinde poſt ejectos Reges in publicis ad Senatum alloquiis adhibebatur, *Livius* [2]. Nec aliter Ovidius [3]:

Aut ut erunt Patres in Julia templa vocati,
De tanto dignis Conſule rebus aget.

Julia templa Cæſaris forum puta, quod ille poſt victoriam contra Pompejum obtentam Templo Veneris circumduxit, ac Romanum forum eſſe voluit non quidem rerum venalium, ſed eorum qui ad jura convenirent, teſte *Appiano* [4], & confer *Juſtum Lipſium* [5]. De Curiâ ordinariâ paulo antea dixerat:

Protinus inde domus vobis Pompeja petatur,
Non eſt Auguſto junctior ulla foro.

Et quod ſequitur:

Aut reget ille ſuos dicendo jura Quirites,
Conſpicuum ſignis cum premet altus ebur.

Curiam Pompejam depingit *Jacobus Laurus* [6]. Nam antea erat Curia Hoſtilia a Rege Tullo Hoſtilio condita, quam depingit idem *Laurus* [7]. Cæterum Equeſtris ordinis viri in Senatu nulli fuerunt, donec Gracchus Tribunus plebis ſeditioſis rogationibus nobilis, trecentos Equeſtris ordinis viros ingereret, ac ſexcentos efficeret Senatores, *Plutarchus* [8]. Hos ultima vice creatos vocabant *Senatores Pedarios*, quia *pedibus ad curiam ibant, non vero etiam curru vecti*, ut *Aulus Gellius* exponit [9]. Et quia in pleno conſeſſu non occupabant *ſellas curules*, id eſt, eminentiores, ſed in *ſubſelliis*, id eſt, depreſſioribus ſellis, contenti ſediſſe aderant quidem, dum conſultabant alii, de voto ferendo non item rogabantur, tantum quod latæ ab aliis ſententiæ votum ſuum adderent, &

[1] *lib.* III. [2] *lib.* II. [3] *lib.* IV. *de Ponto Eleg.* 5. [4] *lib.* III. *Rerum Civilium.* [5] *lib.* III. *de Magnit. Urbis Romæ cap.* 7. [6] *part.* I. *Antiquitat. Romanar. num.* 7. [7] *part.* I. *Antiquitat. Romanar. num.* 19. [8] *in Gracchi Vitâ pag.* 22. [9] *lib.* III. *cap.* 18.

ſuffragio eam velut roborarent. Martialis[1]:

Sedeas in alto tu licet tribunali,
Et è curuli jura gentibus reddas,

& confer *Jacobum Revardum*[2], *Johannem Coraſium*[3], *Johannem Zamozcium*[4], *Petrum Crinitum*[5]. Hic numerus, uti noviſſimus varias contradictiones paſſus nunc obtinuit, nunc rejectus eſt. Sylla Dictator mutavit quædam, *Appianus*[6]. Julius Cæſar Dictator inſtituit nongentos, *peregrinos in Senatum alliciendo*, ait *Suetonius*[7]. Ita Senatum pro imperio auxit, eſtque notus *Ciceronis* jocus ad Laberium: *Recepiſſem te niſi anguſte ſederem.* Demum etiam mille in Triumvirorum concertationibus fuerunt, ſed correxit Auguſtus Imperator & honeſte dimiſſis illis, qui abundare viſi fuerant, ſexcentos ad modum veterem reſtituit, *Suetonius*[8], *Dion Caſſius*[9], & ex illis *Carolus Sigonius*[10], *Flavius Blondus*[11], *Guilhelmus Budæus*[12], *Johannes Zamozcius*[13].

II. E Senatu, cum neceſſitas poſtulabat, deligebantur Magiſtratus extraordinarii, *Dictator*, *Magiſter Equitum*, *Interrex*, *Cenſores*. DICTATOR ſummus Magiſtratus & poteſtatis abſolutæ, a quo non licebat provocare ad Populum, inſignia omnia quæ Regum antea fuerant, uſurpabat, & lictorum turbâ comitatus viginti quatuor ſecures & faſces oſtentabat, de pace belloque agebat præſentioris imperii viribus, exercitum ſcribebat, educebat, abdicabat, omnia pro arbitrio decidebat. Nam quod *Bodinus*[14], contendit, *poteſtatem Dictatoris obnoxiam fuiſſe Populi & Tribunorum juſſis*, a vero diſcedit, rectèque confutat *Arniſæus*[15]. Tantam poteſtatem ſemeſtrem eſſe voluerunt, ne in tyrannidem abi-

(1) *lib.* XI. *Epigram.* 99. (2) *in Conjectaneis lib.* III. *cap.* 10. (3) *in Miſcellaneis Juris civilis lib.* VI. *cap.* 2. (4) *lib.* I. *de Senatu Romano pag.* 34. (5) *lib.* XV. *de honeſtâ Diſcipl. cap.* 7. (6) *lib.* I. *de Bello Civili.* (7) *lib.* I. *cap.* 80. (8) *lib.* II. *cap.* 35. (9) *lib.* LV. (10) *lib.* II. *de Antiquo Jure Civium Roman. cap.* 2. (11) *lib.* III. *de Româ triumphante fol.* 67. (12) *Annotatis prioribus ad Pandectas pag.* 62. (13) *loco dicto pag.* 85. (14) *lib.* I. *de Republ. cap.* 8. (15) *in Elect. Polit. lib.* II. *cap.* 2. *ſect.* 15. *num.* 19.

abiret, *Polybius* [1], *Dionyſius Halicarnaſſ.* [2], *Livius* [3], & confer *Onuphrium Panvinium* [4], *Bartholomæum Marlianum* [5], *Stephanum Vinandum Pighium* [6], *Alexandrum Neapolitanum* [7], *Boeclerum* [8], *Boxhornium* [9]. Cæſaris vero *Dictaturam perpetuam inter abuſus dominationis* recte *Suetonius* [10] refert.

III. Adjungebatur ei MAGISTER EQUITUM, quem Dictator ipſe è viris Conſularibus aut Prætoriis eligebat, ut abſentis locum in exercitu teneret. Nihil tamen arbitrio proprio audebat, quod Papirius Curſor exemplo ſuo probavit, de quo agit *Valerius Maximus* [11]. Gerebat munus illud olim Tribunus Celerum apud Reges, & geſſit deinceps Præfectus Prætorio apud Imperatores, uti ſcribit *Pomponius* [12], & confer *Weſenbecium* [13], *Petrum Fabrum* [14], *Bulengerum* [15], *Guidonem Pancirollum* [16], *Guilhelmum Budæum* [17].

IV. INTERREX ordinabatur, ne civitas ſine imperio eſſet, aut olim defuncto Rege, aut poſtea Comitiis Conſularibus morbo Conſulum, bello, ſeditione, impeditis. Obibat ille ad quinque dies tantum, quæ vel Regum vel Conſulum propria munia erant, *Dionyſius Halicarnaſſ.* [18], *Livius* [19], *Joh. Stadius* [20], *Alexander Neapolitanus* [21]. *Inſcriptio* Narbonenſis: T. COMINIUS. C. F. PO. DUOMVIR. ÆDILIS. INTERREX. *Gruterus* [22].

V. CENSORES duo erant, morum diſciplinæque rectores. Et primo quidem annis quinque præfuerunt muneri illi, ac Populus ſingulis luſtris cenſebatur. Præ-

(1) *lib.* III. (2) *lib.* V. (3) *lib.* II. (4) *Commentariis ad lib.* I. *Faſtorum pag.* 70. (5) *Commentariis ad Annales Conſulum, Dictatorum & Cenſorum p.* 8. (6) *in Annalibus Urbis.* (7) *lib.* IV. *cap.* 23. (8) *Notis ad Vellejum pag.* 118. (9) *Diſſertat. Politicâ* 9. (10) *lib.* II. *cap.* 76. (11) *lib.* II. *cap.* 7. (12) *de Origine Juris.* (13) *Paratitlis ad Pandectas lib.* I. *pag.* 30. (14) *lib.* I. *Semeſtrium cap.* I. 2. 3. (15) *de Imperat. Rom. lib.* III. *cap.* 8. 9. (16) *Commentario ad Notitiam Imperii Orientalis cap.* 5. & 7. & *Commentario ad Notitiam Imperii Occidentalis cap.* 2. (17) *Annotatis prioribus ad Pandectas pag.* 103. (18) *lib.* II. (19) *lib.* I. & VII. *Hiſtor.* (20) *Commentariis ad Florum pag.* 27. (21) *lib.* V. *cap.* 6. (22) *in Volumine pag.* 394.

cipua ergo horum functio erat, Censum facere & lustrum condere. *Censum facientes* inquirebant, quando quis natus esset, quando ad virilem ætatem perveniset, quando obiisset? Servius Tullus Rex jusserat pro strictiori Censuræ administratione servandâ, ut cum quis nasceretur, æris aliquid in fano Junonis Lucinæ solveretur, iterum cum quis togam primam acciperet, in fano Juventæ precium solvebat, denique in fano Veneris Libitinæ pecuniæ, tantulum erogabatur cum morerentur, *Dionysius Halicarnass.* [1]. Hoc etiam rogabant, quo se quisque modo domi suæ erga uxorem, liberos, servos, propinquos, necessarios, vicinos gereret? quæ domestica esset disciplina? unde victus & amictus? quis opum usus & abusus? quis focus & mensa? Describebant Romanorum civium capita, & in classes pro opum quantitate redigebant, ita distinguebantur a *Proletariis*, qui nihil in ære habebant, & in diem tantum vivebant, mercenariorum & operarum vulgus, turba inutilis ad colonias deducendas sæpius adhibita, ut civitas exoneraretur a purgamentis civitatis, *Nonius Marcellus* [2]. Finito Censu prælegebantur è tabulis nomina Senatorum, Equitum, Plebejorum. Et quorum nomina haut legebantur, illi Senatu aut Tribu moti esse ob delicta magna intelligebantur. Inter ipsos vero Senatores primo loco recitari, perhonorificum erat, isque *Princeps Senatus* vocabatur, dignitatis aliquid habebat præ cæteris, nihil potentiæ. Principum Senatus indiculum refert *Onuphrius Panvinius* [3]. Is semel lectus honore illo, dum vivebat, potiebatur, è Consularibus aut Censoriis viris. Eadem ratione *Princeps Equestris Ordinis* dicebatur ille, quem Censores primo loco descripserant in tabulis. *Lustrum condebant*, cum quinto anno Urbem Lustralibus, id est, piacularibus Sacrificiis in campo Martio multis cum ritibus expiabant. Valerius Maximus [4]: *Ne Africanus quidem posterior nos de se tacere patitur: Qui Cen-*

[1] *lib.* IV. [2] *de Proprietate Sermonum cap.* 1. *num.* 342. [3] *Commentario ad lib.* V. *Fastor. p.* 335. [4] *lib.* IV. *cap.* 1. *num.* 10.

Cenſor, cum Luſtrum conderet, inque ſolito fieri Sacrificio Scriba ex tabulis publicis ſolenne ei precationis carmen præiret, quo Dii rogabantur, ut Populi Romani res meliores amplioresque facerent: Satis, inquit, bonæ & magnæ ſint, itaque precor ut eas perpetuo incolumes ſervent Suetonius[1]: *Cum Luſtrum magnâ populi frequentiâ in Campo Martio conderet, aquila eum ſæpius circumvolavit.* Cum negociorum moles premeret eos, impetraverunt a Senatu Populoque, ut anno uno & ſex menſibus Cenſuram agerent, ac deinceps creati quidem ſunt Cenſores poſt finitum quinquennium, ſed tribus annis & ſex menſibus ocium habuerunt. Dignitas eorum magna fuit, omnia Conſulum inſignia habebant, exceptis lictoribus. Opes publicas † privataſque in tabulas referebant, uti illas cives jurato profitebantur, vectigalia locabant Publicanis, qui fere ex Equeſtri Ordine erant, Senatores, qui negligentius in conſilio aderant, abrogabant, Equites puniebant, equo & annulo ademptis, Tribu movebant cives pravos in Ceritum tabulas referendo illos, ut ſine lege & ſuffragio eſſent, ex albo centuriæ ſuæ expuncti, atque inter proletarios relati bona eorum a cenſoribus, ipſi *incenſi* (ut vocabant) a Conſulibus vendebantur, *Valerius Maximus*[2], *Livius*[3], *Onuphrius Panvinius*[4], *Alexander Neapolitanus*[5], *Jacobus Stoer*[6], *Johan. Goeddæus*[7], *Bartholomæus Marlianus*[8], *Hugo Grotius*[9]. Et vero inter Cæſaris honores nimios erat, *morum Præfectura*, Suetonius[10]. Rem habuit, titulum Cenſoris perpetui per ſpeciem modeſtiæ recuſavit.

VI. Ordinarii Magiſtratus erant *Conſules*, *Proconſules*, *Prætores*, *Tribuni plebis*, *Quæſtores*, *Triumviri capitales*. Ac CONSULES quidem poſt ejectos Reges duo creabantur, qui anno præeſſent. Duo erant, quod novam

† prædia, pecunias, ſervos, pecudes.

(1) *lib.* II. *cap.* 97. (2) *lib.* II. *cap.* 9. (3) *lib.* IV. (4) *Commentariis ad lib.* I. *Faſtor. pag.* 86. (5) *lib.* III. *cap.* 13. (6) *in Lexico Juris pag.* 210. (7) *Commentario de Verborum & Rerum ſignificationibus pag.* 818. (8) *in Annalibus Conſulum p.* 20. (9) *lib.* II. *de Jure B. & P. c.* 5. *diſt.* 32. (10) *l. d.*

libertatem uni periculoſe committi arbitrarentur, ac diviſo imperio, ſi alter malus eſſe voluiſſet, alter eum habens poteſtatem æqualem coherceret: nec imperium longius quam anno habebant, *ne per diuturnam poteſtatem inſolentiores redderentur, ſed civiles eſſent, qui ſe poſt annum ſcirent futuros eſſe privatos*, Eutropius[1]. Jus militiæ ſummum habebant, civibus & ſociis imperabant, Tribunos militum †, Centuriones, officiales majores, minores deſignabant, Populum convocabant, Fœdera ſanciebant, Leges promulgabant. Breviter: *Autoritas erat in Senatu, poteſtas erat in Populo*, dicente *Cicerone*[2]. Nam a Senatu ad Populum provocare licebat velut ad judicem majorem. Quin & Tribunorum interceſſio arbitrium pacis, belli, ferendarum legum eripuit illis, *ut ſine Populi juſſu nulli earum rerum Conſuli jus eſſet*, ait *Saluſtius*[3], & adde *Onuphrium Panvinium*[4], *Alexandrum Neapolitanum*[5], *Boxhornium*[6]. Sceptrum vel ſcipionem eburneum, in cujus apice erat aquila, tenebant manu, quando in curia jus dicebant. Juvenalis[7]:

Da nunc & volucrem ſceptro quæ ſurgit eburno.

Prudentius[8]:

Aquilâ ex eburnâ ſumit arrogantiam
Geſtator ejus.

Inde eſt quod Domitianus in equo ſedens, manu ſceptrum, tanquam Conſulatus inſigne geſtans, imprimatur Numiſmatis apud *Antonium Auguſtinum*[9]. Similiter Antoninus Cæſar ſceptrum & rami laurum tenet in ſtatuâ ſub tecto quodam columnis ſuperimpoſito[10], & confer *Thomam Reineſium*[11].

VII. Poſt Conſules eminuerunt PRÆTORES. Quia enim Conſules domi quidem morbis, foris bello impediri poterant, nec eſſet qui jus diceret, Regum exem-

† Initio quidem, ſed poſt id mutatum Livius *l.* VII. *c.* 6. & *l.* IX. *c.* 30.

(1) *lib.* 1. *Breviarii pag.* 487. (2) *lib.* III. *de LL.* (3) *in Catilinariâ.* (4) *Commentario ad lib.* 1. *Faſtorum pag.* 57. (5) *lib.* III. *cap.* 3. (6) *Diſſertat. Politic.* 8. (7) *Sat.* 10. (8) *de Coronis pag.* 203. (9) *Tab.* 31. *num.* 3. (10) *Tab.* 42. *num* 14. *Tab.* 47. *num.* 6. (11) *in Epiſtolis num.* 21. 23.

exemplo, *qui in bellum profecturi, ne urbs ſine imperio eſſet, loco ſuo urbis præfectum deſignabant*, (*Dionyſius Halicarnaſſ.*[1], *Tacitus*[2]) voluerunt Prætores conſtituere duos. Urbanum unum, qui civibus Romanis jus diceret, Peregrinum alterum, qui Latinis, advenisque jus explicaret. Edicta ſua inſcribebant albo, ut facilius innoteſcerent, id eſt, tabulæ nigræ cretatis literis. Plautus[3]:

Si id fiat, ne iſti faxim nuſpiam appareant,
Qui hic albo pariete aliena oppugnant bona.

Lectio eſt in codice *Meurſii*, & multis hic deſudant Viri Docti, ut venentur ſenſum, quod referunt *Robertus Titius*[4], *Villiomarus*[5], *Taubmannus*[6]. Edicta Prætorum fori parietibus affigebantur, vel lapideis pilis ſurrectis appendebantur, ut omnes è plano legere poſſent. Vult ergo *Plautus*, bona aliena albo ſeu tabulâ edicti Prætorii ad parietem ſuffixâ oppugnari, lite conteſtatâ adiri, & confer *Jacobum Stoer*[7], *Thomam Dempſterum*[8], *Johan. Coraſium*[9], *Vultejum*[10], *Johan. Calvinum*[11]. Lapideas pilas illas *Plinius*[12] appellat *ſtelas*, eodemque prorſus ſenſu Eccleſia dicitur eſſe στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, 1. *Timoth.*[13] ubi στύλος eſt hujuſmodi pila vel ſtela. De quâ re prolixe agit *Jacobus Gothofredus*[14]. Numerus Prætorum eſt auctus, poſtquam bello victis populis dari debebant Magiſtratus a victore Populo, itaque Prætores multi in regionibus Europæ, Aſiæ, Africæ & Inſularum, qui Proconſulibus ampliſſimorum regnorum Senatus nomine præfecturam gerentibus ſuberant, ut cum prætor Judææ ſuberat Proconſuli Syriæ. Erat enim Judæa pars Syriæ ab antiquo, quanquam legibus ſuis uteretur & libertatem armis vindicaſſet ad-

(1) *lib.* 11. (2) *lib.* VI. *Annal.* (3) *in Perſâ Act.* I. *ſc.* 2. (4) *in Locis Controverſis lib.* X. *cap.* 23. (5) *Animadverſis ibid. pag.* 197. (6) *Commentario ad Plautum pag.* 951. (7) *in Lexico Juris pag.* 86. (8) *Notis ad lib.* I. *Johan. Roſini pag.* 163. (9) *lib.* IV. *Miſcellaneor. cap.* 6. (10) *Commentario ad lib.* IV. *Inſtitut. pag.* 693. (11) *in Lexico Juris pag.* 56. (12) *lib.* VI. *cap.* 28. (13) III. 15. (14) *in Exercitationibus ſacris.*

verſus Syriæ Reges. Prætores ibant in publico ſex lictoribus comitati, qui totidem faſces & ſecures ferebant, uti refert *Plutarchus*[1]. De Prætoribus vide *Onuphrium Panvinium*[2], *Alexandrum Neapolitanum*[3], *Johan. Goeddæum*[4], *Joachimum Stephani*[5], *Weſenbecium*[6], & *Hahnium*[7].

VIII. Ac PROCONSULES quidem poteſtatem Conſulum obtinebant, verum extra Urbem in Provinciis validarum nationum bello ſubactarum, in quas aut finito Magiſtratus anno (poſtquam in Urbe Conſules fuerant) aut ex inferioribus Magiſtratibus, aut etiam hactenus privati a Conſulibus mittebantur. Et eorundem juſſu belli duces quoque pro tuendis finibus aut proferendis, exercitum validum per ſtationes diſpoſitum militari imperio regebant, factumque eſt ſæpius, ut a legionibus dicerentur Imperatores, habebantque poteſtatem Legatos, id eſt, locumtenentes in provincias mittendi, viros peritos rei militaris, ut in partem curarum venirent lites decidendo, controverſias judicando, pecuniam in rationes referendo, *Livius*[8], *Dionyſius Halicarnaſſ.*[9], & ex illis *Onuphrius Panvinius*[10], *Alexander Neapolitanus*[11], *Jacobus Stoer*[12].

IX. Locus eſt *Lucæ*[13], qui ad hanc rem pertinet. Verba ſunt iſta: *Per id tempus decreto promulgatum eſt ab Auguſto Cæſare, ut cenſeretur orbis totus.* Orbe pene toto pacato majus erat imperium Romanum quam ut ullis externis viribus exſtingui poſſet, ait de temporibus iſtis *Florus*[14]. Pergit: *Qui primus cenſus habitus eſt Quirino Prætore Syriæ.* Ita vertit *Caſtalio* illud quod in Græco eſt, ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. Proconſul & rector Syriæ erat Sentius Saturninus, ut nos docet *Joſe-*

(1) *in Vitâ Æmilii Macedonici.* (2) *Commentario ad lib.* I. *Faſtorum pag.* 107. (3) *lib.* II. *cap.* 15. (4) *Commentario de Rerum & Verborum ſignificat. pag.* 23. (5) *lib.* III. *de Jurisdictione cap.* 5. 6. (6) *in Paratitlis ad Pandectas pag.* 78. (7) *ad eundem in Obſervatis Tomo* I. *pag.* 135. (8) *lib.* III. (9) *lib.* II. (10) *Commentario ad lib.* I. *Faſtorum pag.* 118. (11) *lib.* II. *cap.* 27. *lib.* VI. *cap.* 3. (12) *in Lexico Juris pag.* 806. (13) II. 1. (14) *lib.* IV. *cap.* 2.

Joſephus [1]. Quirinum vero ἡγεμόνα τῆς Συρίας vocat Euangeliſta, quod cum imperio extraordinario miſſus erat ab Auguſto ad faciendam deſcriptionem. Mos enim fuit Imperatoribus, ut primarios in Republicâ viros mitterent ad cenſus agendos. Geſſerat nuper Quirinius res feliciter in Ciliciâ vicina Syriæ, cujus pars erat Judæa, ut refert *Tacitus*, atque iſto modo, licet Patricius non eſſet, in Senatum pervenerat. Solet ἡγεμονεύειν pro majori poteſtate qualibet promiſcue uſurpari, *Matth.* [2], *Lucæ* [3], *Actor.* [4]. Ergo titulus ἡγεμόνος illi competere poteſt, qui cum imperio extraordinario venit. Bis vero in Syriam venit Quirinius, ſemel cum extra ordinem mittebatur ad numerandas facultates & vires provincialium, de quo *Lucas* [5] meminit: alterâ vice, cum ordinarius Syriæ rector & Proconſul ab exceſſu Quintilii Vari (hic vero poſt Saturninum miſſus erat) qui in Germaniam profectus ad ſilvas Hercinias cæſus fuerat, imponebatur. Et hac quidem poſtrema vice novum cenſum egit, Archelai opes in fiſcum retulit, Judæis tributa imperavit, quod hactenus nemo fecerat, *Joſephus* [6]. Τὴν ἀπογραφὴν πρώτην dicit Euangeliſta, ut cenſum hunc primum diſtinguat a cenſu ſecundo, quem idem Quirinius egit, & meminit *Lucas* [7]. Illum obſequioſi pertulerunt Judæi, hunc Judas Gaulonites concitâ ſeditione, & Sadocum primæ inter Phariſæos notæ virum in partes vocando, turbavit, negans ἀπελεύθοις quales Romani erant, tributum ſalvâ religione exſolvi poſſe, velut ſervitutis arrham. De eadem re meminit *Lucas* [8], & prolixius deſcribit *Joſephus* [9]. Diſſerunt accurate *Caſaubonus* [10], *Richardus Montacutius* [11], *Fridericus Spanhemius* [12], *Balduinus Walæus* [13], *Franciſcus Stipmannus* [14],

(1) *l.* XVI. *c.* 13. (2) XXVII. 2. (3) III. 1. (4) XXIII. 26. 33. 34. (5) *in Euangelio.* (6) *lib.* XVII. *cap.* 7. *lib.* XVIII. *cap.* 1. (7) V. 37. (8) *cap.* XIII. 1. (9) *lib.* XI. *cap.* 2. (10) *Exercitat.* 1. *contra Baronium diſſ.* 28. 29. 30. 31. 32. (11) *in Originibus Eccleſiaſticis Exercitat.* 8. (12) *in Dubiis Euangelicis part.* 2. *pag.* 121. (13) *Commentario perpetuo ad Euangeliſtas pag.* 535. & *Commentario ad Acta Apoſtolica pag.* 1073. (14) *Diſſertatione de Cenſu habito per Quirinium.*

Dionyſius Petavius [1].

X. TRIBUNI PLEBIS creati ſunt poſtquam Conſules & Senatores annis ſedecim ab ejectis Regibus Urbi præfuerant, non ſine plebis damno, (uti quidem Plebeji credebant) quam cenſibus deſcribendis pro uſu expeditionum adverſus hoſtes vexarent. Proinde factâ ſeceſſione in montem Sacrum, ut concordia reduceretur, poſtulatis annuit Senatus, & conceſſit Tribunos plebis, cuſtodes illos defenſoresque juris ac libertatis, ut Plebis commoda adverſus Patricios & Optimates tuerentur, Senatuſque decreta vel approbarent ſuffragio, vel intercederent, *Livius* [2], *Dionyſius Halicarnaſſ.* [3], & ex illis *Onuphrius Panvinius* [4], *Alexander Neapolitanus* [5], *Boxhornius* [6]. *Summam poteſtatem eos geſſiſſe*, ait *Saluſtius* [7]. Et addit, *eos Plebem exagitare ſolitos criminando Senatum.* Quod eis non difficile factu in eâ oportunitate fuit, & exempla Gracchorum, Rulli, Cornelii, Labieni, Curionis, Antonii teſtantur apud *Ciceronem* & *Appianum* locis multis. Lucanus [8]:

——— ——— *Venali Curio linguâ*
Vox quondam populi, libertatemque tueri
Auſus & armatos plebi miſcere potentes.

Eorum adjuncti non unius generis fuerunt. Scilicet: (1) ÆDILES PLEBIS, qui ædificia publica inſpiciebant, ne tempeſtatum vi aut aliâ occaſione damnum caperent. Delubra, balnea, aquæductus, curiam, forum, popinas, theatra, mœnia, vias ſtratas intra & extra Urbem, cloacas in debito ſtatu conſervabant, navalia curabant & ibi detentorum fabrorum ſtipendia quotidie ſolvebant ad claſſem validam habendam pro maris imperio, & continendis in poteſtate Gentibus remotiſſimis. Annonam quoque regebant, ne a flagellatoribus precium ejus aut bonitas corrumperetur, ludos publi-

[1] *lib.* XI. *de Doctr. Temporum cap.* 8. *& in Rationario Temp. part.* 2. *lib.* IV. *cap.* 2. [2] *lib.* II. [3] *lib.* VI. [4] *Commentariis ad lib.* I. *Faſtorum pag.* 74. [5] *lib.* I. *cap.* 3. *lib.* V. *cap.* 2. [6] *Diſſert. Polit.* 10. [7] *in Catilinar.* [8] *lib.* I. *Pharſal.*

publicos edebant, matrimonia & funera, ne ſumptuoſa eſſent nimis, advertebant. Sed ne Plebi honor ille integer eſſet, ÆDILES CURULES adjecit Senatus, viros Patricios, ut meliori cum ſucceſſu omnia perage-rentur, & Senatus nullo officiorum genere a Plebe ſuperari ſeſe pateretur, *Dionyſius Halicarnaſſ.*[1], *Cicero*[2]. Reliqua omnia ſumptibus publicis ſtabant, ludos vero propriis impenſis exhibebant. *Inſcriptio* Neapolitana: L. EGNATIO. JUVENTO. PATRI. L. EGNATII. POLLIONIS. RUFI. HONORATI. EQUO. P. AB. IMPERATORIB. ANTONINO. ET. VERO. AUG. HIC. OBLITERATO. MUNERIS. SPECTACULO. IMPETRATA. EDITIONE. AB. INDULGENT. MAX. PRINCIPIS. DIEM. GLADIATORUM. ET. OMNEM. APPARATUM. PECUNIA. SUA. EDIDIT. COLONI. ET. INCOLÆ. PUTEOLAN. OB. MUNIFICENTIAM. EJUS. L. D. D. D. *Gruterus*[3]. Et Prænestina: CN. VOESIO. CN. FIL. APRO. QUÆSTORI. ÆDILI. II. VIRO. FLAMINI. DIVI. AUG. VI. VIRO. AUGUSTALI. CURATORI. ANNONÆ. TRIENNIO. CONTINUO. CURATORI. MUNERIS. PUBLICI. GLADIATORI. III. QUOD. IS. TEMPORE. HONORUM. CURARUMQUE. SUARUM. PLENISSIMO. MUNIFICENTIÆ. STUDIO. VOLUPTATIBUS. ET. UTILITATIBUS. POPULI. PLURIMA. CONTULERIT. LUDUM. ETIAM. GLADIATORIUM. ET. SPOLIAR. SOLO. EMPTO. SUA. PECUNIA. EXSTRUCTUM. PUBLICE. OBTULERIT. CUJUS. MERITIS. POSTULANTE. POPULO. STATUAM. PUBLICE. PONI. PLACUIT. D. D. *Gruterus*[4]. Niſi quantum ſpectatores viritim tribuerent, & ſæpe quidem ita liberaliter ut expenſas & inſuper plura recuperarent; quare multi, ne ſumptus illos facerent cum jacturâ patrimonii, defugiebant Ædilitatem, teſte *Cicerone*[5]. (2) TRIUMVIRI NOCTURNI, qui hæc agebant, ut derectarios prohiberent, receptatores obſervarent, nocturnos graſſatores compeſcerent, incendiis mature reſtinguendis auxilio irent, *Vellejus*[6], *Valerius*

[1] *l.* 6. [2] *Orat.* 7. *Verrin.* [3] *in Volumine pag.* 474. [4] *libro dicto pag.* 489. [5] *lib.* 11. *de Officiis.* [6] *lib.* 11.

rius Maximus[1], *Tacitus*[2], *Dion Caſſius*[3]. Donec Auguſtus in Urbis ſummo incremento ordinaret cuſtodias publicas è militibus, eiſque Præfectum Vigilum adjungeret, *Suetonius*[4], *Strabo*[5], *Dion Caſſius*[6], *Seneca*[7], *Weſenbecius*[8], & ejuſdem expoſitor *D. Hahnius*[9], *Berneggerus*[10], *Pancirollus*[11]. (3) TRIUMVIRI MONETALES, qui aureos, argenteos, æreos nummos cudebant. Hinc eſt illud ſigillum: A. A. Æ. F. quod recte exponitur. *aurum*, *argentum*, *æs feriunto* & publice ſignanto, uti refert *Cicero*[12], & conferantur *Johannes a Chokier*[13] peculiari tractatu, nec non *Matthæus Hoſtus*, *Franciſcus Hottomannus*, *Andreas Schottus*, libris ejuſdem argumenti. *Inſcriptio* Romana: C. CÆRELLIO. FUFIDIO. ANNIO. RAVO. C. F. O. V. F. POLITITIANO. SODALI. MARCIANO. AURELIANO. COMMODIANO. HELVIANO. SEVERIANO. III. VIR. MONET. A. A. A. F. F. TRIB. LATICLAVIO. LEG. III. CYR. VI. VIR. EQUIT. ROM. TURMÆ. PRIMÆ. QUÆSTOR. CANDIDATO. IMP. CÆSARIS. M. AURELII. ANTONINI. PII. FELÍCIS. AUG. TRIB. PL. CANDIDATUS. PR. HASTAR. C.V. FUFIDII. AMYCUS. ET. CHRESTINA. NUTRITORES. *Gruterus*[14]. (4) QUADRUMVIRI VIARUM, qui vias regias lapide ſtratas intra & extra Urbem curabant, *Pomponius*[15]. *Inſcriptio* Fulginenſis: CN. DOMITIO. SEXTO. F. VEL. AFRO. TITIO. MARCELLO. CURINO. LUCANO. MIL. LEG. V. ALAUD. IIIIVIR. VIARUM. CURANDARUM. PATRONO. *Gruterus*[16]. Et alia Tarraconenſis: M. FADIUS. PRISCUS. IV. VIARUM. CURANDARUM. TRIB. MILIT. LEG. I. Q. PROVINC. ACHAJÆ. CARONIO. SECUNDO. F. *Gruterus*[17], & confer *Juſt. Lipſium*[18].

(5)

[1] *lib.* VIII. *cap.* 1. [2] *lib.* V. *Annal.* [3] *lib.* LIII. LIV. [4] *lib.* II. *cap.* 30. [5] *lib.* V. *Geograph.* [6] *lib.* LV. [7] *Epiſt* 65. [8] *in Paratitlis pag.* 80. [9] *Tom.* I. *Obſervation. pag.* 137. [10] *Diatribis ad Auguſtum Suetonii p.* 159. [11] *ad Notitiam Imperii Occidentalis c.* 6. [12] *lib.* III. *de LL.* [13] *de re Nummariâ priſci ævi.* [14] *in Volumine pag.* 379. [15] *Titulo de Origine juris.* [16] *libro dicto pag.* 403. [17] *libro dicto pag.* 409. [18] *Notis ad Tacitum lib.* III. *Annal. num.* 62.

(5) QUINQUEVIRI MENSARII, qui ſubhaſtationibus, id eſt, bonorum mobilium auctionibus præerant, & precia rerum venditarum per *Coactores* (uti *Horatius*[1] appellat) exigebant. *Inſcriptio* Romana: T. STABERIO. SECUNDO. COACTORI. ARGENTARIO. VIATOR. CONSULARIS. ET. PRÆT. SIBI. ET. CLAUDIÆ. STRATONICÆ. UXORI. *Gruterus*[2]. Ærarii commoda procurabant, credita & debita in publicos indices referebant, uſuras publicas elocabant. Quanquam enim fœnus omne perinde non eſſet damnandum, uti *Salmaſius*[3], & *Johannes Coraſius*[4], probant, non tamen pauperum flagellatores ſemper tolerabant Romani, quales erant Trapezitæ & Menſarii Romæ, ita dicti quod menſæ in foro poſitæ inſiderent & fœnerandi occaſionem quærerent, *Jacobus Stoer*[5], *Auſonius Popma*[6], *Deſiderius Heraldus*[7], *Sigonius*[8]. Sæpe lucrum inhoneſtum percipiebant, eoque ipſo pauperes ad ſummam inopiam redigebant, quare vulgus oderat illos & turbas concivit. Catilinæ ſodales apud Saluſtium: *Miſeri, egentes, violentia & crudelitate fœneratorum.* Cicero[9]: *Improbantur ii quæſtus qui in odia hominum incurrunt, ut partitorum, ut fœneratorum.* Ut ergo levarentur pauperes, Quinqueviris negocium datum eſt.

XI. Quod Ærarium attinet, propior ejus cura & ſuprema illa erat penes QUÆSTORES. Hos primum duos habuerunt, qui monetam paratam cuſtodiebant, prædas in Urbem allatas juſto precio vendebant, Legatis peregrinorum aut ſociorum Regum diverſorium in villa publica extra mœnia condita (quam pingit *Jacobus Laurus*[10], & indicat *Barthol. Marlianus*[11]) aperiebant & Lautia præbebant, belli expenſas annumerabant, vecti-

[1] *lib.* I. *Sat.* 6. [2] *in Volumine pag.* 627. [3] *de Fœnore trapezitico.* [4] *lib.* VII. *Miſcellaneorum Juris civilis cap.* 10. *num.* 5. 6. 7. [5] *in Lexico Juris pag.* 115. [6] *lib.* I. *de Verborum differentiis pag.* 60. [7] *Obſervationibus ad Jus Atticum & Romanum lib.* II. *cap.* 24. 25. 26. [8] *lib.* II. *de Antiquo Jure civium Romanorum cap.* II. [9] *lib.* I. *de Officiis.* [10] *part.* I. *Antiquitatum Romanorum Tab.* 27. [11] *Topographiæ urbis lib.* VI. *pag.* 116.

vectigalia Provinciarum certa (quæ alias *ſtipendia* vocabantur) in rationes publicas referebant, incerta Publicanis addicebant, quæ illi a mercibus nomine *portorii* exigerent: quæque *decimarum* nomine capiebant ab illis, qui agros publicos arabant: & quæ *ſcripturæ* titulo petebant ab illis, qui ſilvis & paſcuis publicis fruebantur: quæque demum *macelli* † titulo accipiebant ab omnibus



rebus ad victum pertinentibus. Hæc in ſummam aliquam redacta permittebant ut redimerentur a Publicanis, cauſâ quæſtus, atque hi a Provincialibus exigebant periculo ſuo, & Reipublicæ ſeſe obligabant datis ſponſoribus. Cumque Publicani fere Equites Romani eſſent, facile illis erat precia rerum augere, præter juſtum exigere, muneribus vero etiam ad amicos in Urbe potentes miſſis, defendere ſeſe adverſus querelas Provincialium, πάντες πλῶναι, πάντες ἅρπαγες, ait *Xenon* [1]. Itaque male audiebant, apud Hebræos cumprimis. *Matth.* [2], *Lucæ* [3]. Cœterum *vectigalia Imperii patrimonium* vocat *Florus* [4]. Ob tot & tanta negocia quatuor, octo, demum (Julii tempore) quadraginta in Urbe & Provinciis fuerunt Quæſtores, *Plutarchus* [5], *Aulus Gellius*

† Cujus ectypum ſubjecimus ex nummo apud F. Nardinum *l.* III. *Romæ veteris* c. 7.

(1) *in Epigrammatis veteribus.* (2) XVIII. 17. (3) III. 12. 13. *cap.* 15. 1. 2. (4) *lib.* III. *cap.* 13. (5) *in Vitâ Publicolæ pag.* 59.

lius[1], *Alexander Neapolitanus*[2], *Guilhelmus Budæus*[3], *Johan. Stadius*[4], *Jacobus Stoer*[5].

XII. TRIUMVIRI CAPITALES aperiebant & claudebant Prætoris juſſu ergaſtula, carceres, piſtrina, latomias, ubi facinoroſi attinebantur, *Dionyſius Halicarnaſſ.*[6], *Valerius Maximus*[7], *Livius*[8], *Aulus Gellius*[9]. Facinoroſos intellige, de ſervis & viliſſima plebe: nam Civium melioris fortunæ vita opeſque, cum deliquiſſent, in Comitiis centuriatis judicabantur, uti eſt *ſupra*[10]. Carcer unus & horrendus ſatis erat in clivo Capitolii, a Rege Anco Martio ſtructus, a Servo Tullio perfectus, unde *carcer Tullianus* vocabatur, *incultus tenebris & odore fœdo, atque terribilis ejus facies*, ait *Saluſtius*[11], & confer *Barthol. Marlianum*[12]. Plautus[13]:

Quid faciam nunc ſi Tresviri me in carcerem compegerint,
Inde quaſi è promptuariâ cellâ depromar ad flagrum.

Et paulo poſt:

Ita quaſi incudem me miſerum homines octo validi cædunt.

Homines octo ſunt totidem lictores ſive quæſtionarii, qui Triumvirorum juſſu flagris puniebant delicta ſervorum ad columnam Nœniam. Horatius[14]:

Sectus flagellis hic Triumviralibus
Præconis ad faſtidium.

Præco adſtabat & ictus numerando exclamabat, tot vicibus debere cædi facinoroſos, non pluribus nec minoribus. *Triumvirali ſupplicio* eſt apud *Tacitum*[15], ubi vide *Juſtum Lipſium*[16]. Et apud eundem[17]: *Neque in ipſos modo autores, ſed in liberos quoque eorum ſævitum, dele-*

(1) *lib.* XIII. *cap.* 13. (2) *lib.* II. *cap.* 2. (3) *Annotatis prioribus ad Pandectas pag.* III. (4) *Commentariis ad Florum pag.* 191. 195. (5) *in Lexico Juris pag.* 831. (6) *lib.* III. (7) *lib.* V. *cap.* 3. *lib.* VIII. *cap.* 4. (8) *lib.* XXXIX. (9) *lib.* III. *cap.* 3. (10) *cap.* II. *num.* 4. (11) *in Catilinaria.* (12) *in Topographiâ Urbis Romæ lib.* III. *cap.* 15. (13) *Amphitruone Act.* I. *ſc.* 1. (14) *lib.* V. *Carm.* 4. (15) *lib.* V. *Annal.* (16) *in Annotatis num.* 17. (17) *in Vitâ Julii Agricolæ cap.* 2.

delegato Triumviris miniſterio, ut monumenta clariſſimorum ingeniorum in comitio & foro urerentur. Triumviros Capitales intelligit, ut annotant *Michael Virdungus*[1], *Henricus Savilius*[2]. Rurſum Plautus[3]:

——— ——— *Nam jam ex hoc loco*
Ibo ego ad Tresviros, veſtraque ibi nomina
Faxo erunt, capitis te perdam ego & filiam.

Et[4]:

Ubi ſape cauſam dixeris pendens adverſus octo
Aſtutos, audaces vires, valentes virgatores.

Virgatores ſunt quæſtionarii & lorarii, de quibus antea dictum. Confer *Taubmannum*[5], *Petrum Fabrum*[6], *Turnebum*[7], *Johan. Laurembergium*[8].

XIII. *Liber primus de rebus geſtis Maccabæorum cap. VIII.* deſcribit multa, quæ ad Civitatis Romanæ ſtatum cognoſcendum pertinent, nec tamen ſine errore. Percurremus ſingula, quamvis in illis ſive corrigendis ſive conciliandis operam ſedulam navaverint *Serarius*[9], *Salianus*[10]. Verba ſunt iſta.

℣. 1. *Eos placido animo acquieſcere iis omnibus, quæ proponebantur ipſis*] Si poſtulata illa æqua eſſent. Deſcribitur Civitatis ſtatus, quomodo fuit ante bellum Numantinum. De quo tempore Florus[11]: *Hactenus Populus Romanus pulcher, egregius, pius, ſanctus, atque magnificus.* Poſtea degeneravit valde, creſcentibus cum ipſâ imperii mole vitiis, ut docet *Auguſtinus*[12].

Et quicunque ad ipſos veniunt, conſtituere cum eis amicitiam] Servare cum eis amicitiam, qui ſeſe ad ipſos applicuerunt. Dicebat Florus[13]: *Summa fœderum Romanis religio eſt*, & ſimilia *Aulus Gellius*[14] adfert è *Sexto Cæcilio.*

℣. 2. *Rebus ſtrenuis quas gerebant apud Galatas*] Notat Vatablus: *Gallos intelligit, apud quos Cæſar ſpacio decem annorum maximas res geſſerat, eoſque in poteſtatem Populi Romani redegerat.* Hæc ille. Committitur ἀναχρονισμὸς, quandoquidem agitur

(1) *Commentario ad h. l. pag.* 8. (2) *ibidem pag.* 310. (3) *Aſinariâ Act.* 1. *ſc.* 2. (4) *Act.* 2. *ſc.* 2. (5) *Commentario ad h. l. pag.* 110. (6) *lib.* 11. *Semeſtrium cap.* 6. (7) *lib.* XXIV. *Adverſarior. cap.* 31. (8) *in Antiquario p.* 490. (9) *Commentariis ad h. l.* (10) *in Annalibus ſacris Tom.* 6. *pag.* 166. (11) *lib.* 11. *cap.* 19. (12) *lib.* 111. *de C. D. cap.* 21. (13) *lib.* 11. *cap.* 6. (14) *lib.* XX. *cap.* 1.

tur de rebus geſtis hactenus: Cæſaris geſta longo poſt tempore contigerunt, annis centum & ultra. Rectius accipitur de bello cum Galatis in Aſiâ peracto, brevi poſt quando Antiochus Magnus profligatus erat, *Florus* [1], *Livius* [2].

℣. 3. *Et quæcunque fecerant in regione Hiſpaniæ*] Florus [3].

℣. 4. *Reges qui invaſerant eos ab extremis terris*] Qui eos bello petiverant, Pyrrhus Macedo, Viridomarus Gallus, Syphax Numida, *Florus* [4].

℣. 5. *Philippum quoque & Perſeum Cetheorum regum*] *Cetheorum*, id eſt, Macedonum, uti diximus *ſupra* [5]. Bellorum ſeriem deſcribunt *Livius* [6], *Florus* [7], *Juſtinus* [8], *Eutropius* [9].

℣. 6. *Antiochum Magnum Regem Aſiæ*] Syriæ, multarumque præterea in Aſiâ provinciarum. Referunt *Livius* [10], *Juſtinus* [11], *Florus* [12], *Appianus* [13].

℣. 7. *Et quia ceperunt eum vivum*] Conſtat, Autorem virum bonum (Propheta enim haud fuit) deceptum famâ retuliſſe, quæ vero diſſimilia ſunt. Allaborat *Serarius*, ut quem *Tridentini Patres* Canonicis aſcripſerant, eum ab errore liberet. Olim Apocryphus erat, teſte *Hieronymo* [14]. Et vero, quod *Serarius* dicit, *Regem captivum factum & a Scipione dimiſſum*, unde probabit? Narrat *Florus* [15], quod Rex non ſpectaverit prælium. *Polybius* [16] addit, Regem victum fide acceptâ veniſſe Lyſimachiam & pacis leges procuraviſſe.

Datis obſidibus] Viginti, ut refert *Livius* [17].

Et diviſione inſtituta.] Romanis dedit partes Europæ & Aſiæ cis-Taurinæ, ut habent verba Romanorum in reſcripto illo, quod exſtat apud *Appianum* [18].

℣. 8. *Regiones vero has, Indiam, Lydiam, & alias ex optimis regionibus illius ab eo acceptas regi Eumeni tradiderant*] Indiam neuter poſſedit unquam neque Romanus, neque Syrus, itaque nec eripi Syro, nec Pergamento dari potuit, Mediam retinuit Antiochus. Unde ergo ſunt relata iſta? *Serarius*, *Emanuel Sa*, *Menochius* ſubſidio eunt, *ad veritatem hiſtoriæ ſufficere*, *quod Judas audita retulerit in literas*, *etſi res aliter ſeſe habeat*. Parum vero hoc eſt ad excuſandum ψευδογράφημα. Sane Judas incola partium Syriæ melius omnino ſciebat pacis leges cum Rege ſuo factas, ac ut de Indiâ & Mediâ vellet co-

(1) *lib.* 11. *cap.* 11. (2) *lib.* XXVIII. (3) *lib.* 11. *cap.* 17. (4) *lib.* 1. *cap.* 18. *lib.* 11. *cap.* 4. & 6. (5) *cap.* 1. *num.* 6. (6) *lib.* XXXI. 32. 33. 34. 40. 41. (7) *lib.* 11. *cap.* 7. & 12. (8) *lib.* XXIX. 30. 33. (9) *lib.* IV. (10) *lib.* XXXIV. (11) *lib.* XXXI. (12) *lib.* 11. *c.* 8. (13) *in Syriacis.* (14) *in Prologo galeato.* (15) *lib.* 1. *cap.* 8. (16) *lib.* XVII. (17) *lib.* XXXVIII. (18) *in Syriacis.*

gitare manifeſtum errorem. Ergo *Franciſcus Junius* & *Hugo Grotius* [1], imputare malunt deſcriptorum negligentiæ: ac corrigunt, *regiones has, Ioniam, Myſiam, Lydiam ab illo acceptas dederunt Eumeni Regi.* Ita docent *Livius* [2], *Appianus* [3].

℣. 9. *Et quia Græci conſilium inierant invadendi & tollendi ipſos*] Græcos intellige Ætolos, Hiſtros, omnemque late Cephaleniam, Zacynthum, & quicquid Inſularum in eo mari inter Ceraunios montes jugumque Malæum, unde Antiochus acceperat auxilia.

℣. 10. *Et miſerunt adverſus eos Ducem*] Fulvium Nobiliorem. *Livius* [4], *Florus* [5], *Appianus* [6], *Juſtinus* [7].

℣. 13. *Quibus vero vellent auxilio eſſe ut regnarent, regnabant*] Ut Maſiniſſa Numidiæ, Eumenes Pergami, Pruſias Bithyniæ Reges.

℣. 14. *Et in omnibus iſtis nemo portabat diadema*] Poſt Reges ejectos, cum Dictator & Conſules ſummam poteſtatem inter ſe diviſerant, ut non uſurparent regia inſignia, *ſupra* [8].

℣. 15. *Senatum feciſſe ſibi & quotidie conſilium ſibi eſſe trecentorum viginti*] Demptis viginti illis, qui per librarii errorem accreverunt, numerus trecentorum ad veritatem congruit, *ſupra* [9].

℣. 16. *Et committunt uni homini per ſingulos annos Magiſtratum ſuum, qui imperium habeat totius terræ ipſorum*] Ecquis vero unus ille, cui per ſingulos annos imperium committunt? *Conſularem poteſtatem intelligit*, ait *Vatablus* [10]. At Conſules ſemper erant duo, ut ſolis radio clarius in Romanorum antiquitatibus ſcriptum eſt. Quod dicit Salianus, *fuiſſe quandoque Conſules ſine collegâ*, hoc tamen erat rariſſimum & præter inſtitutum primitus editum, uti *Marlianus* [11] teſtis eſt. Neque ad Dictatorem poteſt referri, hoc enim munus gerebat quidem unus, ſed nec Magiſtratus ordinarius erat, nec annuus, *ſupra* [12]. Rurſum Menochius: *falſa quidem hæc ſunt, verum ita Judas audiverat.* Melius omnia iſta noverat Judas in tantâ Romani Populi celebritate, poſtquam leges & inſtituta bellica eorum pervaſerant Orientem totum, verum negligentia Scriptoris (hominis quidem non mali, ſed qui Prophetico ſpiritu deſtitutus errare poterat) famam rei maculavit falſâ relatione.

℣. 22. *Exemplum illius epiſtolæ, quam reſcripſit Senatus in ta-*

(1) *Notis ad h. l.* (2) *lib.* XXXVIII. (3) *in Syriacis.* (4) *lib.* XXXVIII. (5) *lib.* II. *cap.* 9. 10. (6) *in Syriacis.* (7) *lib.* XXXII. (8) *num.* 2. & 6. (9) *num.* 1. (10) *in Notis.* (11) *in Annalibus Conſulum.* (12) *num.* 2.

tabulis æreis] Fœdera deſcribebant in tabulis æreis & deponebant ad poſteritatis memoriam in Capitolio, ut exemplis docent *Plinius* [1], *Polybius* [2], *Cicero* [3], *Livius* [4], & vide quæ nos diximus *ſupra* [5].

CAP. IV.

De Miniſtris Curiæ.

I. MAGISTRATUS fuerunt iſti, de Miniſtris eorum porro dicemus. Hi erant *Scribæ*, *Apparitores*, *Accenſi*, *Præcones*, *Interpretes*, *Viatores*, *Lictores*, *Carnifices*. Ac SCRIBÆ quidem, dicente *Feſto*, erant librarii, qui rationes publicas, leges, acta omnia deſcribebant in tabulis. *Inſcriptio* Romana: DIIS. MANIBUS. C. TELEGENNI. OPTATI. L. ANTHI. VIATORIS. QUÆSTORI. AB. ÆRARIO. ET. SCRIBÆ. LIBRARII. QUÆSTORI. TRIUM. DECURIARUM. *Gruterus* [6]. Vile genus hominum, & vere miniſtri: adeoque ſcribit Cornelius Nepos [7]: *Scribarum munus apud Græcos multo honorificentius fuiſſe, quam apud Romanos.* Nam Græci admittebant eos tantum, qui honeſto loco nati & exploratæ induſtriæ eſſent, ut tuto ad majora eniti poſſent; Romani vero Scribas aſſumebant è ſervis & mercenariis, quibus non licebat ſupra calamum & atramentum majus aliquid ſapere vel ſperare †, adeoque eum licentiâ temporum abuſi vellent aſpirare ad non ſperanda, Cato Uticenſis morum communis magiſter in ordinem redegit proletarium hoc genus hominum, teſte *Plutarcho* [8]. Nunc viveres Cato, & Scribas de foro noſtro videres criſtatos, arrogantes! Ubi priſca fides! Horum

† Neque tamen omnis iis ad honores aditus erat intercluſus, ut oſtendit exemplum Flavii, qui quanquam ſcriptum feciſſet, Ædilis tamen curulis eſt factus. Livius *l.* 9. *c.* 46. & Cicereji qui Scipionis Africani majoris ſcriba fuerat, qui cum in campum Africani filium candidatum prætoriis comitiis deduxiſſet, ſeque omnibus centuriis Scipioni anteferri vidiſſet, è templo deſcendit *Valerius Maximus.*

(1) *lib.* XXXIV. *cap.* 9. (2) *lib.* III. (3) *in Catilinariâ.* (4) *lib.* IV. 3. (5) *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 6. (6) *in Volumine pag.* 627. (7) *in Vitâ Eumenis.* (8) *in Vitâ ejus.*

pars magna Cæſarum ævo erant οἱ ταχυγράφοι, Notarii, qui laborem & ocium comparcendo ſcribebant per ſigla, id eſt, notas abbreviatas, quarum ſpecimen exhibuit *Janus Gruterus* [1]. Eos a Cicerone originem habere, narrat *Plutarchus* [2], & confirmat *Petrus Bembus* [3]. Ad Mæcenatem refert inventum *Dion Caſſius*, ὅτι πρῶτος σημεῖα τινὰ γραμμάτων πρὸς τάχος ἐξεῦρε. Ipſe *Cicero* [4] de ſeipſo: *parum intellexit credo, quia δι' σημείων ſcripſeram.* Itaque *Plutarchus* [5] vocat σημειογράφους, & confer *Torrentinum* [6]. Nec enim tam literæ erant quam literarum ſigna, itaque *ſigla* vocabant, id eſt, ſingulares literas. Deſcribit *Plutarchus* [7], σημεῖα ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων δύναμιν ἔχοντα, *ſigna in parvis & brevibus figuris multarum literarum vim includentia.* Juſtinianus [8], σημείοις ἐν τῇ γραφῇ ἅπερ σίγλας καλοῦσιν. De Veſpaſiano memorat Suetonius [9]: *E pluribus comperi, notis quoque excipere velociſſime ſolitum, cum amanuenſibus ſuis per ludum jocumque certantem, imitantem chirographa, quæcunque vidiſſet.* Eodem pertinent illa Manilii [10]:

Hic & ſcriptor erit velox cui litera verbum eſt,
Quique notis linguam ſuperet, curſimque loquentis.
Excipiat longas nova per compendia voces.

& *Joſephus Scaliger* [11]. Rurſum Suetonius [12]: *Nepotes & literas & natare aliaque rudimenta per ſe plerumque docuit ac nihil æque laboravit, quam ut imitarentur chirographum ſuum.* Ubi recte *Lipſius* [13] emendat, *notare.* De literis enim præcedit, & de chirographo ſequitur, quod utrumque nihil omnino ad natandi artem pertinet. Confer *Jacobum Cujacium* [14], *Marcellum Donatum* [15], *Hermannum Hugonem* [16], *Eliam Vinetum* [17], & *Janum Gruterum*

(1) *Peculiari Volumine.* (2) *in Vitis illuſtribus.* (3) *lib.* v. *Epiſt.* 8. (4) *lib.* xv. *ad Atticum Epiſt.* (5) *l. d.* (6) *in Notis ad lib.* vii. *Suetonii pag.* 651. (7) *in Catone.* (8) *in Codice de utroque Jure enucleando.* (9) *lib.* x. *cap.* 3. (10) *lib.* v. *Aſtronom.* (11) *Notatis ibidem pag.* 287. (12) *lib.* xi. *cap.* 64. (13) *Centur.* i. *epiſt. ad Belgas num.* 27. (14) *lib.* xii. *Obſervationum cap.* 10. (15) *in Dilucidationibus ad Sueton. pag.* 775. (16) *de Primâ Scribendi origine cap.* 17. & 32. (17) *Commentarii ad Auſonii Epigrammata num.* 74.

terum[1], ubi eſt: CL. CLAUDIANO. V. C. TRIBUNO. ET. NOTARIO.

II. APPARITORES erant miniſtri Conſulum & Senatorum, qui domeſtica eorum negocia curabant, & in publico aſſequebantur eos animi gratiâ prodeambulantes, quomodo Lictores in comitatu Conſulum ad Curiam prodeuntium erant, cum faſcibus & ſecuribus, ut terrorem facerent. Plerique erant libertini, cumque hero ſatisfeciſſent, cohortibus permiſcebantur: tandem domi foriſque opibus partis Equitum Ordini aſſcripti & in Senatum quandoque allecti ſunt, ut prodit *Tacitus*[2].

III. ACCENSI non tam Conſulum & Senatorum quam Curiæ miniſtri, per Urbem emittebantur ad *acciendos*, id eſt, evocandos in Curiam cives, ne in publicis rebus citra Quiritum ſuffragium aliquid definiretur. Etiam inſerviebant Prætoribus, ut litibus concertantes reos, actores, teſtes accierent, regerent dicentes & contradicentes, ne inveherentur nimium præ calido animi affectu, denunciarent miſſionem horis elapſis.

IV. Eorum pars aliqua PRÆCONES varia peragebant. Adſtabant Quinqueviris Menſariis, ut precia rerum venalium in auctionibus publicis nunciarent: Advocatis & Sacerdotibus, ut ſilentium pro concionibus patienter audiendis imperarent: Comitiis, ut Tribus pro ferendis ſuffragiis ordine provocarent, & qui Magiſtratus novi creati eſſent, proclamarent. Senatoribus, ut illis, cum leges ad Populum recitabant, verba præformarent.

V. INTERPRETES comitabantur Legatos & Oratores Reipublicæ nomine apud exteros agentes, ut linguâ notâ conferrent, mandatiſque eo felicius defungerentur.

VI. VIATORES erant, qui a villis in Curiam accerſebant, Patres, Conſules, Senatores, Prætores, Tribunos, ajunt *Plinius*[3], *Columella*[4], & prolixe *Marcel-*

(1) *Volum. inſcript. pag.* 391.
(2) *lib.* XIII. *Annal.*
(3) *lib.* XVIII. *cap.* 3.
(4) *Præfat. ad lib.* I.

cellus Donatus [1]. *Inſcriptio* Romana apud *Gruterum* [2]: IMP. ÆLIO. CÆSARI. ANTONINO. IMP. TRAJANI. HADRIANI. AUG. PONT. MAX. TRIB. POT. XXII. IMP. II. CONS. III. P. P. FILIO. DIVI. TRAJANI. PARTHIC. N. DIVI. NERVÆ. PRONEPOTI. TRIB. POTEST. COS. VIATORES. QUI. CÆSARIB. ET. COS. ET. PR. APPARENT, ET H. V. Priſco ævo Urbis Proceres morabantur in villis, agriculturæ & pecorariæ ſtudioſi. Seneca [3]: *Hoc ſcio noſtros fuiſſe majores, hoc illum Ælium Tuberonem, cujus paupertas virtus fuit, hoc Fabricium Samnitium non accipientem munera, hoc cæteros Patres noſtros, quos apud aratra ipſa, mirantes decora ſua, circumſtetere lictores.* Ita habent editiones *Gruteri* & *Schotti*, verum legi debet, *minantes pecora ſua*, ut bene obſervat *Joh. Meurſius* [4]. Heroës illi in ſummâ ſimplicitate & probitate ſuâ nihil admirabantur, atque hinc contemptus ille divitiarum & animus invictus adverſus corruptelas. *Minare* verbum probum eſt, licet in vulgus haut ita notum, uti monent *Gerhard. Joh. Voſſius* [5], *Elias Vinetus* [6]. Uſurpat Romanus Interpres *Exodi* [7]. Sic & Auſonius [8]:

Nec dum caduco ſole jam ſub veſpere
Ageret juvencas cum domum paſtor ſuas,
Suam relinquens, me minabat, ut ſuam,

Ergo *minantes*, id eſt, præ ſe agentes. Ovidius [9]:

Paſcebatque ſuas ipſe Senator oves.

& confer *Dionyſ. Gothofredum* [10].

VII. LICTORES erant, qui Conſules, Prætores, Dictatorem in publico vel præcedebant vel aſſequebantur, toga vel ſago rubente amicti cum faſcibus & ſecuribus. Unus poſt alium incedebat, ordine ſatis longo (*anſerum ritu*, ait *Berneggerus* [11]) ut marmora oſtendunt, ac pater è *Livio* [12]. Pater Fabius occurrens filio


(1) *in Dilucidationibus ad Tacitum pag.* 183. (2) *in Volumine pag.* 256. (3) *lib.* II. *Controverſ.* I. (4) *de Luxu Romanorum pag.* 121. (5) *in Lexico Etymologico pag.* 323. (6) *Commentariis ad Auſonii Epigrammata num. marg.* 137. (7) III. 1. (8) *Epigramm.* 66. (9) *lib.* I. *Faſtor.* (10) *Notis ad Feſtum pag.* 1693. (11) *Notatis ad Suetonii Julium pag.* 204. (12) *lib.* XXIV. *Hiſtor.*

filio Conſuli & equo vectus, Lictores undecim prætergreſſus fuerat, ut non juberetur ex equo deſcendere, proximus vero (qui duodecimus erat) ut Conſuli debita reverentia præſtaretur, ab equo deſcendere illum juſſit. Certe undecim Lictores non potuiſſet pater præterire, niſi iviſſent ſinguli. Lictor, qui agmen claudebat ordinis ejus, dignior præ cæteris erat. *Inſcriptio* Romana: M. VALERIUS. ACHILLEUS. LICTOR. PROXIMUS. LAURENS. LAVINAS. AGENS. ANNUM. ÆTATIS. LXV. VIVUS. MIHI. COMPARAVI. ET. POSUI. *Gruterus*[1]. *Lictor Proximus* eſt ille, qui agmen claudebat, Lictorum præcipuus. In faſcibus purpuratis erant virgæ è betulis, teſte *Plinio*[2]. Pœnas infligebant delinquentibus, virgis cædendo, ſecuri feriendo, ſtrangulando. Saluſtius[3]: *Vindices rerum capitalium, quibus præceptum erat, laqueo gulam fregerunt.* De Lentulo agit, quem Catilinæ ſocium Lictores in carcere ſtrangulatum peremerunt. Livius[4]: *Miſſi Lictores ad ſumendum ſupplicium, nudatos virgis cædunt, ac Securi feriunt.* Submovebant Populum de viâ, id vocabant *animadvertere*. Suetonius[5]: *Cum Lictor animadverti ex more juſſiſſet.* Animadvertebant, cum voce, manu, virgâ locum facerent pone ſequenti Conſuli, & cum jubebant, ut mature cogitarent de honore exhibendo illi, qui occurrebant, ut caput aperirent, aſſurgerent, ex equo deſcenderent, ferrum ponerent, quod monet *Seneca*[6]. Indidem Appius apud Livium[7]: *I Lictor, ſubmove turbam, & da viam domino.* In prætoriâ navi ſedebat Lictor ante proram, ac præternavigantibus, ut ſignum de navi deponerent, imperabat, ad venerandum Prætoriæ honorem, teſte *Appiano*[8]. Præcedebant menſe altero, atque ita per vices agebant, hoc diſcrimine obſervato, ut tunc faſces & ſecures haberent cum præcedebant, non vero etiam cum ſequebantur, tunc enim

(1) *in Volumine pag.* 630. *num.* 6. (2) *lib.* XVI. *cap.* 18. (3) *in Catilinaria.* (4) *lib.* XI. (5) *lib.* I. *cap.* 80. (6) *Epiſt.* 64. (7) *lib.* III. (8) *lib.* V. *Belli Civilis.*

habebant ſolum virgas & bacillos ad ſubmovendum Populum & fores pulſandas, *Suetonius* [1], *Dionyſius Halicarnaſſæus* [2], *Valerius Maximus* [3], & accuratiſſime *Lipſius* [4], *Thomas Reineſius* [5]. Denique carceres aperiebant & claudebant. Hi deinde Cæſarum ævo appellati ſunt SPECULATORES (nam qui *Speculatores* vocant cum *Turnebo* [6], *Sebaſtiano Caſtalione* [7], *Theodoro Bezâ* [8], illi ſane nomen corrumpunt, ut docte probant *Marcellus Donatus* [9], *Salmaſius* [10], *Philippus Paræus* [11], *Jacobus Revardus* [12], *Johannes Calvinus* [13], *Juſtus Lipſius* [14]) De quâ re locus eſt Suetonii [15]: *Neque convivia inire auſus eſt, niſi Speculatores cum lanceis circumſtarent.* Et alibi [16]: *Deſcendentem Speculator impulſu turbæ lanceâ prope vulneravit.* Principes utebantur eorum operâ in exſequendis capitalibus ſuppliciis. Seneca [17]. *Tum Centurio, qui ſupplicio præerat, condere gladium Speculatorem jubet.* Julius Firmicus [18]: *Speculatores facit, qui nudato gladio hominum cervices amputant.* Adhibet eodem ſignificatu Ulpianus [19]: *Spolia quibus indutus eſt, qui ad ſupplicium ducitur, neque Speculatores ultro ſibi vindicent, neque Optiones ea deſiderent.* Ubi illud, *Speculatores*, eſt in Baſilicis Florentinis, ὁ ἀποτέμνων, ſenſu expreſſo, & confer *Jacobum Cujacium* [20]. *Inſcriptio* Budenſis: SCHOLA. SPECULATORUM. LEGIONUM. I. ET. II. ADJUTRICUM, *Gruterus* [21], *Petrus Appianus* [22]. Locus ſimilis eſt *Marci* [23]: ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς σωματοφύλακα ἐπέταξεν ἀπενεχθῆναι τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ. De morte Baptiſtæ agit, & vide *Caſaubonum* [24], *Johan. Buxtorffium* [25]. VIII.

(1) *lib.* I. *cap.* 20. (2) *lib.* V. (3) *lib.* IV. *cap.* I. *num.* I. (4) *in Electis lib.* I. *cap.* 23. (5) *in Epiſtolis num.* 60. (6) *lib.* XXIV. *Adverſarior. cap.* 41. (7) *Verſione Novi Teſtam. ad Marci* VI. 27. (8) *Notatis ad Euangelium Marci pag.* 164. (9) *in Dilucidationibus ad Tacitum pag.* 187. (10) *Notis ad hiſtoriam Auguſtam pag.* 28. (11) *in Lexico Critico pag.* 1173. (12) *lib.* III. *Conjectaneorum cap.* 10. (13) *in Lexico Juris pag.* 830. (14) *Annotatis ad Tacitum lib.* I. *Hiſtoriar. num.* 63 64. (15) *lib.* V. *cap.* 35. (16) *lib.* VII. *cap.* 18. (17) *lib.* I. *de Irâ.* (18) *lib.* VIII. *cap.* 26. (19) *lib.* VI. *de Bonis damnatorum, D.* (20) *lib.* VI. *Obſervat. cap.* 33. (21) *in Volumine pag.* 169. (22) *in Collectaneis pag.* 491. (23) VI. 27. (24) *in Notis pag.* 395. (25) *in Lexico Thalmudico pag.* 1536.


Circus Flaminius

VIII. CARNIFEX unus erat ſine Tribu, ſine foro, ſine domicilio, & ne civis quidem, adeoque capitis diminuti homo, ut fere deſcribunt *Cicero* [1], *Dion Chryſoſtomus* [2]. Habitabat extra mœnia, loco illo, qui Subura vocabatur, citra montem Cœlium, frequenti cæterum, ſed tamen ſuburbano, & ubi perinde alii non ſatis honeſtæ famæ convenæ degebant. De Carnificis domo expreſſe Martialis [3]:

Tonſtrix Suburæ faucibus ſedet primis,
Cruenta pendent qua flagella tortorum.

Verba poſtrema ad Carnificem pertinent, prima ad balneatores promiſcuos ac tonſores. De aliis non probæ famæ teſtantur illa Horatii [4]:

Senem quod omnes rideant adulterum
Latrent Suburanæ canes.

ubi *Lambinus* [5] notat, *in Suburâ proſtabant meretrices:* nec diſſimiliter Propertius [6]:

Jamne tibi exciderant vigilacis furta Suburæ.
Et mea nocturnis trita feneſtra dolis.

ubi Livinejus [7]: *Vicus hic frequens erat ſcortis*, Perſius [8]:

Cum blandi comites totâque impune Suburâ
Permiſit ſparſiſſe oculos jam candidus umbo.

Martialis [9]:

Ergo Suburanæ tyronem trade magiſtræ,
Illa virum faciet: non bene virgo docet.

nec non [10]:

Quem cum feneſtrâ vidit a Suburanâ
Obſcena nudum lena, fornicem clauſit.

Cæterum Carnifex ſervos in crucem trahebat, nec præterea quicquam ſuppliciorum exigebat. Docet *Titus Popma* [11].

(1) *Orat. pro Rabirio.* (2) *Orat.* 31. (3) *lib.* 11. *Epigr.* 17. (4) *lib.* v. *Carm.* 5. (5) *in Commentario pag.* 357. (6) *lib.* IV. *Eleg.* 7. (7) *in Notatis pag.* 162. (8) *Sat.* 5. (9) *lib.* XI. *Epigr.* 79. (10) *Epigr.* 62. (11) *de Opere Servorum pag.* 95. 96.

CAP. V.

De Ærario & Collectis publicis.

I. ÆRARIUM ab inferendo ære dictum eſt, prius enim ærei nummi fuerant, deinde aurei & argentei facti ſunt. Ovidius[1]:

Æra dabant olim, melius nunc omen in auro eſt,
Victaque conceſſit priſca moneta novæ.

Aſſervabatur plerumque pecunia publica in Templis, quod loca illa ſacra & Deorum religione adverſus fures munita eſſe viderentur. Romani in Templo Saturni (quod depingit *Jacobus Laurus*[2]) deponebant. *Inſcriptio* Romana: MEMORIÆ. ARTORI. JULI. AUGENDI. VIATORIS. QUÆSTORI. AB. ÆRARIO. SATURNI. LIBERTI. QUI. ET. HÆREDES. EJUS. *Gruterus*[3]. Perſius[4]:

——— *Saturniaque impulit æra.*

ubi ſcribit vetus Scholiaſtes: *Æs in æde Saturni condebatur, nondum argento auroque ſignato*, & adde *Plutarchum*[5], *Macrobium*[6]. Propterea Ærarium cognomen *ſancti* accepit, & pro cenſuum ratione diverſas arcas habuit, quaſdam etiam pro auro viceſimario, id eſt, *aureis nummis optimis*, (ut *Budæus*[7] exponit) recondendis, & pecuniarum exceſſu ad neceſſitatem ſummam deponendo, *Cicero*[8], *Livius*[9], & ibidem *Godelevius*[10]. Ærarium hoc ſanctum Julius Cæſar, qui vexillis ſublatis hoſtem Senatus ſeſe profitebatur, quia tardius aperiebant Tribuni, effregit, cenſumque & patrimonium Populi Romani ante rapuit quam imperium, *Plutarchus*[11], *Florus*[12], *Dion Caſſius*[13], *Appianus*[14], *Lucanus*[15].

II. Unde vero iſtæ Ærarii opes? E *Vectigalibus, Tributis, Manubiis, Spoliis, Donariis, Fodinis. Vectigalia* im-

(1) *lib.* I. *Faſtor.* (2) *part.* I. *Antiquitatum Roman. Tab.* 29. (3) *in Volumine pag.* 627. (4) *Sat.* 2. (5) *in Quæſt. Roman. n.* 42. (6) *lib.* I. *Saturnal. cap.* 6. (7) *lib.* III. *de Aſſe pag.* 104. (8) *lib.* VII. *ad Atticum Epiſt.* 20. (9) *lib.* XXXVII. (10) *in Notatis pag.* 185. (11) *in Vitâ Cæſaris pag.* 352. (12) *lib.* IV. *cap.* 2. (13) *lib.* XLI. (14) *lib.* II. *de Bello Civili.* (15) *lib.* III.

immenſas pepererunt opes, tunc cum Orbem totum victor Romanus habebat, uti proſequuntur *Julius Cæſar Bulengerus* [1], *Lipſius* [2]. Educebantur inde, quod partem decimam frugum ſibi retinerent in agris ſativis, in ſilvis & hortis partem quintam, in paſcuis & armentis certum precium, in mercibus evehendis & advehendis portorium. *Tributa* ſunt capitationes precii maximi: Solvebat herus pro uxore, liberis juſtæ ætatis, (poſtquam mares attigerant decimum quartum annum, & fœminæ duodecimum) ſervis, opibus, & hoc in annos ſingulos. *Manubias* & *Spolia* ex devictis Populis & Regibus non intercipiebant belli Duces, ſed in ærarium deferebant, hodie in ſuas convertunt crumenas, & nec ſibi ſatis, nec Reipublicæ inde commodant. Qui hoc olim fecerat, is repetundarum poſtulabatur, de quo crimine aliqua monet *Lipſius* [3]. *Donaria* quanta Regum Aſiæ, Syriæ, Ægypti? Et hoc vocabant *aurum coronarium*, quod Socii & Amici dabant Romanis ad ornanda ſolennia, *Aulus Gellius* [4]. Ad ſcrutandas *Fodinas* multa millia hominum adigebant, quoſdam mercede conductos, pleroſque ſervos pœnæ ad metalla damnatos, & ſtigmatum notis deformatos, ut meminit *Suetonius* [5], & confer *Baronium* [6]. Narrat *Polybius*, tempore ſuo quadraginta millia hominum in fodinis Hiſpaniæ venas terrarum operis quotidianis perquiſiviſſe. Moleſti quidem parandi modi, ſed honeſti: porro honeſtos cenſus fecit neceſſitas, quæ alias videri poſſent, ſordes eſſe: Urinæ enim vectigal excogitavit Veſpaſianus, *Suetonius* [7]. Nimirum ſtabant in angiportis, atque etiam in publico viarum concurſu amphoræ vel dolia ad excipiendam urinam a tranſeuntibus, quam fullones deinde in uſum ſuum convertebant, ut monet *Lipſius* [8], & adde *Plinium* [9], *Ma-*

(1) *de Vectigalibus Romanis.* (2) *lib.* II. *de Magnitudine Romæ cap.* I. (3) *ad lib.* XIV. *Annalium Taciti num.* 82. (4) *lib.* V. *cap.* 6. (5) *lib.* IV. *cap.* 27. (6) *Notis ad Martyrologium pag.* 567. (7) *lib.* X. *cap.* 23. (8) *lib.* II. *de Magnitud. Romæ cap.* 6. (9) *lib.* XXVIII. *cap.* 6.

Macrobium[1], *Beroaldum*[2], quæque deſcripta è *Caſaubono* refert *Schildius*[3].

III. Locus eſt *Matth.*[4] δίδησι κῆνσον, ἐκεινον λαβὼν δὸς αὐτοῖς ἀντὶ ἐμοῦ καὶ σοῦ. Controverſia eſt, de quo Tributo ſonet. Ad capitationes a Romanis impoſitas referunt *Beza*[5], *Janſenius*[6], *Barradius*[7], *Salmeron*[8], *Emanuel Sa*[9], *Maldonatus* & *Arias Montanus*[10], *Richardus Montacutius*[11], *Julius Cæſar Bulengerus*[12], *Thomas Cartwrigthus*[13], *Pezelius*[14], *Balduinus Walæus*[15], *Cornelius a Lapide*[16], *Hunnius*, *Paræus*, *Vinarienſes Scholiaſtæ*[17], *Johannes Seldenus*[18]. Ergo κῆνσος & ſunt capitationes, uti τέλη ſunt vectigalia. Nec aliter *Hieronymus* & *Beda*[19]. Diſcedunt ab illis, & de Tributo exponunt *Grotius*[20], *Bellarminus*[21], *Lipſius*[22], *Baronius*[23], *Spondanus*[24], *Caſaubonus*[25], *Mareſius*[26], *Johan. Cameron*[27], *Scholiaſtæ Batavi*[28], *Guido Perpignanus*[29]. Sacrum hoc Tributum dabatur, ut in Templi uſum acciperetur ad ſartum tectumque conſervandum illud adverſus ruinas, *Exodi*[30], eodemque pertinere contendunt *Hilarius* & *Chryſoſtomus*[31]. Nos cum priori ſententiâ affirmamus, pertinere ad Romanos: (1) Quia Euangeliſtæ verba ſunt, οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς ἀπὸ τίνων λαμβάνουσι τέλη ἢ κῆνσον? Cenſus erat Tributum, quod Romani poſcebant, *Matth.*[32]. (2) Quia

[1] *lib.* III. *cap.* 17. [2] *Enarrationibus ad Suetonium fol.* 330. [3] *in Catalectis variis ad Suetonium pag.* 573. [4] XVII. 27. [5] *in Notatis b. l. pag.* 81. [6] *in Concordiâ Euangel. cap.* 69. [7] *in Concordiâ Euangel. lib.* X. *cap.* 32. [8] *Tom.* 6. *Commentar. Euangel. tract.* 36. [9] *in Scholiis pag.* 346. [10] *Commentar. b. l.* [11] *in Analectis hiſtor. Eccleſiaſt. pag.* 315. [12] *de Imperatore Romano lib.* IX. *cap.* 17. [13] *in Harmoniâ Euangelicâ pag.* 584. [14] *in Scholis Melanchtonianis part.* 9. *pag.* 136. [15] *Commentario perpetuo ad Euangelia pag.* 189. [16] *Commentar. b. l. pag.* 341. [17] *ad b. l.* [18] *lib.* VI. *de Jure naturali Hebræorum & Gentium cap.* 18. [19] *Commentariis ad b. l.* [20] *Commentar. b. l. pag.* 308. [21] *de Laicis cap.* 16. [22] *lib.* II. *de Magnitud. Rom. cap.* 3. [23] *Tom.* 1. *Annal. A. C.* 33. *num.* 30. [24] *in Epitome Annal. Baronii pag.* 25. [25] *Exercitat.* 15. *ſect.* 19. [26] *Tom.* 1. *Theolog. Elenchthicæ pag.* 41. [27] *in Myrothecio Euangelico pag.* 55. [28] *ad b. l.* [29] *in Concordiâ Euangelicâ pag.* 596. [30] XXX. 13. [31] *Commentariis ad b. l.* [32] XXII. 21.

(2) Quia Publicani vicatim obibant, & collectas indicabant: Tributum ſacrum vero quilibet mittebat ultro ad Templum Hieroſolymitanum. (3) Quia huc nos ducunt verba alia Chriſti: *Reges terræ a quibus accipiunt?* Regalis cenſus utique erat, non vero ſacrum Tributum. Dicat Lipſius: *Chriſti ipſa reſponſio a Tributo Cæſarino nos abducit.* Non abducit, Lipſi optime, ſed adducit, quia κῆνσον vocat, & quia addit βασιλεὺς τ῀ς γῆς. Neutrum ad Tributum ſacrum quadrat. Scribit Lyſerus[1]: *Sicli ſacri dimidium, quod olim vi legis* Exodi xxx. 13. *pendebant Hebræi Domino pro Templi & Sacerdotum ejus refectione, Romani poſtea domitâ ſub Pompejo Judæâ ad ſe tranſtulerunt, ut in fiſcum inferretur, itaque Joſephus* lib. xiv. cap. 8. *refert, Judæos hoc tempore obnoxios factos eſſe Tributo Romanorum.* Non credo, quod illi ſacrum abrogaverint Templo, quod cum provinciale eſſet, ad eorum res minime pertinebat, niſi cum abolito Templo ſacrum denarium ad ſe pertraherent, Veſpaſiani tempore, *Joſephus*[2]. Tunc demum ita factum eſt, non ante, & capitationes novas prorſum retulerunt in Ærarium Romanorum, eaſque imperiales. Ad Tributa, ab Herode tetrarchâ impoſita, referre velle cum *Miltono*[3], inconveniens eſt.

IV. Accepta magna & maxima, ſed expenſa non minima nec exigua erant. Impenſas faciebant in Magiſtratus, Miniſtros, Milites, Populum, Opera publica. Magiſtratus cum in Urbe, tum in Provinciis ingentes ſumptus fecerunt, ut dignitatis æſtimationem conſervarent. Miniſtri alendi erant. Et eo magis in Milites aureus imber depluit, ordinarios illos & gentibus devictis in poteſtate continendis impoſitas Legiones, de quorum ſtipendiis agunt *Juſtus Lipſius*[4], *Vincentius Contarenus* & *Erycius Puteanus*[5]. Nec ſufficiebant ſtipendia, inſuper capiebant donativa. Populus quoties annonam gratuito

&

(1) *in Continuat. Harmoniæ pag.* 1711. (2) *lib.* VII. *de Bello Judaico cap.* 28. (3) *Defenſione populi Anglicani pag.* 69. (4) *lib.* I. *Electorum cap.* 2. (5) *libris peculiaribus.*

& publice largitam percepit? *Suetonius* de Auguſto[1]: *Impetum ceperat frumentationes in perpetuum abolendi, quod earum fiduciâ cultura agrorum ceſſaret.* Et paulo poſt: *Atque ita hanc rem temperavit, ut non minorem aratorum ac negociantium, quam populi rationem deduceret.* *Populum* appellat, ut ſæpe alibi, plebem, quæ Romæ frumento publico alebatur. Hæc fere ocioſorum hominum fuit, & magnâ ex parte functorum militia. Cives enim Romani artes manuarias plerique ſpernebant, & ſervis committebant, (perinde ut hodie Turci) ipſi vacabant bellis, itaque peractis ſtipendiis egeni plerumque domi, quod ſupererat vitæ, degebant. Hoc ut caveret Auguſtus, commoda miſſionum & militiæ tempora definivit, *ne aut ætate aut inopiâ poſt miſſionem ſollicitari ad res novas poſſent*, Suetonius[2]. Hæc vel præcipua olim cauſa erat legum agrariarum excogitandarum, deductis coloniis, ut exhauriretur famelica illa multitudo, vere ſentina urbis, uti diximus *ſupra*[3]. Quia vero ditiores plurimos agros ad ſe precio ſoluto perducerent, nec ſemper illis potirentur egeni, alterum mali remedium fuit, publica frumenti largitio. Sed præclarum hoc inſtitutum ſecuta ſunt non levia incommoda. Plerique enim de Populo in addiſcendis manuariis artibus remiſſiores facti ſunt, neglectum mercaturæ ſtudium, ſpreta agrorum cura & ſervis vinctiſque commiſſa. *Negotiantes* ſunt, quicunque aliquam negociationem excercerent, cujuſmodi erant centonaria, ſagaria, lignaria, carbonaria, cœnacularia, cretaria, & ſimiles his aliæ in veteribus *Inſcriptionibus* nominatæ. De *Aratoribus* hoc notetur, quod (ut dictum eſt *ſupra*[4],) conſueverint Romani vectigalia ſua Publicanis, qui fere ex Equeſtri Ordine erant, per Cenſores elocare, ut eſſent *Portitores*, *Decumani*, *Pecuarii*, *Macellarii*. Et omnia illa aut per familias ſuas exercebant, aut civibus aliis concedebant, qui *Aratores*, *Coloni*, *Agricolæ*, *Paſtores* appellabantur, non

(1) *lib.* 11. *cap.* 42.
(2) *lib.* 11. *cap.* 49.
(3) *cap.* 11. *diſt.* 2.
(4) *cap.* 111. *diſt.* 11.

non quod ipſi vel ararent, vel paſcerent, ſed quod Publicanis obſtricti, circa eadem negocia verſabantur, eo utiliores Reipublicæ, quo in opere quiſque ſuo diligentius negociabatur. Vetus ergo inſtitutum fuit, ut plebem egenam frumentatione paſcerent, atque ea magno ſumptu paranda, advehenda & gratis diſtribuenda erat, ut deſcripſit *Vincentius Contarenus*[1], quædam habet *Juſtus Lipſius*[2]. Nec minus auri profuſum eſt in opera publica, theatra, amphitheatra, circos, palatia, baſilicas, templa, fora, curias, ſtatuas, coloſſos, vias lapideas, pontes, aquæductus, balnea. De quibus agunt *Lipſius*[3], *Franciſcus Serlius*[4], *Antonius Salamanca*, *Jacobus Boiſſardus*, *Alexander Donatus*, *Jacobus Meurſius*[5], *Wilhelmus Blaeu*[6].

CAP. VI.

De Ludis publicis.

I. Ludi Publici erant duorum generum : *Circenſes* (vel *Gymnici*) & *Scenici*. De Scenicis præteribimus, quæque eo pertinent, legi volumus apud *Lilium Gyraldum*[7], *Julium Cæſarem Scaligerum*[8], *Johannem Roſinum*[9]. Circenſes erant feſti : quamvis enim ad ludos animi gratiâ convenirent, nequaquam tamen ſine Deorum titulo fiebant, ac proinde a Diis etiam nomina ſua habebant, uti dicetur in ſequentibus, & in ſpinâ Circi poſitæ erant multæ Deorum ſtatuæ. Hæ quoque cum pompâ magnâ ſolebant in Circo per Sacerdotes circumferri, aſſectante turbâ. Suetonius[10] : *Accidit votivis Circenſibus, ut correptus valetudine, lecticâ cubans, thenſas deduceret.* Nempe vehiculum, in quo ſacra Circenſi pompâ deferebantur, religioſe aſſequebatur, ut pingunt Nu-

(1) *Peculiari Opuſculo.* (2) *lib.* 1. *Electorum cap.* 8. (3) *lib.* III. *de Magnitud. Romæ cap.* 4. 5. (4) *in parte ſpeciali Architecturæ.* (5) *in Iconibus Romæ veteris & novæ.* (6) *in Volumine Admirandorum Italiæ.* (7) *Dialogis tribus de Scenâ pag.* 229. (8) *lib.* 1. *de re Poëtica.* (9) *lib.* IV. *Antiquitatum Roman. cap.* 6. 7. 8. 9. 10. (10) *lib.* 11. *cap.* 43.

Numiſmata apud *Antonium Auguſtinum*[1]. Deſcripſerunt peculiaribus libris *Onuphrius Panvinius*, *Julius Cæſar Bulengerus*, *Hieronymus Mercurialis*[2], *Petrus Faber*[3], *Jacobus Lydius*[4], & breviter *Guilielmus Budæus*[5], *Martinus de Roas*[6]. Edebantur in Circo maximo, quem in hunc uſum, ſpacio inter Palatinum & Aventinum montem porrecto formâ ovatâ in mediâ Urbe, egregiâ operis amplitudine, ut verſus orientem ſemicirculi ſpecie, verſus occidentem duobus angulis rectis deſineret, exſtruxit Tarquinius Priſcus, Reges ſucceſſores ac Conſules ſedilibus adjectis & tecto ſuperadducto expleverunt, *Dionyſius Halicarnaſſ.*[7]. Hodie eſt inter vetera deperdita, & accurate delineaverunt *Onuphrius Panvinius*[8], *Jacobus Laurus*[9], *Jacobus Meurſius*[10], *Johan. Jacobus Boiſſardus*[11], *Jacobus Strada*[12]. Ejus vero loco ſub Principibus fuit Amphitheatrum maximæ molis, de quo *librum peculiarem* concinnavit *Juſtus Lipſius*. Cœpit ædificare Auguſtus, & abſolvit Veſpaſianus, teſtibus *Suetonio*[13], *Dione Caſſio*[14]. Iconem habes apud *Sebaſtianum Serlium*[15], *Jacobum Laurum*[16], *Johan. Baptiſtam de Cavalleriis*[17].

II. Gymnici dicti ſunt, quia corporis varia exercitia in illis peragebantur ad firmitatem, agilitatem, pernicitatem oſtendendam. Aurigabantur, equis pedibusve decurrebant, luctabantur, feriebant pugnis, ceſtibus, haſtis, gladiis, miſſilia projiciebant, navales pugnas conſerebant, ſæpe etiam natabant. Denique fodiebant enſibus, & cum beſtiis congrediebantur venatores, inſtructi enſe & tecti clypeo. Pleraque expreſſit *Hora-*

(1) *Tab.* 43. *num.* 21. (2) *de Re Gymnaſtica.* (3) *in Agoniſtico.* (4) *in Agoniſticis ſacris.* (5) *Annotatis prioribus ad Pandectas pag.* 130. (6) *lib.* VI. *Singularium cap.* 18. (7) *lib.* III (8) *lib.* I. *de Ludis Circenſibus pag.* 6. & 49. (9) *part.* I. *Antiquitat. Roman. num.* 14. (10) *in Iconibus Veteris Romæ pag.* 303. (11) *part.* 2. *Antiquitat. Romanarum cap.* 9. *Tab.* 12. (12) *in Epitome Theſauri Antiquitat. pag.* 66. (13) *lib.* X. *cap.* 9. (14) *lib.* LI. (15) *lib.* III. *Architecturæ fol.* 31. (16) *part.* 2. *Antiquitat. Romanar. num.* 35. (17) *lib.* II. *Antiquit. Romanar. Tab.* 33.

Horatius[1], ubi de præparatione corporum animorumque ad iſtos Ludos publicos, quæ in campo Martio fieri ſolebat, verba facit. Campum Martium delineat *Jacobus Laurus*[2]. Sic vero ille:

——— ——— *Cur apricum*
Oderit campum patiens pulveris atque ſolis?

De Curſoribus ſonat & Aurigatoribus, qui cumprimis ad Solem concitabant pulverem. Solebant pavimentum defabulare, vel arenâ conſternere, ut eo firmius pedem figerent certantes, atque etiam tanto moleſtius decurrerent equis, curribus, pedibus. Ovidius[3]:

Fortior in fulvâ novus eſt luctator arenâ.
Quam cui ſunt tardâ brachia feſſa morâ.

Currebant a carceribus recto tramite (ὁρθῇ τροχιᾷ, uti vocatur *Hebræor.*[4]) in ſtadio, (quomodo apud Græcos fere) & finiebant ad metas Circi, quæ turbinatæ atque ita compoſitæ erant, ut poſt equorum curſum, in venationibus & pugnis tolli commode ac reſtitui poſſent in principio & fine curriculi. *Sublatæ metæ*, ait Suetonius[5], *inque locum earum bina caſtra ex adverſo conſtituta erant.* Niſi metæ illæ fuiſſent, pro libitu ſuo agitatores contrahere ſpacia potuiſſent, & brevioribus lineis curſum deſcribere. Apud eundem[6]: *Circenſibus, ſpacio Circi ab utrâque parte producto & in gyrum euripo addito, quadrigas bigasque & equos deſultorios agitaverunt nobiliſſimi juvenes. Spacio Circi producto*, nimirum ut emoveret latius ab utroque latere, ac emiſſi curſores hoc modo curriculum liberius haberent. *Ab utraque parte* ait, nam (ut recte pingit *Onuphrius*[7]) erant tres metæ, & portæ ſive carceres ſex in angulis rectis Circi, unde procurrebant quatuor bigæ vel quadrigæ totidem recto tramite, obliquato paulum curſu quando præteribant metas in ſemicirculari latere oppoſitas, ut ad carceres metaſque illas, a quibus egreſſi fuerant ab altero latere reverterentur. *Spinam* vocabant aggeſtam in medio Circo humum,

(1) *lib.* 1. *Carm.* 8. (2) *part.* 1. *Antiq. Romanar. num.* 15. (3) *lib.* IV. *Triſtium eleg.* 6. (4) XII. 13. (5) *lib.* 1. *cap.* 39. (6) *l. d.* (7) *l. d.*

mum, quam tramites ambiebant exactis per metarum deſignationem lineis, ut vectoribus commodæ eſſent, & in hac ſpinâ ſtabant velut in aggere, columna Fortunæ, columnæ Tutelinæ, columnæ Meciæ, columnæ Setiæ, ædes Solis, ſimulachrum Cybeles, aræ Deorum, ſimulacrum Victoriæ, Delphini, & prope obeliſcum Lunæ poſitæ erant ſeptem metæ parvæ, (ὠιδὴ δημιουργήματα vocat *Dion*) indices quod ſeptenis ſpaciis vel curriculis abſolveretur miſſus. *Euripus* Circum alluebat, eratque foſſa profunda per tria Circi latera ducta ad pedes 10. in quam aquæ derivabantur, velut in canalem grandem. *In eâ hippopotamos & crocodilos pugnantes exhibitos eſſe* prodit *Beroaldus* [1]. Aliter vero divinat *Sabellicus* [2] nimirum, *propter elephantos ita factum eſſe, ut objectu aquarum, quas non facile tolerant, pavidi & conſternati eo acrius depugnarent invicem.* Poterat utrumque eſſe. Quamobrem Delphini ſeptem poſiti fuerint, diximus *ſupra* [3].

III. Poſtquam Julius Cæſar ampliaverat ſpacia, per ſedilia elevata in ambitu occupare locum poterant ducenta ſexaginta hominum millia. Ad occidentem carceres erant, unde bigæ & quadrigæ in Circum per medium oſtium maximum emittebantur. Ante carceres duo Hermuli ſeu Hermetes parvi (quæ erant ſimulacra Mercurii) fixi erant, funem vel catenam prætendentes carceribus, ne equi, apertis carcerum valvis, ante ſignum datum procurrerent. His vero catenis operâ miniſtrorum, ad ſignum datum prolapſis, in certamen effundebantur. Ad obeliſcum Lunæ in ſpinâ depoſitum erat bravium, unde illud petebat victor. Submiſſis catenis Hermulorum, per dextram Circi latus eo ordine, quem ſors jacta dederat, procurrebant, & ſeptena curricula ſiniſtro gyro ducebant. Qui iſta prior confeciſſet, deſiliebat in ſpinam & bravium capiebat a munerario. Propertius [4]:

Aut

(1) *Enarrat. ad h. l. fol.* 25.
(2) *Notis ad h. l. fol.* 25.
(3) *lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 24.
(4) *lib.* 11. *Epigram.* 19.

Aut prius infecto depoſcit præmia curſu,
Septima quam metam triverit ante rota.

Septem ergo curricula in quovis miſſu petebantur ab agitatoribus, donec quinque curricula Domitianus introduceret Hoc enim volunt illa *Suetonii* verba [1]: *Circenſium die, quo facilius centum miſſus peragerentur, ſingulos a ſeptenis ſpaciis ad quina corripuit.* Metarum uſum deſcribit Virgilius [2]:

——— ——— *Unde reverti*
Scirent, & longos ubi circumflexere curſus.

Reverti, nimirum quando vicibus repetitis provehebantur a carceribus: *circumflectere*, nempe quando prope metas oppoſitas pervenerant. Et confer *Simonem Abbes Gabbema* [3]. Atque ille, qui primus omnium, ut dictum eſt, curricula ſua feliciter abſolverat, ut in ſeptimo curriculo ad metam prior appuliſſet, cæteris ſpretis palmam obtinebat, τὸν φοίνικα ἔλαβεν, ait *Julius Pollux* [4]: λαμβάνῃ βραβεῖον, 1. *Corinth.* [5].

IV. Sidonius Apollinaris [6]:

Hæc eſt janua Conſulumque ſedes,
Ambit quam paries utrinque ſenis
Cryptis porticibuſque fornicatus.

Oſtium, quod ad medium Circi ſpacium patet, idem prorſus eſt cum hac *januâ & Conſulum ſede* Sidonii, quæ utrinque ſenos carceres fornicatos habebat. Soli carceres illi ſex, qui a latere dextro illius oſtii erant, neceſſarii mittendis bigis vel quadrigis fuerunt, quoniam a dexterâ ad ſiniſtram curricula ſua peragebant. Ut æqualis eſſet architecturæ facies, totidem carceres in altero latere facti ſunt, qui ipſi eodem tempore pandebantur, quamvis nulli inde currus emitterentur. Ex illis porro ſex carceribus, qui ad dexteram ſunt, ſoli quatuor primi emittebant quatuor bigas quadrigasve certaturas, ſinguli ſingulas. Erat tota Circi factio in

(1) *lib.* XII. *cap.* 4. (2) *lib.* V. *Æneid.* (3) *Notis ad Propertium pag.* 619. (4) *lib.* III. *cap.* 3. (5) IX. 24. (6) *Panegyrico de laudibus Narbonæ.*

qua'uor colores gregeſque diviſa, ac vocabantur *Praſini*, *Ruſſati*, *Veneti*, *Albati*. De Praſinâ factione eſt illud Suetonii[1]: *Praſinæ factioni ita addictus & deditus, ut cœnaret in ſtabulo aſſidue & maneret.* De Venetâ eſt apud eundem[2]: *Quoſdam de plebe ob idipſum quia Venetæ factioni clare maledixerant, interemit.* Veſtimentorum colores faciebant diſcrimen ita manifeſtum, ut cujus factionis eſſet quis, ſtatim appareret. Praſina habebat virides veſtes. Juvenalis[3]:

Totam hodie Romam Circus capit, & fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni.

Ruſſata rubeas, Veneta cærulas, Albata candidas. Martialis[4]:

Si Veneto Praſinove faves, qui coccina ſumis,
Nec fias iſtâ tranſfuga veſte vide.

De iiſdem quoque meminerunt *Inſcriptiones* Veteres. De Praſinâ eſt illa Romana: MARCO. AURELIO. LIBERO. PATRI. ET. MAGISTRO. ET. SOCIO. ET. DOMINO. ET. AGITATORI. FACTIONIS. PRASINÆ. AURELIUS. CÆCILIUS. PLANETAROTOGENES. OB. III. PALMAR. HOC. DONUM. VOVIT. NATIONE. AFRI. *Gruterus*[5]. De Ruſſatâ eſt illa Romana: D. M. C. POMPEJO. FUSCENO. CONDITORI. FACTIONIS. RUSSATÆ. ET. FACTIONUM. PRIMUM. PATRONO. B. M. OPTIMO. ET. PIENTISSIMO. FECERUNT. LIBERTI. ET. HÆREDES. FECERUNT. DE. SUO. *Gruterus*[6]. Et altera illa Romana in domo Marii Delfini: D. M. CLAUDIA. HELICE. ET. CL. AVI. LL. DIONYSIO. CON. D. GR. RUSSATÆ. CONJUGI. DIGNISS. *Johan. Jac. Boiſſardus*[7]. De Venetâ eſt illa Tiberina: Q. RAPIDIO. Q. F. LEM. MULIONI. MORATORI. LUDI. CIRCEN. ET. AGITATORI. FACTION. VENET. VIX. ANN. LX. RAPIDIA. MARITO. PIISSIMO. B. M. F. *Gruterus*[8]. Rurſum Martialis[9]:

De

(1) *lib.* IV. *cap.* 55. (2) *lib.* IX. *cap.* 14. (3) *Satyr.* 11. (4) *lib.* XIV. *Epigr.* 131. (5) *in Voſſamine pag.* 338. *num.* 2. (6) *l. d. num.* 4. (7) *part.* 5. *Antiquit. Romanar. fol.* 90. (8) *l. d. pag.* 339. *num.* 3. (9) *lib.* X. *Epigram* 48.

De Praſino conviva meus, Venetoque loquatur,
Nec facient quenquam pocula noſtra reum.

Et de Ruſſatis idem [1]:

Proficias nihili, hoc cædas licet uſque flagello,
Si tibi purpureo de grege currit equus.

Moratori. de quo prolata *Inſcriptio* meminit, intellige eum, qui equos ad finem certaminis ſiſtebat. Aurigas caſu luxatos Medici ſingulares curabant. *Inſcriptio* Romana: D. M. M. ANTONIO. M. F. ANIENSI. MATRINIO. EVOC. AUG. VIX. ANN. XXXIIX. M. VIII. M. ANTONIUS. M. F. ANIEN. PRIMIGENIUS. MEDICUS. FACT. RUSSAT. FRATRI. SANCTISS. FECIT. *Gruterus* [2].

V. Niſum, Euryalum, Patronem, Helimum curſores deſcribit *Virgilius* [3]. Aurigatores, & iidem Agitatores (uti vocat *Ulpianus* [4]) propellebant bigas vel quadrigas, illis venerati Lunam, his Solem. Suetonius [5]: *In Circo prater ſolennes bigarum quadrigarumque curſus.* Itaque in utriuſque honorem Obeliſci ſtabant erecti, alter Solis globum rotundum fulgentem in faſtigio habens, validus & ſublimis, alter vero Lunæ, corniculatam eam in faſtigio habens, minor & humilis. Trigas denique agitabant in honorem Deorum Manium. Horatius [6]:

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegiſſe juvat, metaque fervidis
Evitata rotis. —— ——

Sunt certamina CURULIA. Præcipua cura erat, ne interim quando concito ferebantur curſu, & prope metas oppoſitas appellendo convertebantur equi, ſeſſor vel protereretur, vel excuteretur cum præſenti vitæ periculo, quod ab agitatore proximo & currum ſuum pariter circumagente in ſemicirculari latere obteri poſſet: neve ad dexteram ſiniſtramve declinando nimis cum temone rotiſque impingeret, curru fracto ad metas, haut

(1) *libro dicto num.* 55. (2) *l.d. pag.* 339. *num.* 1. (3) *lib.* v. *Æneid.* (4) *l. Athletas ff. de His qui notantur infamiâ.* (5) *lib.* XII. *cap.* 4. (6) *lib.* 1. *Carm.* 1.

ita magno intervallo ab invicem disposita, ipse attonitus & projectus Impingere turpissimum est habitum, talesque *naufragium in Circo fecisse* dicti. Statius[1]:

Speravit flexæ circum compendia metæ
Interius ductis Phœbejus augur habenis,
Anticipasse viam, nec non & Thessalus heros
Spe propiore calet, dum non cohibente magistro
Spargitur in gyros, dexterque exerrat Arion.

Icones sunt apud *Onuphrium Panvinium*[2], è Marmorum & Numismatum fide. Pergit Horatius:

—— *Gallica nec lupatis*
Temperet ora frenis?

Sunt equi desultorii (uti vocat *Suetonius*[3], & picturæ sunt apud *Gorlæum*[4]) cum singuli decurrebant equites, duos ad manus habendo equos, atque in ipso cursu ex altero in alterum transsiliendo, itaque confecto stadio victor palmam auferebat. Addit:

Cur timet flavum Tiberim tangere?

Sunt natationes, de quibus idem[5]:

Nec quisquam citus æque
Thusco denatat alveo.

Eæque usurpatæ, non tam corporis abluendi gratiâ, quam ut natare docti, quando periculum a naufragio imminebat, possent enatare, Julii Cæsaris exemplo, qui in bello Alexandrino per Nilum enatavit, *Florus*[6], *Appianus*[7], *Suetonius*[8], *Plutarchus*[9]. De natatoribus est *Martialis* Epigramma[10]. Subjungit:

—— *Cur olivum*
Sanguine viperino
Cautius vitat?

Luctaturi vestes exuebant, femoralibus cincti. Suetonius[11]: *Athletarum vero spectaculo muliebrem sexum omnem*

(1) *lib.* VI. *Thebaid.* (2) *lib.* I. *pag.* 15. 18. 26. 32. 41. (3) *lib.* I. *cap.* 39. (4) *in Thesauro Numismatum Tab.* 22. *num.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. *& in Promptuario Annulorum num.* 173. (5) *lib.* III. *Carm.* 7. (6) *lib.* IV. *cap.* 2. (7) *lib.* II. *de Bellis Civilibus.* (8) *lib.* I. *cap.* 64. (9) *in Vitis illustribus pag.* 345. (10) *in libro Spectaculorum num.* 26. (11) *lib.* II. *cap.* 44.

omnem adeo ſubmovit, ut Pontificalibus ludis pugilum par poſtulatum diſtulerit in ſequentis diei matutinum tempus, edixeritque, mulieres ante horam quintam venirent in Theatrum, non placere. Ideo noluit fœminas intereſſe ſpectaculo Athletarum, quoniam nudi exercebant corpora, velati ſolum in pudendis, uti refert *Dionyſius Halicarnaſſaus* [1], & confer *Philipp. Beroaldum* [2]. Gladiatoris nudi imaginem è Farneſianis Marmoribus pingit *Johan. Baptiſta de Cavalleriis* [3]. Et locus ubi Gladiatores deponebant veſtes ſuas, vocabatur *ſpoliarium: Inſcriptio* Præneſtina: CURATORI. MUNERIS. PUBLICI. GLADIATORIO. III. QUOT. IS. TEMPORE. HONORUM. CURARUMQUE. STUDIO. VOLUPTATIBUS. ET. UTILITATIBUS. POPULI. PLURIMA. CONTULERIT. LUDUM. ETIAM. GLADIATORIUM. ET. SPOLIAR. SOLO. EMPTO. SUA. PECUNIA. EXTRUCTUM. PUB. OBTULERIT. *Gruterus* [4], & vide *ſupra* [5]. Spoliarium hoc loco eſt pars gymnaſii illa, ubi veſte ſe exſpoliabant. Nam alias etiam ſpoliarium eſt receptaculum occiſorum, & velut ſepulchrum, uti dicemus *infra* [6]. Oleo ungebantur, tum ut prenſiones molles ac lubricæ eſſent, idque in ſolo per copioſam argillam injecto & aquis attemperato, unde cedentibus ſubinde ad ſingulos paſſus pedibus eo prolixior lucta erat, neque illico per humiafflictionem finiebatur ſpectaculum: tum ne contuſiones illæ & corporis detorſiones membrorum vertebris inferrent noxam. Virgilius [7]:

Actiaque Iliacis celebramus littora ludis,
Exercent patrias oleo labente palæſtras
Nudati ſocii. —— ——

Statius [8]:

Poſtquam oleo gaviſa cutis, petit æquor uterque
Procurſu medium, atque hauſtâ veſtitur arenâ.
Tum madidos artus alterno pulvere ſiccant.

(1) *lib.* VII. (2) *Enarrationibus ad b. l. fol.* 87. (3) *lib.* I. *Antiquitat. Roman. Tab.* 28. 29. (4) *in Vol. pag.* 489. (5) *cap.* III. *n.* 10. (6) *diſt.* II. (7) *lib.* III. *Æneid.* (8) *lib.* VI. *Thebaid.*

Herculem Heroëm cum Antæo luctaturum, Olympiaci more certaminis oleo ſeſe perfudiſſe refert Lucanus [1]:

Ille Cleonæi projecit terga leonis,
Antæus Libyci, perfudit membra liquore
Hoſpes, Olympiacæ ſervato morâ palæſtræ.

Petronius [2]: *Intraverunt palæſtritæ quamplures & nos legitimo perfuſos oleo referunt.* Acceperunt a Græcis, de quibus ſcribit *Theocriti Scholiaſtes*, λιπαρεῖν δὲ λέγει παλαίσραν, ἐπεὶ οἱ παλαίοντες ἐλαίῳ πρότερον ἠλείφοντο, εἶτα ἐπάλαιον. Oleum illud *ceroma* vocat *Martialis* [3], & confectionem ejus deſcribit *Plinius* [4]. De unctionis extremæ ſacramento multo hic commemorat *Petrus Faber* [5], adverſus quem & ſimiles ejus diſſerit *Johannes Dallæus* [6], & confer *Johannem Gerhardum* [7]. Cæterum ne prehenſio illa falleret nimis, ac fruſtra eſſet certamen, dum alter alterius manibus elabitur ſemper, pulvere & harenâ conſpergebantur præſentes in *ſcammate* (ita vocabant palæſtram alio nomine) & ſub initio congreſſus. Verba *Statii*, quibus hoc probatur, adducta ſunt paulo ante Ovidius [8]:

Ille cavis hauſto ſpargit me pulvere palmis,
Inque vicem fulvæ tactu flaveſcit arenæ.

Apulejus [9]: *In modum pugilum qui pulviſculo perſperſi dimicant.* Artis hic erat noviſſe, quomodo adverſarius pede ſuppoſito dejici poſſet, quod eſt ὑποσκελίζειν apud Græcos, & *ſupplantare* dixit *Seneca* [10].

VI. Porro eſt apud Horatium:

Neque jam livida geſtat armis
Brachia? ——— ———

Livida, id eſt, ad livorem percuſſa ab illo, quocum decertabat alter. *Sugillare* vocabant, ut nos docet *Seneca* [11], eſtque Græcorum ὑπωπιάζειν, quod *Paulus* uſurpat

(1) *lib.* IV. *Pharſal.* (2) *in Satyrico pag.* 30. (3) *lib.* IV. *Epigr.* 4. 19. *lib.* V. *Ep.* 66. *lib.* VII. *Epigr.* 31. (4) *lib* XI. *cap.* 14. *lib.* XV. *cap.* 4. *lib.* XXVIII. *cap.* 9. (5) *lib.* II. *Agoniſticorum cap.* 5. (6) *de Extremâ Unctione.* (7) *Tom.* 4. *Confeſſ. Catholicæ pag.* 191. (8) *lib.* IX. *Metamorphoſ.* (9) *lib.* IX. *Mileſiar.* (10) *Epiſt.* 13. (11) *Epiſt.* 13.

pat 1. *Corinth.*[1]. Annotat Emanuel Sa[2]: *Contundo corpus meum, ſcilicet flagellis*, & confer *Jacobum Gretſerum*[3], *Wilhelmum Eſtium*[4]. Quod prorſus barbarum eſt, & a Bahalitis adhibitum, 1. *Reg.*[5], *Jerem.*[6], ſed a Deo Iſraëlis prohibitum, *Eſai.*[7]. Lucta, quam *Paulus* indicat, ſpiritualis eſt, itaque media & remedia ſunt quoque ſpiritualia. Edomat affectus pravos, ſubigit deſideria meditatione rerum ſacrarum, prædicatione indefeſſâ, vitâ continente & ſobriâ. Ita divinus ille Hieronica; nam alterum illum Bahaliticum modum non invidemus Monachis, pruriginem carnis delicatule affectantibus, ac proinde talibus remediis opus fuerit illis. De quâ re videantur *Johannes Gerhardi*[8], *Petrus Faber*[9], *Danhaverus*[10], *Johannes Lydius*[11]. Deſcribit *Horatius* pugiles, qui decertabant pugnis, ceſtibus, haſtis. Pugnis quidem primum certabant ſed nudis, quæ manuariæ contuſiones velut rudimentum erant. Acceſſerunt deinde Ceſtus, id eſt, res agebatur pugnis armatis, ita ut chirothecis è corio bubulo, iiſque ferro, ære, plumbo gravibus, (ad brachia, cubitos ipſoſque humeros alligatis, ne exciderent) congreſſi decertarent. *Panvinius* ſcribit[12]: *Ceſtus erat genus clavæ pilas plumbeas loris bubulis appenſas habens.* Sed illud a vero multum abludit, ut recte contendit *Mercurialis*[13]. Propertius[14]:

Nunc ligat ad Ceſtum gaudentia brachia loris.

Ita & firmiorum ictum inferebant, neque manum dolore fatigabant, & quoque citra noxam ſuſtinebant adverſarii contentionem, Virgilius[15]:

——— ——— *Taurorum ingentia ſeptem*
Terga boum, plumbo inſuto ferroque rigebant.

Et porro, ne ſtatim eliderent, ἀμφώπιδας addiderunt, id eſt, aurium munimenta, dorſi corio gaviſi quando

(1) IX. 27. (2) *pag.* 414. (3) *lib.* 1. *de Diſciplinâ cap.* 4. (4) *Commentario ad h. l. pag.* 361. (5) XVIII. 28. (6) XLI. 15. (7) LVIII. 3. 4. 5. (8) *l. d. pag.* 114. (9) *in Agoniſtico lib.* III. *cap.* 14. (10) *Diſputatione de Hypopiaſmo Paulino.* (11) *in Agoniſticis ſacris cap.* 14. (12) *lib.* 1. *pag.* 70. (13) *lib.* II. *c.* 9. (14) *lib.* III. *Eleg.* 12. (15) *lib.* V. *Æneid.*

opus erat. Optime iſta explicant *Scaliger*[1], *Aldus Manutius*[2]. Tota ars, non vitare fugâ ictum, ſed corporis inclinati flexione: & porro, non inferre ictum fruſtra, concidebant enim plumbi onere præcipites acti, ſi impenſius niterentur verberare. Victoriam adverſario cedebat Pugil, qui feſſus manus ac brachia pendula ſubmittebat, (παρειμένας χεῖρες ſunt dicendi genere ab his exercitiis petito, *Hebr.*[3]) aut in terram procidendo victum ſeſe diſertâ voce fatebatur. Poſtremo apud Horatium:

——— ——— *Sæpe diſco,*
Sæpe trans finem jaculo nobilis expedito.

Diſcus erat globus ferreus, ligneus, ſaxeus, plumbeus, isque medius amento nectebatur, & cum lacertis, tum arte etiam in ſublime projiciebatur, ut lineâ porrectâ relapſus intra fines certos decideret, victorque ille erat, qui præ cæteris altius in ſublime, aut latius in tractu, aut propius deſtinatam metam projiciebat, ut exponunt *Euſtathius*[4], & *Scholiaſtes Pindari*[5]. De illo Propertius[6]:

Miſſile nunc Diſci pondus in orbe rotat.

& confer *Mercurialem*[7].

VII. Atque hi omnes ludi liberales erant & ab ingenuis edebantur. Ut conſtaret, quod certo peragi deberent, Prætores mappam albam in turri Mœnianâ, quæ imminebat oſtio Circi maximi, appendebant, certiſſimum ſignum, futuros die iſto ludos. Martialis[8]:

Prætor cretatam cum vellet mittere mappam.

Sed recens illud eſt, & Neronem autorem habuit, uti monent *Caſſiodorus*[9], *Onuphrius Panvinius*[10], *Maſenius*[11]. Quanquam videri poſſit, antiquioris uſus eſſe, adeoque refert *Suetonius*[12], de mappâ illâ veluti re non novâ,

(1) *lib.* I. *de Re Poëtica cap.* 22. (2) *lib.* I. *Quæſitorum Epiſtolicor. pag* 312. (3) XI. 12. (4) *Scholiis ad lib.* VIII. *Odyſſ.* (5) *ad Iſthmia Carm.* I. (6) *lib.* III. *Eleg.* 12. (7) *lib.* II. *de Arte Gymnaſt. cap.* 12. (8) *lib.* XII. *Epigr.* 29. (9) *lib.* III. *Epiſt.* 51. (10) *lib.* I. *de Ludis Circenſibus cap.* 14. (11) *cap.* XXXIV. *Antiquitat. Romanar. diſt.* 6. (12) *lib.* VI. *cap.* 22.

novâ, ſed quæ jam antea nota erat. Nec tamen contendere velim in re non exploratâ ſatis. Juvenalis[1]:

——— *Megaleſiacæ ſpectacula mappæ.*

De quo Poëtæ loco non ſatis rectè diſſerit *Johannes Coraſius*[2] ubi ait, *Prætor qui ludis præerat, mappam aurigæ pro præmio victoriæ dabat.* Præmium haut erat victoriæ, quod certaminis capeſſendi velut ſignum erat.

VIII. Navales pugnas conſerere, decertare enſibus, cum beſtiis depugnare, ſervos cogebant, captivos, morte damnatos, facinoroſos. Ad navales pugnas edendas factus fuit rivus aquæ Appiæ ſub Cœlio & Aventino montibus per foſſas continuas, ut prope portam Trigeminam educi poſſet in Circum maximum, teſte *Frontino*[3], & adde *Suetonium*[4], ubi is inſimul monet, *locum alium Naumachiarum fuiſſe Campum Martium.* Nec hic ſolum, verum alias etiam per diverſas Urbis regiones ſolo excavato præparaverunt Cæſares aquarum receptacula. De Julio Suetonius[5]: *Navali prælio in minore Codetâ defoſſo lacu, biremes ac triremes, quadriremeſque Tyriæ & Ægyptiæ claſſes magno pugnatorum numero conflixerunt.* Sic enim locum hunc reſtituerunt *Caſaubonus* & *Boxhornius* (uti eſt *in Notis variis* Johannis Schildii[6]) nec non *Ivo Villiomarus*[7], *Berneggerus*[8], *Philippus Beroaldus*[9], pro quo vitioſe legitur, *navali prælio in modum cochleæ*, apud *Onuphrium*[10], neque potuit mederi *Turnebus*[11]. Codeta erat ager Transtiberitanus plenus virgultis, ut *Feſtus* narrat, & eodem loco meminit *Pancirollus*[12]. De eodem lacu iterum memorat *Suetonius*[13], & non procul a campo Martio abfuiſſe, docet nos *Dion Caſſius*[14]. Novum lacum ad ſimiles uſus paravit Auguſtus, *Suetonius*[15], & adhibuit multo deinceps

(1) *Sat.* II. (2) *lib.* IV. *Miſcellan. cap.* 24. *num.* 18. (3) *lib.* I. *de Aquæductibus.* (4) *lib.* VI. *cap.* 27. (5) *lib.* I. *cap.* 32. (6) *pag.* 45. (7) *Animadverſis ad locos controverſos p.* 129. (8) *Notatis ad Suetonii Julium pag.* 84. (9) *Enarrationibus ad h. l. pag.* 25. (10) *lib.* II. *de Ludis Circenſibus cap.* 12. (11) *lib.* XXIV. *cap.* 14. *Adverſar.* (12) *Deſcriptione Regionum Urbis fol.* 19. (13) *lib.* I. *cap.* 44. (14) *lib.* XLIII. (15) *lib.* II. *cap.* 34.

ceps tempore Titus Veſpaſianus, ut narrat idem Suetonius [1]: *Dedit & navale prælium in vetere Naumachiâ. Veterem* vocat, quod ab Auguſto eſſet, nam Caligula loco alio prœliorum ſimulacra iſta luſerat, uti autor eſt *Dion Caſſius* [2], & forte Nero etiam, quem talia ſpectacula apparaviſſe, conſtat ex *Suetonio* [3]. Titi Cæſaris Naumachiam laudat *Martialis* [4]. Nam ad Titum referunt *Kamireſius* [5], *Lipſius* [6], *Samuel Petitus* [7]. Domitianus vero, ut reliquos omnes gloriâ ſuperaret, edidit navales pugnas fere juſtarum claſſium, effoſſo & circumſtructo juxta Tiberim lacu, *Suetonius* [8]. Huc pertinet illud *Martialis* [9] *Epigramma* 24. & conteſtatur Nummus argenteus, quem depingit *Onuphrius* [10]. Totam vero Naumachiæ effigiem habes apud eundem *Onuphrium* [11], *Jacobum Laurum* [12], *Jacobum Meurſium* [13].

IX. Enſibus decertabant GLADIATORES † ad petitum *Munerariorum*, id eſt, virorum procerum, qui impenſis ſuis conducebant Laniſtas, ut ludos ejuſmodi cruentos exhiberent. *Inſcriptio* Salernitana: ACERRIO. FIRMEO. LEONTIO. PRIMARIO. VIRO. ET. EDITORI. MUNERIS. SUI. CUM. FERARUM. LIBYCARUM. Gladiatores hactenus ſub magiſtro, quem *Laniſtam* (Suetonius [14].) Thuſco nomine appellabant, edocti fuerant. *Inſcriptio* Neapolitana: CN. METIUS. FELIX. LANISTA. AUGUST. *Gruterus* [15]. Laniſta ille aut *coactos* producebat & committebat, nimirum quos precio certo ſibi emerat, expoſitos, quos vocabant *altellos*, (uti eſt *in Notis* Scaligeri *ad Feſtum*) ſervos pœnæ, id eſt, bello captos, vel ob delictum ad gladii ludum damnatos: aut *voluntarios*, qui gloriæ alicujus ſtudio ducti Laniſtis ſeſe

† Horum pugnas optime expreſſit J. Lipſius, ex cujus *l.* 11. *Saturnal. Serm. c.* 21. hanc iconem mutuati ſumus.

[1] *lib.* XI. *cap.* 7. [2] *lib.* LIX. [3] *lib.* VI. *cap.* 12. [4] *in libro Spectaculorum Epig.* 28. [5] *in Notis pag.* 26. [6] *de Amphitheatro pag.* 24. [7] *lib.* III. *Miſcellaneor. cap.* 1. [8] *lib.* XII. *cap.* 4. 5. [9] *in libro Spectaculorum.* [10] *lib.* II. *pag.* 62. [11] *lib.* II. *pag* 111. [12] *part.* 3. *Antiquit. Romanar. num.* 21. & 26. [13] *in Iconibus Romæ veteris pag.* 311. [14] *lib.* I. *c.* 16. [15] *l. d. pag.* 3.





ſeſe tradebant, inque leges eorum compromittebant ſacramento, quod vellent flammis uri, virgis verberari, ferro necari. Petronius[1]: *Tanquam legitimi Gladiatores domino corpora animaſque religioſiſſime addicimus. Legitimus*, id eſt, authoratus, erant enim hi liberi, ſed volentes obſtringebant ſe atroci ſacramento, corpora animaſque Laniſtæ addicentes, *venalem ſanguinem habentes*, ait *Livius*[2]. Horatius[3]:

Quid refert uri, virgis ferroque necari?
Auctoratus eas. —— ——

Seneca[4]: *Eadem honeſtiſſimi hujus & turpiſſimi illius authoramenti verba ſunt, uri virgis ferroque necari.* Tibullus[5]:

Ure meum potius flammâ caput, & pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga ſeca.

Urebantur & flagris percellebantur a lorariis, ſi quando timidius pugnarent, vel a ferro fugerent. Necabantur, quando vel adverſarii manibus interfecti ſunt, vel cum proſtrati *ferrum recipere* jubebantur, qui non ad primum ictum vomuerant animam. Atque erat *hæc pugna ſine miſſione*, uti vocant *Livius*[6], *Suetonius*[7]. De eadem Cicero[8]: *Quis mediocris Gladiator ingemuit? quis vultum mutavit unquam? quis non modo ſtetit, verum etiam turpiter decubuit? quis cum decubuiſſet, ferrum recipere juſſus, collum contraxit? tantum exercitatio, meditatio, conſuetudo valent.* Rurſum Seneca[9]: *Sæpe cauſa moriendi eſt, timide mori. Fortuna illa, quæ ludos ſibi facit, quo inquit, te reſervem, malum & trepidum animal? eo magis convulneraberis & confodieris, quia neſcis præbere jugulum. At tu & vives diutius & morieris expeditius, qui ferrum non ſubductâ cervice, nec manibus oppoſitis, ſed animoſe recipis.* Et exprimens ſævientis populi voces[10]: *Occide, ure, verbera. Quare tam timide incurrit in ferrum? quare parum audacter occidit?*

[1] *in Satyrico p.* 153. [2] *lib.* XXVIII. *Hiſtor.* [3] *lib.* II. *Sat.* 7. [4] *Epiſt.* 37. [5] *lib.* II. *Eleg.* 10. [6] *lib.* XLI. *Hiſtor.* [7] *lib.* II. *cap.* XLV. [8] *lib.* II. *Tuſculanar. quæſt. Tom.* 4. *Operum pag.* 201. [9] *de Tranquillitate animi cap.* 11. [10] *Epiſt.* 7.

cidit ? quare parum libenter moritur ? Plagis aguntur in vulnera , & mutuos ictus nudis & obviis pectoribus excipiunt. Hi voluntarii pugnabant cum pro gloriâ , tum pro vitâ , denique pro juſto precio , quod *authoramentum* vocabant , uti ſcribunt *Cicero* [1] , *Suetonius* [2]. Populus frequens ſpectabat , & hujus quidem arbitrio dabatur miſſio , id eſt , victis & gratiam petentibus pollicis erecti ſigno palam concedebatur , ut hac vice nec ferrum reciperent ipſi , nec victor inſtaret vulneratis ac mortem inferret , Suetonius [3] : *Gladiatores notos , ſicubi infeſtis ſpectatoribus dimicarent , rapiendos , reſervandoſque mandabat. Infeſtis ſpectatoribus* , id eſt , quando Populus gratiam dare nollet. Cæterum quando veniam dare nollent , pollicem inverſum deprimebant. Ludi vero iſti omnes eo pertinebant , ut viri juvenes cædium , ſanguinis ac vulnerum aſpectu aſſueſcerent , in bello minus illa timere , ſed fortiter agere , fortiter pati , teſte Cicerone [4] : *Crudele Gladiatorum ſpectaculum & inhumanum nonnullis videri ſolet , & haut ſcio , an ita ſit , ut nunc fit , cum vero ſontes ferro depugnabant , auribus fortaſſe multa , oculis quidem nulla poterat eſſe contra dolorem & mortem diſciplina.* Hæc ille. Hos quoque poſt victas manus , quando læſi erant , curabant Medici ſingulares. *Inſcriptio* Romana : EUTYCHUS. AUG. LIB. NERONIANUS. MEDICUS. LUDI. MATUTIN. FECIT. SIBI. ET. IRENE. LIB. CONJUGI. CARISSIMÆ. BENE. MERITÆ. ET. LIBERTIS. LIBERTABUSQUE. POSTERISQUE. EORUM. *Gruterus* [5]. Quid ſit , *ludi matutini* , dicemus *infra*.

X. BESTIARII , id eſt , qui beſtiis conficiendis operam ſuam locabant deſperatâ quadam audaciâ , ac quæſtus dulcedine impulſi , ultro cum Munerariis egerunt , & objecti feris in arena , cum elefantis , apris , pardis , leonibus , urſis , uris , moloſſis depugnarunt , pilo vel enſe armati , quandoque etiam clypeo obtecti. Sontes eodem compulſi , ſed minori peritia congreſſi , nec fem-

[1] *lib. 1. de Officiis.* [2] *lib. III. cap. 7.* [3] *lib. 1. cap. 26.* [4] *lib. 11. Tuſculanarum.* [5] *in Volumine pag. 335. num. 2. 3.*

ſemper inſtructi armis, facile vincebantur ac diſcerpebantur. *Artemidorus*[1], θηριομαχῶν ἀπὸ τῶν ἰδίων σιτηρῶν τὰ θηρία τρέφει. Exempla vero ſunt apud *Martialem*[2], nec non apud *Senecam*[3]. Iconem produnt *Jacobus Laurus*[4], *Jacobus Meurſius*[5]. Si beſtiam trucidarent (raro ita fiebat) ſupplicio liberati erant, id eſt, accipiebant miſſionem: hæc vero vitæ gratia facta eſt ſolum captivis aut ſervis in leviori crimine deprehenſis. *Paulus* de ſeipſo, ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ, 1. *Corinth.*[6]. Decertavit cum beſtiis & evaſit, ſive quod vicerit beſtiam, ſive quod Deus impedivit beſtiam, ne invaderet ſanctum, *Cornelius a Lapide* & *Paræus*[7], *Dilherrus*[8], *Michaël Watſonus*[9]. Atqui lex Porcia vetabat Cives objicere beſtiis, adeoque ſi Epheſii tale quid tentaviſſent, Paulus provocaviſſet ad jus civitatis Romanæ, quomodo fecit & evaſit tunc cum debebat flagellis cædi, ut *ſupra*[10]. Et ſi tale quid eveniſſet Paulo, certe in malorum catalogo, 2. *Corinth.*[11] poſuiſſet, ubi multo minores calamitates recenſet. Rectius ergo dicitur cum *Beza*[12], *Spondano*[13], *Jacobo Lydio*[14], *Conrado Hornio*[15], quod intelligantur homines feri ac maligni, veritatis divinæ hoſtes & perſecutores crudeles, nec tales Epheſi defuerunt, teſte Lucâ *in Actis*[16]. Cæterum qui damnati erant capitis, ſi viciſſent feras congreſſu audaci, denuo producti & ad mutuas lanienas compulſi ſe invicem ferro conciderunt. *Nihil habent quo tegantur, ad ictum totis corporibus expoſiti, nunquam fruſtra mittunt manum, non galeâ, non ſcuto repellitur ferrum*, ait *Seneca*[17]. Hinc exponas illud *Suetonii* de Claudio[18]: *Beſtiariis Meridianiſque adeo delecta-*

[1] *lib.* 1. *Onirocriticor. cap.* 19. [2] *in libro Spectaculorum Epigr.* 10. 11. 12. 13. 16. 18. 19. 22. [3] *lib.* 11. *de Beneficentiâ cap.* 19. [4] *part.* 2. *Antiquitat. Roman. num.* 36. [5] *in Iconibus Veteris Romæ p.* 158. [6] XV. 32. [7] *Commentariis ad h. l.* [8] *Tom.* 1. *Diſput. Philologicarum pag.* 263. [9] *part.* 1. *Notationum ad Pancirollum pag.* 24. [10] *cap.* 2. *diſt.* 4. [11] XI. 23. [12] *in Notis pag.* 293. [13] *in Epitomâ Annalium pag.* 77. [14] *in Agoniſticis ſacris cap.* 21. [15] *in Compendio Hiſtoriæ Eccleſioſticæ lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 5. [16] *cap.* XIX. 12. [17] *Epiſt.* 7. [18] *lib.* V. *cap.* 34.

lectabatur, ut etiam prima luce ad ſpectaculum deſcenderet, & meridie dimiſſo ad prandium Populo perſederet. Scilicet, matutinis horis decertabant beſtiarii, meridianis Gladiatores, & ſæpe fuit, ut qui mane vicerat beſtiam, quia vitæ gratia nulla erat, is meridie vel concideretur a Gladiatoribus exercitatis, vel cæde promiſcua abſumeretur. Martialis[1]:

In matutina nuper ſpectatus arenâ
Mucius, impoſuit qui ſua membra focis.

Seneca[2]: *Mane leonibus & urſis homines, meridie ſpectatoribus ſuis objiciuntur, interfectores inter ſe jubentur objici & victorem in aliam detinent cædem, exitus pugnantium mors eſt, ferro & igne res geritur.*

XI. Cadavera de arena efferebantur, aliquando ad ſepulturam. *Inſcriptio* Tergeſtina: CONSTANTIUS. MUNERARIUS. GLADIATORIBUS. SUIS. PROPTER. FAVOREM. MUNERIS. MUNUS. SEPULCHRUM. DEDIT. DECORATO. RETIARIO. QUI. PEREMIT. CÆRULEUM. ET. PEREMPTUS. DECIDIT. AMBOS. EXTINXIT. RUDIS. UTROSQUE. PROTEGIT. ROGUS. *Gruterus*[3]. Sæpius vero etiam ut in SPOLIARIUM abjicerentur. Ita vocabant locum, quo noxiorum cadavera nuda & exſpoliata abjiciebant.

Orciniânâ qui feruntur in ſponda,

de ſepulturis ejuſmodi inſepultis dicit *Martialis*[4], quam nominis rationem leviori brachio excutiunt *Schrevelius*[5], *Cœlius Rhodiginus*[6], *Johannes Kirchmannus*[7], *Bernneggerus*[8], *Johan. Gerhardus Voſſius*[9], accuratius vero indagat *Jacobus Nicolaus Loënſis*[10]. Et pergit:

Cum ſupremæ fila venerint horæ
Dieſque tardus, ſentiat canum litem.

Dilanietur a canibus, quæ eſt imprecatio. *Orcus gladiatorum*

(1) *lib.* x. *Epigram.* 25. (2) *Epiſt.* 7. (3) *in Volumine pag.* 319. *num.* 4. (4) *lib.* x. *Epigr.* 5. (5) *in Notis ibidem pag.* 344. (6) *lib.* x. *cap.* 18. (7) *lib.* 11. *de Funeribus Romanorum cap.* 9. (8) *Diatribis ad Auguſtum Suetonii cap.* 35. *lit. d.* (9) *in Lexico Etymologico pag.* 446. (10) *lib.* 111. *Miſcellan. cap.* 3.

torum cadavera deducens, eſt apud *Tertullianum*[1], ſenſu eodem. De Spoliario eſt *Senecæ* teſtimonium[2]: *Nunquid aliquem tam cupidum vitæ eſſe putas, ut jugulari in Spoliario quam in arenâ malit?* Et Lampridii[3]: *Gladiatoris cadaver trahatur, Gladiatoris cadaver in Spoliario ponatur.* Ejuſmodi Spoliarium imprimis erat locus ille devexus & fœtidus prope montem Aventinum in ripa Tiberis, quem *Scalas Gemonias* vocat *Plinius*[4]. Eo cadavera noxiorum uncis attracta dejiciebant, canum eſcam, aut ſi furori hoc non ſatis eſſet, protracta inde in Tiberim devolvebant, *Suetonius*[5], *Tacitus*[6]. De ſcalis Gemoniis quædam ex *Oliverio* annotat *Thyſius*[7], ubi inter alia hæc etiam leguntur: *Nocentes ad ſcalas Gemonias trahebantur unco, id eſt, impacto gutturi unco producebantur in harenam, ubi poſtea pendentium crura frangebantur & ſubjecto igne ardebant, quod genus ſupplicii tetigit* Juvenalis:

Qui ſtantes ardent, & fixo gutture fumant.

Hæc ibi. Verum de re iſta occurrit nuſpiam, & *Juvenalis* dictum pertinet ad ſupplicii genus illud, quod deſcribemus *infra*[8].

XII. MEGALENSES ludi fiebant in honorem magnæ Matris Deorum Aprili menſe per ſex dies † ordine, poſtquam illam Attalus Rex Pergami, Romanis ita cupientibus a ſe dimiſerat in Urbem advehendam, *Varro*[9], & *Scaliger*[10], *Johan. Gerh. Voſſius*[11]. Ludorum exempla habes apud *Livium*[12]. *Populare ſacrum* vocat Martialis[13]:

Et populare ſacrum bis millia dena tuliſſet.

nam de ludis Megalenſibus exponunt *Schrevelius*[14], *Farnabius*[15]. Totâ Urbe in thenſa circumferebatur imago

† Herodianus *l.* I.

(1) *in Apologetico.* (2) *Epiſt.* 94. (3) *cap.* 18. *Commodi.* (4) *lib.* VIII. *cap.* 40. (5) *lib.* III. *cap.* 53. 75. *lib.* IX. *cap.* 17. (6) *lib.* V. *Hiſtor.* (7) *Notis variis ad Valerium Maximum pag.* 536. (8) *cap.* VII. *diſt.* 4. (9) *lib.* V. *de LL. pag.* 47. (10) *in Conjectaneis ibidem pag.* 74. (11) *in Lexico Etymologico pag.* 315. (12) *lib.* XXIX. & XXXIV. (13) *lib.* X. *Epigram.* 41. (14) *in Annotatis pag.* 568. (15) *in Notis pag.* 317.

Divæ, præcedebant Matronæ fidibus ludentes, Magiſtratus & Cives ſequebantur veſtibus ſplendidis induti, domi vero convivia agitabantur. CEREALES fiebant menſe Aprili per dies octo, in honorem Cereris: procedebant Urbe tota Matronæ ſolæ, & mœſto habitu, geſtu, vultu, ſimulabant matrem quærentem filiam Proſerpinam a Plutone latronum Principe raptam, ſub noctem epulas adornabant, ſed vinum non bibebant, & a maritis ſeorſum dormiebant.

XIII. FLORALES menſe Majo fiebant in honorem Floræ Nymphæ, quæ hortis & floribus præerat, *Plinius* [1]. Scorta noctu per Urbem vagabantur, nudo ſi vellent corpore, femoralibus vero induta, cum facibus accenſis, tubicinio: & armis gladiatoriis depugnantes, ut notat *Scholiaſtes* vetus ad *Juvenalem* [2]. Teſtimonia ſunt quoque alibi. Statius [3]:

Hos inter fremitus, novoſque luxus,
Spectandi levis effugit voluptas:
Stat ſexus rudis inſciuſque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles.

Suetonius [4]: *Venationes, gladiatoreſque & noctibus ad lychnuchos, nec virorum modo pugnas, ſed & fœminarum.* Martialis [5]:

Noſſes jocoſæ dulce cum ſacrum Floræ,
Feſtoſque luſus & licentiam vulgi,
Cur in theatrum Cato ſevere veniſti,
An ideo tantum veneras, ut exires?

Jocoſam Floram vocat propter jocos & vulgi licentiam in ludis iis, quam cum ferre non poſſet Cato Cenſorius ſpectatæ gravitatis Senator, cum forte adeſſet, maluit abire quam oculis uſurpare fœdos luſus. Hoc eſt quod exponit *Martialis*, narratque *Valerius Maximus* [6]. Rurſum [7]:

Qui Floralia veſtit & ſtolatum
Permittit meretricibus pudorem.

Arno-

(1) *lib.* XVIII. *cap.* 29. (2) *Sat.* 6. *verſ.* 249. (3) *lib.* 1. *Sylv.* 6. (4) *lib.* XII. *cap.* 4. (5) *lib.* V. *Epig.* 3. (6) *lib.* II. *cap.* 10. (7) *lib.* I. *Epigram.* 36.

Arnobius [1] : *Exiſtimatur tractari honorifice Flora, ſi ſuis in ludis flagitioſas conſpexerit res agi & migratum ab lupanaribus in theatra.* De Floralibus prolixe agit *Ovidius* [2].

XIV. APOLLINARES menſe Julio fiebant in honorem Apollinis, ſupplicabantque Matronæ pro felice ſucceſſu armorum. Mactabantur bos auratis cornibus & capræ duæ, Latronæ vero ſimul cædebatur bucula inaurata, *Livius* [3].

XV. CAPITOLINI fiebant in honorem Jovis Capitolini, quod ille Gallos Senonas depuliſſet, ne Capitolium Populi Romani arcem devaſtare poſſent, *Livius* [4]. Ab illis diverſi agones Capitolini, quos *peculiari commentario* illuſtravit *Onuphrius Panvinius*. Inſtituit eos Cæſar Domitianus, ut quinquennio elapſo celebrarentur more Græcorum, qui Olympiades ſecundum ludos Olympios numerabant, *Suetonius* [5]. Certabant tunc omne genus artificum, & cumprimis Poëtæ recitabant, quas fecerant, fabulas, coronamque accipiebant, ſi placuiſſent. In eo agone *Statius* declamavit *Thebaidem* ſuam, multo labore conſcriptam, rejectus vero palmam in medio poſitam reliquit aliis. Teſtatur Juvenalis [6] :

Curritur ad vocem jucundam, & carmen amicæ
Thebaidos, lætam fecit cum Statius urbem.
Promiſitque diem, tantâ dulcedine captos
Afficit ille animos tantâque libidine vulgi
Auditur, ſed cum fregit ſubſellia verſu,
Eſurit.

Dicit Satyrice, *cum fregiſſe ſubſellia verſu*, quoniam, ut Comici loquuntur, recitans non ſtetit, ſed excidit, hoc eſt, non placuit. Nam quod *Lubinus* [7], ad Statii laudes accommodat, *eum tanto cum favore populi recitaviſſe, ut præ concurſu auditorum ſcamna perfracta ſint*, hoc, inquam, non exprimit verum ſenſum, & vero *Statius* [8] ipſe conqueritur de ſorte ſiniſtrâ, quod publi-

(1) *lib.* VII. *pag.* 238. (2) *lib.* V. *Faſtorum.* (3) *lib.* XXV. *Hiſtor.* (4) *lib.* V. *Hiſtor.* (5) *lib.* XII. *cap.* 4. (6) *Satyr.* 7. (7) *Commentario h. l. pag.* 320. (8) *lib.* V. *Sylvar. carm.* 3.

blico ſuffragio caruerit. Qui vicerant Poëtæ, laureâ coronabantur, eſtque hæc prima origo Poëtarum laureatorum, uti conjicit *Joſephus Scaliger*[1].

XVI. CONSUALES fiebant menſe Septembri per dies novem in honorem Neptuni, quem *Conſum* vocabant, id eſt, *Deum conſiliorum*. Nam hic eſt una cum Apolline Deorum clariſſimus, quos Phrygum, religione celebratos in Italiam ſecum adduxit Æneas, & Apollo quidem erat præſes armorum: Neptunus conſiliorum, & huic quidem Ara ſubterranea in Circo maximo erat conſecrata.

XVII. COMPITALICII fiebant menſe Decembri poſt Saturnalia finita, in honorem Geniorum per vicos & vias publicas tutelarium. Liba dabantur illis pro ſacrificio & convivia agitabant ſervi cum heris ruſticis mixti, erantque velut acceſſio Saturnalium ex inſtituto Regis Servii Tulli. Nam ſervi a laboribus vacantes gaudebant ſummâ libertate, *Dionyſius Halicarnaſſ.*[2].

XVIII. SECULARES fiebant poſt exactos centum annos, magnis ſumptibus, *Angelus Politianus*[3], *Carolus Sigonius*[4], *Bartholomæus Marlianus*[5], *Elias Vinetus Santo*[6], *Jacobus Strada*[7]. In honorem Plutonis & Proſerpinæ edebantur, primuſque inſtituit Valerius Publicola, cum murus & porta de cœlo tacta, & inſecuta peſtis non levem terrorem incuſſiſſent Populo, atque verebatur ille ne ob Reges pulſos Deorum iram forte commoviſſent. Tribus diebus ſacra fiebant in ripâ Tiberis, totidemque noctibus ordine choreis & carminibus in campo Martio perſtrepebant: carmina Viri Docti componebant in hunc uſum nova, & ſunt talia apud *Catullum*[8], *Horatium*[9]. Rogabantur Apollo & Diana, ut civitatis bonum procurare vellent: in Capitolio Matronæ ſupplicabant: per delubra omnia Diis omnibus vi-

(1) *in Lectionibus Auſonianis lib. I. cap.* 10. (2) *lib.* IV. (3) *Miſcellaneis cap.* 58. (4) *lib.* III. *Emendationum pag.* 153. (5) *in Annalibus Conſulum pag.* 16. (6) *Notatis ad Cenſorinum de die Natali lit.* B. (7) *in Epitome Theſauri Antiquitatum pag.* 60. (8) *Epigr.* 35. (9) *lib. Carm.* 21. *lib.* IV. *Carm.* 6. *lib.* 5. *carm. ult.*

victimas festas offerebant : cumprimis in subterraneâ arâ Diis Manibus immolabant duos boves furvos & juvencam unam. Eos paulatim abolitos restituit Augustus Cæsar, *Suetonius* [1]. Principes secuti retinuerunt & Domitiani quidem Nummus, ubi pingitur ille sacra Secularia faciens, est apud *Antonium Augustinum* [2]. Cumprimis de Septimii Severi ludis Secularibus testatur *Herodianus* [3], estque Nummus de re istâ apud *Antonium Augustinum* [4]. Demum & Philippus Imperator celebravit ludos Seculares, qui probant, eum non fuisse Christianum, *Eutropius* [5], secus quam *Eusebio* [6], & *Flavio Blondo* [7], visum est, adversus quos notavimus quædam *Auctariis ad Pappum* [8], atque adde *Christoforum Adamum Rupertum* [9]. Si enim Christianus erat, unde illud pro Deorum & Dæmonum cultu publicum testimonium ? Nummi Philippici* pro ludis Secularibus videantur apud



Antonium Augustinum [10]. Demum Constantinus Magnus lege latâ abrogavit, ut diximus *ibidem* [11]. Magni hujus Imperatoris profectum in verâ religione commendat Lactan-

* Quorum unum huc adduximus ex J. Gutherio *l.* 1. *de Jure Pontif. c.* 12.

(1) *lib.* 11. *c.* 31. (2) *Tab.* 32. *num.* 3. 8. (3) *lib.* 111. (4) *Tab.* 35. *n.* 9. 13. (5) *lib.* 1x. *Histor.* (6) *lib.* v1. *Histor. cap.* 25. (7) *lib.* 11. *de Româ triumphante fol.* 42. (8) *pag.* 68. & 120. (9) *in Observationibus Historicis pag.* 356. (10) *Tab.* 58. *num.* 1. 2. 3. 4 5. 6. 7. 8. 9. 10. 15. 18. 23. 24. (11) *pag.* 70.

ctantius [1] : *Primus tu Romanorum Principum repudiatis erroribus, majestatem Dei singularis ac veri & cognovisti & honorasti.* De patriâ ejus assignandâ errant *Pomponius Lætus*, *Camdenus*, *Baronius*, qui in Britannia natum asserunt. Hos multis refellit *Justus Lipsius* [2]. Attamen *Baronius* [3], pro evincendâ Britanniâ adfert verba Panegyristæ Gallicani [4] : *Liberavit pater tuus Britannias servitute, tu etiam nobiles illic oriendo fecisti.* Annotat Livineius [5] : *Locus lubricus, & qui Baronium in errorem induxit. Patriam Constantini fuisse Tharsum, Julius Firmicus scribit* lib. 11. Mathes. cap. 4. *Tharsum Cilissam Geographi passim, Bithynàm* Stephanus *commemorat, quam* Firmicus *(opinor) senserit. At Panegyristæ ortus in Britannis. Mane & interpretamentum cape ex his incerti in Constantinum, quem Eumenium putamus:* O fortunata & nunc omnibus beatior terris Britannia, quæ Constantinum Cæsarem prima vidisti. *Et nota sis mihi additamentum, Cæsarem. Scilicet alter natalis, & quasi quædam recreatio est, Cæsarem adsciscì.* Hæc *Livineius.* De negocio isto egimus *in Auctariis sæpius allegatis* [6]. Breviter : Dacus erat Cæsar, & natus in urbe Naisso, non vero Tharsi Bithynorum, multo minus in Britanniâ. Panegyristæ verba *Livinejus* recte exponit.

XIX. VOTIVI fiebant ex condicto Principum vel Consulum ad bella abeuntium, vovebantque Jovi & Apollini, aut quemcunque Deorum expeditioni suæ faventem esse volebant, quod post feliciter confectum bellum & devictos hostes Ludos solennes impensis magnis edere vellent. *Inscriptio* Romana : TI. CLAUDIUS. TI. F. NERO. PONTIFEX. COS. ITERUM. IMP. ITERUM. LUDOS. VOTIVOS. PRO. REDITU. IMP. CÆSARIS. DIVI. F. AUGUSTI. PONTIFICIS. MAXIMI. JOVI. OPTIMO. MAXIMO. FECIT. EX. S. C. *Gruterus* [7]. Ipsique ludi vocaban-

(1) *lib.* 1. *Institut. Divinar. cap.* 1. (2) *lib.* IV. *de Magnitud. Romæ cap.* 11. *& notis ibid. pag.* 220. (3) *Tom.* 3. *Annal. Ecclesiast. pag.* 6. (4) *Panegyr.* 5. *cap.* 4. (5) *Notis ad Panegyricos pag.* 331. (6) *pag.* 124. (7) *in Vol. pag.* 11. *num* 1.

bantur *Ludi Magni*, ut teſtatur *Livius* [1], ubi Fabius Maximus Dictator pro felici ſucceſſu belli Punici ſecundi vovet Ludos Magnos extraordinarios in honorem Jovis Deorum principis, & Sacrificia trecentorum boum. Exempla alia ſunt apud eundem *Livium* [2], & de Cornelio Syllâ apud *Vellejum* [3]. De Auguſto Cæſare, qui poſt devictum Antonium Ludos quinquennales condidit, referunt *Suetonius* [4], *Tacitus* [5], *Dion Caſſius* [6]. Eratque agon ille Actiacus mere Olympius, quem illuſtrem fecit Auguſtus decimis ex hoſtium prædâ Apollini conſecratis, ut *Strabo* [7] narrat. Confer *Joſephum Scaligerum* [8], *Berneggerum* [9], *Calviſium* [10], *Petavium* [11]. Antonius Imperator vota decennalia pro Reipublicæ ſalute ſuſcipiens, velato capite, pingitur apud *Antonium Auguſtinum* [12]. Quare ſit *velato capite*, diximus *ſupra* [13]. De Gallieno Cæſare, qui decennales Ludos μετὰ πάσης φαντασίας egit, vide *Trebellium Pollionem* [14], nam quod ibi *Cœlius Rhodiginus* emendare vult, *encænia celebravit* [15], hoc merito refellit *Marcellus Donatus* [16], & vulgarem lectionem, *decennia celebravit*, retinendam contendit, quomodo etiam *Baptiſta Egnatius*, *Caſaubonus*, *Salmaſius*, *Gruterus*, *Schrevelius*, *Boxhornius*, editores *Hiſtoriæ Auguſtæ* conſenſu magno excuderunt, ac ſequuntur *Julius Bulengerus* [17], *Johannes Cluverius* [18]. Plurima vide apud *Johan. Philip. Thomaſinum* [19].

(1) *lib.* XXII. *Hiſtor.* (2) *lib.* XXVII. 30. 39. *Hiſtor.* (3) *lib.* II. *Hiſtor.* (4) *lib.* II. *cap.* 19. (5) *lib.* XVI. *Annal.* (6) *lib.* LIII. & LIV. (7) *lib.* VII. (8) *lib.* V. *de Emendat. Temporum pag.* 137. (9) *Diatribis ad Suetonii Auguſtum pag.* 86. (10) *in Iſagogâ Chronologicâ cap.* 45. (11) *in Rationario temporum part.* 2. *lib.* III. *cap.* 15. (12) *Tab.* 42. *num.* 9. (13) *lib.* I. *cap.* XII. *num.* 18. (14) *in Vitâ ejus cap.* 7. (15) *lib.* XXII. *Antiq. Lect. cap.* 14. (16) *Elucidationibus ad Trebellium Pollionem p.* 993. (17) *lib.* III. *de Imperatore Romano cap.* 1. (18) *in Epitome Hiſtoriæ univerſalis pag.* 332. (19) *de Donariis & Tabellis votivis.*

CAP. VII.

De Judiciis publicis.

I. SCRIBIT Cicero [1] : *Omnia Judicia aut diſtrahendarum controverſiarum, aut puniendorum maleficiorum cauſâ reperta ſunt.* Illa vocamus Judicia *privata*, hæc *publica*. PRIVATA Judicia ampla nimis & diffuſa, breviter commemorari non poſſunt, adeoque legantur apud *Carolum Sigonium* libris prolixis *de Judiciis Romanis*, *Flavium Blondum* Forolivienſem [2], *Maſenium* [3], *Juſtum Lipſium* [4], & *Briſſonium* [5]. PUBLICA ſunt de criminibus illis, in quæ ſupplicium irrogabatur. Suppliciorum quædam ſumma erant, quædam mediocria, quædam vero minima. *Summa* erant crux, vivicomburium, decollatio : *mediocria* erant damnatio ad metalla, decertatio cum beſtiis & gladiatoribus : *minima* erant relegatio, opus publicum, vincula, *Paulus* [6].

II. Qui de capite vitaque damnatorum pronunciabant, illi jurabant, ſe nihil odio privato dare, ut refert *Seneca* [7]. Et poſtquam ſententia de irrogando ſupplicio ultimo recitata erat, illico ad exſequenda juſſa vocabantur Lictores, qui facinoroſum vinculis arctioribus conſtringerent. Nudabant illi facinoroſum, virgas & ſecures expediebant : & horrendum carmen, quod vocabant, erat irrevocabilis de ſubeundâ morte ſententia : *I lictor, deliga ad palum & morte affice.* Vel ſic : *I lictor, colliga manus, caput obnubito, infelice arbore ſuſpendito*, Livius [8]. Caput obnubere illi, qui certo mortis ſupplicio debebat affici, ſolebant quoque populi in Oriente. De Hamane in aulâ Perſica damnato legitur : *Faciem Hamanis operuerunt ſatellites*, Eſther. [9], & con-

(1) *pro Cæcinnâ.* (2) *lib.* IV. *de Româ triumphante fol.* 77. (3) *in Antiquitatibus Romanis cap.* 30. 31. (4) *in Satyrâ Menippeâ.* (5) *de ſolemnibus Formulis Populi Romani lib.* 2. 3. 5. 6. 7. (6) *in libro* V. *Sententiarum cap.* 17. (7) *lib.* II. *Controverſ.* (8) *lib.* I. *Hiſtor.* (9) VII. 9.

confer *Johan. Druſium* [1]. De eodem facto *Raderus* monet : *Aman juſſu Ochi ſeu Aſſueri velatus in crucem & patibulum ivit* [2], (Nimirum de Ocho exponit ille, quem nos putamus Xerxem fuiſſe cum *Joſepho Scaligero* [3], *Tremellio* & *Grotio* [4], *Druſio* [5].) Alia exempla ſunt alibi. De Philotâ Macedonum Principe : *Nec plura locutum capite velato in regiam adducunt*, Curtius [6], videlicet damnatus erat capitis, itaque [7] dicitur, *cum obligantur oculi*. Inter cruciatus ſcilicet. Indidem eſt, quod Jeſu Nazareno milites operuerunt faciem, *Marci* [8].

III. Cum ducebantur ad ſupplicium, in collo gerebant nolam apprime tinnulam. Plautus [9] : *Extra portam Meciam currendum eſt prius, lanios inde accerſam duos cum tintinnabulis, eadem duo greges virgarum ulmearum inde adegero.* Intelligit Carnifices, quorum extra portam illam, domus, ad ſolennem ſuppliciis locum. Hoc ideo, ne occurrerent forte Carnifici honoratiores cives, atque polluerentur, ut notant *Turnebus* [10], *Petrus Faber* [11]. Cæterum patet, quod in eos, qui fortunæ humilioris erant, palam animadverteretur a Carnifice: illi vero, qui exiſtimationis alicujus erant, ut aliquod in morte ſolatium haberent, & ne ſupplicii irrogatio cognatorum animos ad ultionem meditandam fortius incenderet, in carcere per Lictores puniebantur ſupplicio decreto, ſecuri vel reſte. Docet *Seneca* [12], & de hoſtium Ducibus triumphatis ſæpe legitur, in carcere necatos eſſe. Ita *Priſcus in carcerem ductus & ibidem interfectus eſt*, Tacitus [13], & porro apud eundem [14]. *Paconianus in carcere ſtrangulatus eſt.* De Catilinæ conjuratis in carcere necatis, agit *Saluſtius* [15]. Eodem pertinet, quod Johannes Baptiſta in carcere decollatur, *Matth.* [16].

(1) *lib.* XII. *Obſervat. cap.* 18. (2) *Commentar. ad lib.* IV. *Curtii pag.* 201. (3) *in Animadverſionibus Euſebianis pag.* 28. (4) *Notis ad cap.* I. *Eſtheræ.* (5) *Commentario ibid. pag.* 48. (6) *lib.* VI. *cap.* 15. (7) *cap.* X. (8) XIV. 65. (9) *in Pſeudolo Act.* I. *ſc.* 3. (10) *lib.* XXIII. *Adverſarior. cap.* 11. (11) *lib.* II. *Semeſtrium cap.* 8. (12) *lib.* IX. *Declamat.* 2. (13) *lib.* III. *Annal.* (14) *lib.* V. (15) *in Catilinariâ.* (16) XIV. 10.

Confer quæ obſervant *Marcus Vertranius Maurus* [1], *Petrus Faber* [2].

IV. De CRUCE agemus *peculiari Diatribâ, ſequenti capite.* VIVICOMBURIUM exquiſiti doloris ſupplicium erat, quo ſacrilegos puniebant & incendiarios, deinde Chriſtianos etiam, quia his impegerant maligni crimen, quod incendiarii & generis humani hoſtes eſſent. Nec tamen eis ſimplice Vivicomburio perire licuit. Nero Cæſar alligavit axibus cerâ & pice oblitos, hique noctu ardebant, & nocturni luminis uſum præbebant *Tacitus* [3], & ex eo *Sulpicius Severus* [4]. De ſupplicio iſto Juvenalis [5]:

——— ——— *Tædâ lucebis in illâ*
Quâ ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant.

Vivi ardebant & ſpectatoribus allucebant, erantque fixa eis guttura, ne ſe incurvarent. Rurſum Juvenalis [6]:

Auſi quod liceat tunicâ punire moleſtâ.

Tunicam moleſtam appellant quoque *Seneca* [7], *Martialis* [8]. *Tunicam incendialem* vocat *Tertullianus* [9], ubi vide *Jacobum Gothofredum* [10]. Erat induſium pice & cerâ intertextum, quo veſtiebantur fontes, ac tædâ, ſtupâ, papyro circumdati accendebantur, ut veluti candela deflagrarent. De quâ re *in Auctariis ad Pappum* [11] ſcripſimus, & confer *Petrum Crinitum* [12], *Johan. Gerh. Voſſium* [13], *Juſtum Lipſium* [14]. Lucretius [15]:

Carcer & horribilis de ſaxo jactu deorſum,
Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tædæ.

Ubi *pix* eſt illud, de quo nunc agimus, ſupplicium, teſte *Cœlio Rhodigino* [16]. Quanquam aliter Lambinus [17]: *Pice fervente infuſâ olim quorundam maleficorum hominum corpora urebantur. Plautus* in Captivis Act. III. ſc. 4.

Atra

(1) *in Annotatis ad Tacitum pag.* 79. (2) *lib.* II *Semeſtrium cap.* 7. (3) *lib.* XV. *Annal.* (4) *lib.* II. *Hiſtor. ſacræ cap.* 41. (5) *Sat.* I. (6) *Sat.* 8. (7) *Epiſt.* 14. (8) *lib.* X. *Epig.* 24. (9) *lib.* I. *ad Nationes cap.* 18. (10) *in Notis pag.* 140. (11) *pag.* 95. (12) *lib.* I. *de Honeſtâ Diſciplinâ cap.* 13. (13) *in Lexico Etymologico pag.* 536. (14) *Notis ad lib.* XV. *Annal. num.* 86. (15) *lib.* III. *de Nat. rer.* (16) *lib.* X. *cap.* 5. *Lect. antiq.* (17) *in Notis pag.* 405.

Atra pix te agitet apud carnificem ac tuo capiti illuceat. Sic etiam *Obertus Giſanius* [1], *Johan. Brodæus* [2]. Verum prior ſenſus eſt melior.

V. DECOLLATIO fiebat olim ſecuri, non habitâ ratione dignitatis, quæ forte aliqua in reo erat. Juvenalis [3]:

——— *Et legum prima ſecuris.*

Nimirum, quod vetuſtiſſimum omnium eſſet non apud Romanos tantum, ſed etiam Gentes alias, unde pro ſuppliciis omnibus poſitum eſſe reperitur, *Matth.* [4], *Roman.* [5] Imo & honeſtiſſimum, κάλλιστον θανάτων δίκῃ εἶναι, ait *Xenophon* [6], & non diſſimilia habet *Ammianus Marcellinus* [7]. Poſt Auguſti tempora gladius uſurpari cæpit, quando reus erat conditionis melioris, unde Baſſianus Cæſar valde increpuit illos, ſqui Papinianum ſecuri decollaviſſent, quod gladio factum oportuerat, teſte *Spartiano* [8], & confer *Lipſium* [9]. Scribit Florus [10]: *Legatos quippe noſtros, ob ea quæ deliquerant, jure agentes, nec gladio quidem ſed ut victimas ſecuri percuſſit.* De Liburnorum moribus dictum eſt, qui ſoliti gladio punire ſontes, victimas ſecuri percutere: & omnino ad Romanorum conſuetudinem referri non debet, qui tempore eo, de quo *Florus* agit, citra diſcrimen ſontes decollabant ſecuri. Quæ enim hic monet *Freinshemius* [11], vera equidem ſunt, attamen propoſito minus congrua ſunt. Lucanus [12]:

Tunc nervos venaſque ſecat, nodoſaque frangit
Oſſa diu, nondum artis erat caput enſe rotare.

Caput enſe rotare dicit, id eſt, amputare, quomodo *cervicem mucrone rotare*, dicit *Claudianus* [13]. Europæi non uno modo. Gladio utuntur Germani, Poloni, Galli, Hiſpani indifferenter: Suedi & Angli etiam ſecuri.

VI. *De ſaxo præcipites* agebantur facinoroſi, & pœnam illam

(1) *in Indice Lucretiano pag.* 395. (2) *lib.* II. *Miſcellaneor. cap.* 10. (3) *Sat.* 8. (4) XXVI. 25. (5) XIII. 4. (6) *lib.* II. *Cyropæd.* (7) *lib.* XXX. (8) *in Vitâ ejus cap.* 4. (9) *Notatis ad Tacitum lib.* XV. *Annalium num.* 133. (10) *lib.* II. *cap.* 5. (11) *in Notis pag.* 125. (12) *lib.* VIII. *Pharſal.* (13) *de Bello Gildonico.*

illam ſanciebant *leges XII Tabb.* in eos, qui falſum teſtimonium dicebant, ut allegat *Gellius* [1]. Cumprimis proditores, & qui ambitus crimine damnati erant, ita puniebant, uti factum eſt cum Manlio Capitolino, *Livius* [2], cum Spurio Caſſio, *Dionyſius Halicarnaſſ.* [3], cum Sexto Licinio, *Plutarchus* [4], & cum transfugis, *Livius* [5]. Sic Amaſias Rex præcipites dejecit Edomitas a ſaxis, 2. *Chronic.* [6]. *Lucretius* verbis ſupra prolatis [7]:

— *Horribilis de ſaxo jactu deorſum.*

Horatius [8]:

——— ——— ——— *Audet*
Dejicere è ſaxo cives. ——— ———

Saxoſalios vocat *Plautus* [9], & adde *Marcum Vertranium* [10].

VII. Parricidas *inſuebant culeo & aquis demerſos* ſuffocabant. Cicero [11]: *Majores noſtri cum intelligerent, nihil eſſe tam ſanctum, quod non aliquando violaret audacia, ſupplicium in Parricidas ſingulare excogitaverunt, ut quos natura ipſa retinere in officio non potuiſſet, ii magnitudine pœnæ ſummoverentur. Inſui voluerunt in culeum vivos atque ita in flumen dejici.* Juvenalis [12]:

Cujus ſupplicio non debuit una parari
Simia, nec ſerpens unus, nec culeus unus.

Et porro [13]:

Et deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adverſis innoxia ſimia fatis.

Corium bovis eſt, quod in verbis proximis fuerat culeus. Et beſtiæ illæ omnes, gallus, canis, ſimia, ſerpens compingebantur una cum facinoroſo. Adde *Suetonium* [14], & confer *Baronium* [15], *Hieronymum Magium* [16]. Præterea ſunt exempla eorum, quos in aliis criminibus deprehenſos merſerunt aquis pro ſupplicio. *Livius* de Turno

[1] *lib.* XX. *cap.* I. [2] *lib.* VI. [3] *lib.* VIII. [4] *in Mario.* [5] *lib.* XXXIV. [6] XXV. 12. [7] *lib.* III. [8] *lib.* I. *Sat.* 6. [9] *in Trinummo Act.* 2. *ſc.* 1. [10] *Notis ad Tacitum pag.* 50. [11] *Oratione pro Sexto Roſcio Amerino.* [12] *Sat.* 8. [13] *Sat.* 13. [14] *lib.* II. *cap.* 33. [15] *Notatis ad Martyrologium p.* 149. [16] *lib.* IV. *Miſcellan. cap.* 8.

no Herdonio[1]: *Ut indictâ cauſâ, novo genere lethi dejectus ad caput aquæ Ferentinæ crate ſuperne injectâ, ſaxisque conjectis mergeretur.* Suetonius[2]: *Pædagogum miniſtrosque Caji filii per occaſionem valetudinis mortiſque ejus, ſuperbe avareque in provinciâ graſſantes, oneratis gravi pondere cervicibus præcipitavit in flumen.* Hoc quidem ſecundum leges Provinciarum illarum, ubi peccaverant, ut in loco pœnas darent, fieri permiſit Auguſtus. Nam Romanis quidem novum lethi genus erat, ut *Livius* ſupra dicebat, Græcis notiſſimum. *Diodorus Siculus*[3]: οὗτοι δὲ ἅπαντας ὡς ἱεροσύλους καταπόντισε. De Phocenſibus loquitur, quos Philippus Macedo devictos & prælio captos velut ſacrilegos Delphici templi expilatores, demerſit in aquis. Adde *Polybium*[4], *Athenæum*[5]. Non tamen omnes eodem modo. Καταπνπισμὸν è Syrorum uſu deſcribit Chriſtus Matth.[6]: *Præſtiterit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, ac demergatur in profundo maris.* Annotat Hieronymus: *Secundum ritum provinciæ loquitur Chriſtus, quo majorum criminum iſta apud veteres Judæos pœna fuit, ut in profundum alligato ſaxo demergerentur.* Erroneum omnino eſt, quod *de veteribus Judæis* aſſerit, nam in horum lege & rebus geſtis nulla τῆς καταποντισμῆς mentio eſt. Quanquam reclamet *Philippus Caroli*[7]. Dicemus quædam *infra*[8]. De Syris verum eſt, qui hoc modo in ſacrilegos animadvertebant, quemadmodum Græci & Romani. *Scholiaſtes*[9]: ὅταν γὰρ καταπόντων τινὰς βάρος ἀπὸ τῶν τραχήλων. Et Chriſtus ita deſcribit, ut conveniat exacte cum illo ſupplicio, quod Cæſar permiſit irrogari miniſtris Caji prædonibus. Porro de meretricibus & meretricariis in mare abjiciendis, vide *Suetonium*[10].

VIII. Vetus ſupplicium fuit, *ſectio in partes.* De quo leges XII. Tabb. *Tertiis nundinis partes ſecanto.* Nimirum

[1] *lib.* I. *Hiſtor.* [2] *lib.* II. *cap.* 67. [3] *lib.* XVI. [4] *lib.* II. [5] *lib.* X. & XIV. [6] XVIII. 6. [7] *Animadverſis ad Curtium pag.* 158. [8] *cap. ſeq. diſt.* 2. [9] *ad Ariſtophanis Equites.* [10] *lib.* IV. *cap.* 16.

rum decoctores perverſi, qui non diſſolvebant æs alienum. Atqui nunquam hanc pœnam adverſus malæ fidei debitores uſurpatam fuiſſe, multis cum rationibus, tum authorum teſtimoniis confirmant *Salmaſius*[1], *Deſiderius Heraldus*[2]. Sunt tamen exempla alia. Bœbius Syllæ juſſu in fruſta lacerabatur, *Florus*[3], *Lucanus*[4]. Cal gula multos honeſti ordinis medios ſerra diſſecuit, *Suetonius*[5]. Medios accipe longitudinis & ſtaturæ. Expreſſe *Dion Caſſius* de rebellantibus in Africa Judæis ſub Trajano: πολλὰς δὲ καὶ μέσας ἀπὸ κεφαλῆς διέπριον. Inter varia ſupplicia, quibus David punivit Ammonitas ob violatos Legatos, recenſetur, quod multos ferris diſciderit, 2. *Samuel.*[6]. De Haſaële Rege Syrorum prædicit Eliſa: *prægnantes in fruſta concides*, 2. *Reg.*[7]. Menahem Tyrannus in proprios cives ſævit, & in Thirſa prægnantes diſſecuit, 2. *Reg.*[8]. Agag in fruſta conciditur, 1. *Samuel.*[9].

IX. Damnabantur *ad metalla* fodienda abigeatores, incendiarii, plagiarii, ut vitæ gratia eis fieret, utque ærarii reditus augerent laboribus ærumnoſis, de qua re dictum eſt *ſupra*[10].

X. De *pugnâ adverſus beſtias & gladiatoriis cædibus*, diximus *ſupra*[11]. Supplicium hoc deinde Chriſtianis irrogatum fuit. Hinc Tertullianus[12]: *Si Nilus non adſcenderet in arva, ſi cœlum ſtaret, ſi terra moveretur, ſi fames, ſi lues, ſtatim: Chriſtianos ad leones.* Et *Paræneſi ad caſtitatem*[13], refert quotidianas voces: *Chriſtiani ad beſtias.* Nimirum, uti crux, ita beſtiæ deſtinabantur illis veluti vilioribus. Similia habent *Arnobius*[14], & confer *Deſiderium Heraldum*[15], *Baronium*[16].

XI. RELEGATIO erat, cum Civis Romanus intra

(1) *de Modo Uſurarum pag.* 822. (2) *Obſervationibus ad Jus Atticum & Romanum lib.* IV. *cap.* 4. (3) *lib.* III. *cap.* 21. (4) *lib.* II. *verſ.* 119. (5) *lib.* IV. *c.* 27. (6) XII. 31. (7) VIII. 12. (8) XV. 16. (9) XV. 33. (10) *cap.* V. *diſt.* 2. (11) *cap.* VI. *diſt.* 10. (12) *in Apologet. cap.* 40. (13) *cap.* 11. (14) *lib.* I. *adverſus Gentes pag.* 14. (15) *Animadverſionibus ibid. pag.* 27. (16) *Notatis ad Martyrologium pag.* 64.

tra certum diem juberetur excedere finibus Italiæ. Et tunc ei formulâ ſolenni *interdicebatur aquâ & igni*. Quia enim Civi Romano haut poterat vita jure eripi, adeoque infelix carmen non poterat adverſus eum proclamari, neque tamen delicta impune abire debebant, hoc temperamentum exercendæ juſtitiæ inventum eſt, ut illis, poſt cauſam in Comitiis centuriatis diſcuſſam, igni & aquâ interdiceretur. Nimirum ſubſidiis iis, quibus vitæ humanæ converſatio continetur, deſtituti in terras peregrinas emigrare cogebantur, ita factum eſt, ut civitatem Romanam amitterent, & a ſicariis, ſi non pro pretio, ſaltim impune occiderentur.

XII. Damnatio *ad opera publica* erat, cum ergaſtulis & piſtrinis concluſi laboribus ſervilibus premebantur, aut ad viarum munitiones adigebantur. Et hi equidem ſtigmatis notabantur, ut referunt *Seneca* [1], *Suetonius* [2]. Scilicet, erant ſervi publici & perpetui, moriſque fuit, ſervos notis illis impreſſis inſignire, ut monet *Petrus Faber* [3], & nos dicemus *infra* [4]. In piſtrinis frumenta commolebantur, molas vero circumagebant jumenta oculis corio obductis, vel ſervi facinoroſi, quorum oculos effodiebant ſupplicii loco. Sulpicius Severus [5]: *Tum illi effoſſis oculis compedibus in carcerem conjecerunt*. De Simſone loquitur, & hiſtoria exſtat *Judic.* [6] Factum ideo ne vertigo illos occuparet ac laborem impediret. Apulejus [7]: *Molæ, quæ proxima videbatur, matutinus adſtituor, & illico velatâ facie propellor ad incurva ſpacia flexuoſi canalis, ut in orbe termini circumfluentis reciproco greſſu, mea recalcans veſtigia, vagarer incerto errore*. Rei ejuſdem teſtimonium eſt apud *Herodotum* [8].

XIII. Vincula ſuſtinebant, qui in carceribus concluſi erant. *Cuſtodias* vocant *Tacitus* [9], *Suetonius* [10]. Militaris cuſtodiæ ratio hæc erat, ut miles & vinctus eodem

(1) *lib.* III. *de Irâ cap.* 3. (2) *lib.* IV. *cap.* 27. (3) *lib.* II. *Semeſtrium cap.* 5. (4) *lib.* IV. *cap.* 1. *diſt.* 3. (5) *lib.* I. *Hiſtor. ſacræ cap.* 52. (6) XVI. 21. (7) *lib.* IX. *Mileſiar.* (8) *in Melpomene.* (9) *lib.* III. *Annal.* (10) *lib.* III. *cap.* 61. *lib.* IV. *cap.* 27. *lib.* VI. *cap.* 31. *lib.* XII. *cap.* 14.

dem vinculo innexi, miles quidem in ſiniſtrâ manu vinculum haberet, vinctus facinoroſus in dexterâ, adeoque alter alterum penes ſe traheret ſemper. Locus eſt *Actor.*[1] τῷ δὲ Παύλῳ ἐπετράπη μένειν καθ' ἑαυτὸν, σὺν τῷ φυλάσσοντι αὐτὸν στρατιώτῃ. Hic miles eſt ille, qui advinctam in ſiniſtro brachio catenam geſtabat, cuſtodiæ ejus præfectus. Seneca[2]: *Eadem catena cuſtodiam & militem copulat.* Et[3]: *Alligatique etiam ſunt qui alligaverunt, niſi tu forte leviorem in ſiniſtrâ catenam putas.* De hac re notavimus quædam *Auctariis ad Pappum*[4], & confer *Johannem Druſium*[5], *Joſephum Scaligerum*[6], ubi eſt:

Vinctorum dominus, ſociuſque in parte catenæ.

Ad præſentem rem pertinet. Sæpe duo milites uni reo dati ſunt, majori cuſtodiæ. Exemplum eſt *Actor.*[7], & prolixe *Juſtus Lipſius*[8].

XIV. Delictum, ob quod aliquis meruerat vitâ mulctari, vel proclamabatur a Præcone tunc, cum facinoroſus per vicos trahebatur ad ſupplicium, vel ligneæ tabulæ albæ inſcriptum nigris literis appendebatur ad caput ejus, qui in cruce languebat. κάτηγμα vocat *Heſychius*, & confer quæ dicemus *infra*[9]. Exemplum refert Lampridius[10]: *Taurinius malarum cauſarum patronus in foro ad ſtipitem ligatur, & fumo appoſito necatur, Præcone dicente: Fumo punitur, qui vendidit fumum.* Alia adferunt *Jacobus Cujacius*[11], *Jacobus Pontanus*[12]. De tabulâ appenſâ eſt *Lucæ*[13], *Johan.*[14]. Sed & damnatus tabulam inſcriptam èque collo ſuſpenſam præferebat ſæpe tunc cum traducebatur, id eſt, oſtentui cauſa per urbem educebatur ad locum ſupplicii. *Dion Caſſius*[15]: Δι' ἃ τὸν ἀγορᾶς μέσης μὲν γραμμάτων τὴν αἰτίαν τῆς θανατώσεως αὐτοῦ δηλούντων διῆγαγόν, καὶ μὲν ταῦτα ἀνακηρύσσοντι. Martialis[16]: *Tra-*

(1) XXVIII. 16. (2) *Epiſt.* 5. (3) *de Tranquillitate animi cap.* 10. (4) *pag.* 12. (5) *Præteritis ad Novum Teſtam. lib.* V. *pag.* 319. (6) *Annotatis ad Manilium lib.* V. *pag.* 418. (7) XII. 6. (8) *Notis ad Tacitum lib.* III. *Annal. num.* 41. (9) *ſeq. cap. diſt.* 12. (10) *in Vitâ Alexandri Severi cap.* 36. (11) *lib.* XIII. *Obſervationum cap.* 3. (12) *in Atticis Bellariis pag.* 432. (13) XXIII. 38. (14) XIX. 19. (15) *lib.* LIV. (16) *libro Spectaculorum epigr.* 4.

Traduͣta eſt titulis. ——

Sic enim locum pravâ lectione,

Traduͣta eſt Getulis, ——

deturpatum, emendant *Lipſius*[1], *Farnabius*[2], *Ramireſius*[3]. Cæterum *Petrus Scriverius* legit: *Tradita Getulis*, & annotat[4]: *traditi ſunt delatores Getulis, leonum rectoribus, ut eos leonibus objicerent, quod non vacaret toties repetitis ludis adeſſe, in exilium pulſi urbem deſeruerunt.* Non male, & adde quæ de re ipſa monent *Jacobus Cujacius*[5], *Petrus Faber*[6]. *Titulum* vocat quoque *Suetonius*[7], ubi ſervi furis ſupplicium deſcribit.

CAP. VIII.

De Cruce adverſus Baronium ejuſque abbreviatorem Spondanum Diatriba peculiaris.

I. AMICE lector, non ſunt anni ita multi, cum verſabar in diligenti lectione *Annalium Baronii*, & vero inter legendum forte animadverſiones aliquæ ſub manibus naſcebantur, eas deinde ad *Epitomen Spondani* applicare malebam, ne perirent, & excerpta multa *in Auctariis ad Pappum* nuper editis vulgavi, reliqua domi in ſchedis reſervo meliori occaſioni. Quæ nunc de CRUCE prolixius aliquanto commentabimur, indidem ſunt. *Spondani* verba ſunt iſta: *Apud Judæos homicidarum pœnam fuiſſe crucem; tradit Philo* libro de Legibus ſpecialibus. *Sed divina quadam diſpenſatione factum eſt, ut ſupplicium, quod Barabbæ duplici ex cauſa debebatur, tum ut latroni, tum ut homicidæ, converteretur in Chriſtum, cujus nulla eſſet mortis cauſa, ut Dei Filius pro redemptione generis humani Crucem ſubiret, quæ tam apud Judæos quam etiam Gentiles inſigne ſalutis eſſet.* Hactenus ille *in Epitome Annalium*[8].

(1) *Notis ad lib.* II. *de Cruce cap.* 11. (2) *in Notis pag.* 4. (3) *in Notatis ad h. l. pag.* 8. (4) *Animadverſ. ad h. l. pag.* 7. (5) *lib.* VIII. *Obſervation. cap.* 7. (6) *lib.* II. *Senteſtrium cap* 8. (7) *lib.* IV. *cap.* 32. *&* *lib.* XII. *cap.* 10. (8) *pag.* 32. *num.* 29.

II. Quod dicit, *Crucem apud Judæos fuiſſe pœnam homicidarum*, ſub examen vocabimus. Negant enim *Joſephus Scaliger* [1], *Caſaubonus* [2], *Petrus Faber* [3], *Druſius* [4], *Johannes Gerhardi* [5], *Georgius Calixtus* [6], *Hugo Grotius* [7], *Balduinus Walæus* [8]. Conſtat, quod tam lex Moſis, quam ex ea derivata judicia, prout a *Thalmudiſtis* deſcribuntur, ſolum quatuor ſupplicia enumerent in Populo Judaico uſitata, *Combuſtionem*, *Lapidationem*, *Gladium*, *Strangulationem*. Combuſtio quidem non fiebat, ut corpus in cineres redigeretur, ſed facinoroſi os ferro aperiebatur, inde plumbum liquatum infundebatur, quo exta & inteſtina exurebantur, corpore illæſo. Lapidatio erat, cum lapidum injectu opprimebatur intra locum undique concluſum. Gladio feriebant cervicem. Strangulabant, quando per ſudarium collo injectum innectebant guttur, donec præfocarentur. Hæc relata ſunt *in libro Sanhedrim* [9], & apud *Moſen de Kotſi* [10], quibus adde *Johannem Cocchium* [11], *Wilhelmum Schickardum* [12]. De Crucifixione apud Judæos nihil occurrit, ſive legem ſpectes ſive exempla. Primus atrociſſimum & pleniſſimum ignominiæ ſupplicium iſtud adhibuit Alexander Haſamonæus, & octingentis Crucibus totidem rebelles Judæos affixit, non tam ſecundum leges patrias, quam ex uſu Parthorum & Romanorum †, quorum ſtudia bellica tunc temporis in Oriente clariſſima erant, *Joſephus* [13]. Totum ergo ſupplicium Romanorum eſt, flagellatio, ſuffixio in Cruce, lateris ſuffoſſio, veſtimentorum diviſio. Parthi, Macedones, Pœni quoque affigebant Crucibus, hoc tamen cum diſcrimine, quod apud

† Etiam Schytharum *Juſtinus* 2, 5, 6.

(1) *in Animadverſis Euſebianis pag.* 109. (2) *in Exercitationib. adv. Baron. Exercit.* 16. *ſect.* 77. (3) *lib.* II. *Semeſtr. cap.* 8. (4) *lib.* IV. *Præteritor. ad Novum Teſtam.* (5) *in Harmoniâ Paſſionis cap.* 13. (6) *in Concordiâ Euangelicâ lib.* VI. *cap.* II. (7) *in Annotatis Euangelicis pag.* 208. (8) *Commentario perpetuo ad Euangelia pag.* 779. (9) *cap.* VII. *ſect.* 1. (10) *in Præceptis poſitivis num.* 248. & 365. (11) *Notis ad Sanhedrim pag.* 57. (12) *de Jure Regio Hebræorum pag* 103. (13) *lib.* XIII. *Antiquitat. cap.* 22.

apud Gentes illas viri illuſtres perinde ut vilioris ſortis homines pœna iſta necabantur, *Esdræ*[1], *Eſther*[2], *Curtius*[3], *Juſtinus*[4], *Herodotus*[5]. Romani ſervis tantum Crucis ſupplicium irrogabant, itaque *ſervile ſupplicium* vocant *Tacitus*[6], *Capitolinus*[7], *Paulus* Jctus[8], (ubi eſt: *Si ſervi de Domini ſalute conſuluerint mathematicos, ſummo ſupplicio, id eſt, Cruce afficiuntur.*) *Vulcatius*[9]. Hinc illud ſervi fatum:

Noli minitari, ſcio Crucem mihi futuram ſepulchrum.
Ibi majores mei ſiti ſunt, pater, avus, proavus, abavus.

Plautus[10]. Et conſentit Horatius[11]:

Si quis cum ſervum, patinam qui tollere juſſus
Semeſos piſces, tepidumque ligurrierit jus,
In Cruce ſuffigat, Labeone inſanior inter
Sanos dicatur?

Solebat irrogari quoque liberis, verum ſeditioſis, latronibus, fugitivis, atque illis, qui Populum adverſus Magiſtratum concitabant[12], *Florus*[13], *Valerius Maximus*[14], *Cicero*[15]. Et prolixe *Baronius*[16], *Petrus Faber*[17], *Marcellus Donatus*[18].

III. Contendunt *Baronius*[19], *Lipſius*[20], *Gretſerus*[21], *Sigonius*[22], *Galatinus*[23]. Beza *libro*[24], *Johan. Scarpius*[25], *Cornelius a Lapide*[26], *Matthias Stephani*[27], *Philippus Caroli*[28], quod ſupplicium hoc fuerit è conſuetudine Judæorum, ea quidem obſervata differentia, ut Romani faci-

(1) VI. 11. (2) VII. 9. 10. (3) *lib.* IV. *cap.* 15. (4) *lib.* IX. & XVIII. *Hiſtor.* (5) *in Thaliâ.* (6) *lib.* II. & IV. *Hiſtor.* (7) *in Vitâ Macrini.* (8) *lib.* V. *Sentent. diſt.* 22. (9) *in Avidio Caſſio.* (10) *in Milite glorioſo Act.* 2. *ſc.* 4. (11) *lib.* I. *Sermon.* 3. (12) *lib.* XXXVIII. §. 2. *ff. de pœnis.* (13) *lib.* III. *cap.* 19. (14) *lib.* II. *cap.* 7. (15) *Oratione pro Dejotaro.* (16) *Notis ad Martyrologium Romanum pag.* 155. (17) *lib.* II. *Semeſtrium cap.* 8. (18) *Elucidationibus ad Tacitum p.* 202. (19) *Tom.* I. *Annal. A. C.* 34. *num.* 94. *pag.* 221. & *Notis ad Martyrologium Romanum pag.* 230. (20) *lib.* I. *de Cruce cap.* 11. (21) *lib.* I. *de Cruce cap.* 19. (22) *lib.* VI. *de Republ. Hebræor. cap.* 8. (23) *lib.* VI. *cap.* 8. (24) *de Excommunicatione pag.* 107. (25) *in Curſu Theolog. pag.* 383. (26) *Commentario ad Galat.* III. 13. *num.* 66. 67. (27) *lib.* I. *de Juriſdictione cap.* 8. *n.* 11. (28) *in Guſtis Philologiæ ſacræ Dialog.* 3.

facinoroſos clavis per manus ac pedes adactis ſuffixerint trabali, Judæi vero funibus alligaverint. Probare conantur: (1) Quia Moſes jubente Deo Hebræorum primates ex arboribus ſuſpendit, *Numer.*[1] RESPONDEO: Hebræi, quos ſuſpendebant, eos primum jugulabant, ſive humi proſtratos nervo præfocarent, uti hodienum Turci, Mauri & Indi facere conſueverunt, ſive lapidibus obruerunt, inde cadavera ad lignum pendula oſtentui exponebantur, eratque hujuſmodi ſuſpenſio non tam ſupplicium quam ſupplicii conſequens, *Deuter.*[2], *Joſuæ*[3], *Thalmudiſtæ*[4]. Nec verum eſt, *quod primates ſuſpenderit*, quanquam hæc Interpretum omnium communis opinio ſit. Verba ſonant: *Aſſume omnes principes populi & ſuſpende illos Domino.* Debebat Moſes convocare principes, atque illis præſentibus judicium ferre contra eos, qui peccaverant. Pronomen *illos* referri debet ad *Populum*, id eſt, qui è populo deliquerant, non vero ad *Principes*, ut recte monent *Vatablus* & *Grotius*[5]. (2) Quia Reges Cananitarum ſuſpenduntur in ligno, *Joſuæ*[6], nec non poſteri Saulis, 2. *Samuel.*[7]. RESPONDEO: Eo, quo dictum eſt, modo, nec enim vera erat ſtrangulatio, multo minus erat Crucifixio, ſed cadavera oſtentui exponebantur è patibulo. (3) Quia *Paulus* illud, maledictus qui pendet in ligno, *Deut.*[8], applicat ad Chriſtum Crucifixum, *Galat.*[9]. RESPONDEO: Applicat per modum analogiæ, quandoquidem ſuſpenſio de ligno eſt generale aliquid, & poteſt accommodari furcæ, Cruci, patibulo, palis acutis, quomodo etiam Seneca[10] dicit, *latrones ſuſpendi*, id eſt, crucifigi. Et illos, quos Saraceni palis infurcarunt per ſeſſum adactis, *crucifixos eſſe*, ſcribit *Elmacinus*[11].

IV. Nunc reliqua perſequamur illo ordine, quo ſuccurrunt in hiſtoria paſſionis. Primum eſt: *Jeſum flagellavit*]

(1) XXV. 4. (2) XXI. 22. (3) X. 26. (4) *in libro* סנהדרין *cap.* VI. *num.* 4. (5) *in Notis b. l.* (6) VIII. 29. *cap.* X. 26. (7) XXI. 9. (8) XXI. 22. (9) III. 13. (10) *Epiſt.* 7. (11) *lib.* II. & III. *Hiſtoriæ Arabicæ.*

lavit] *Matth.*[1], *Marci*[2]. Apud Romanos erat horrendum carmen: *Verbera intra aut extra pomarium*, & porro ſuccinebatur, *arbore infelici ſuſpendito*, teſte *Livio*[3]. Et teſte eodem de ſervis conjuratis[4]: *Multi occiſi, multi capti, alii verberati crucibus affixi. Verberati*, id eſt, flagris percuſſi. De Judæis ſuis *Joſephus*[5]: μαστιγώμενοι καὶ σταυρούμενοι τὸ θανάτου πᾶσαν αἰτίαν, ἀνεσταυρῶντο. Puto huc referri debere illud Plauti[6]:

O carnificinum cribrum! quod credo fore,
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, ſi noſter huc revenerit ſenex.

De ſtimulis proprie dictis interpretantur *Taubmannus*[7], & *Lipſius*[8]. Sed opus non eſt, quando μεταφορικῶς ita appellat virgas, quibus propellebantur Cruciarii, ut eo alacrius progrederentur in via, uti boves ſtimulis invitantur ad promovendum jugum. Nudi & femoralibus cincti ibant ad ſupplicii locum, itaque in viâ ipſâ & ſub furcâ cædebantur deſtrictis flagris, ut de Chærea Tribuno refert *Joſephus*[9]. Alias ad Crucem veſtiti ibant, quando prius in carcere fuerant conciſi flagris, quod etiam Jeſu Nazareno accidit. Flagra iſta in partem magnam ſupplicii venerant a temporibus Hoſtilii Regis, qui Metium deſertorem hoc dolorum genere exercuerat, teſte *Dionyſio Halicarnaſſeo*[10].

V. Secundum eſt: *Et abduxerunt eum*] *Matth.*[11], *Marci*[12], *Lucæ*[13], *Johan.*[14]. Romæ Crucis candidatus, poſtquam flagris cæſus fuerat, collo furcæ inſerto, manibus diſpeſſis & ad furcæ cornua deligatis, (quem *patibulatum* vocat *Plautus*[15]) per urbem trahebatur oſtentui, *Dionyſius Halicarnaſſæus*[16]: ὁ ἀγορᾶς αὐτὸν μαστιγώμενον ἐκέλευεν ἕλκειν. Arnobius[17]: *Servum peſſime meritum per circi aream mediam traduxiſſe cæſum virgis, &*

(1) XXVII. 26. (2) XV. 15. (3) *lib.* I. *Hiſtor.* (4) *lib.* XXX. (5) *lib.* V. *de Bello Judaico cap.* 32. (6) *in Moſtellariâ Act.* I. *ſcen.* I. (7) *in Commentariis ad h. l. pag.* 531. (8) *lib.* II. *de Cruce cap.* 6. (9) *lib.* XIX. *Antiquit. cap.* 3. (10) *lib.* V. *Antiquit.* (11) XXVII. 31. (12) XV. 20. (13) XXIII. 26. (14) XIX. 16. (15) *in Moſtellariâ.* (16) *lib.* VII. *Antiquitat.* (17) *lib.* VII. *adverſ. Gentes.*

ex more, *mulctaviſſe poſt patibuli pœna*. Et ex diutina traductione illa tandem extra portam Eſquilinam in campo Martio uni ex crucilibus, quæ multa loco eo diſtributa erant, ſuffigebatur nudus. Plautus [1]: *Credo ego tibi eſſe eundum extra portam diſpeſſis manibus, patibulum cum habebis*. Porta hæc erat Metia, ut annotat *Taubmannus* [2], & vide *ſupra* [3].

VI. Tertium eſt: *Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha*] *Matth.* [4], *Marci* [5], *Lucæ* [6], *Johan.* [7]. De Golgotha mentionem quoque faciunt Ebræi in *Zoar*. Pictores ſub Cruce Chriſti pingere ſolent calvariam, nempe Adami eſſe putatur, ut ex *Alberto Magno* annotat *Johannes Molanus* [8]. Traditio veterum eſt, Adamum ſepultum eſſe in monte Calvariæ, ubi Chriſtus in Crucem actus exſpiravit. *Ibi erectus eſt medicus, ubi jacebat ægrotus*, ait *Auguſtinus* [9]. Verum hac de re merito dubitat *Hieronymus* [10], & adverſus *Nonnum Panopolitanum* recte diſſerit *Heinſius* [11]. Notatio eſt a Radice גלל *volvit*, inde cum Syriacâ terminatione in fine גלגותא *craniorum mons*, non quod Adami calvaria ibi tumulata eſſet (hic enim in agris Meſopotamenis ortus provixit ibidem, ac obiit, ut probavimus *Diatribâ de paradiſo* [12]) ſed quod ibi facinoroſi capite mulctarentur, ut bene monent *Janſenius* [13], *Grotius* [14], *Voſſius* [15]. EXCIPIUNT: Supplicium illud apud Hebræos nec lege ſancitum nec conſuetudine invenimus approbatum, quod gladio ferirent, *Spondanus* [16], *Jacobus Gretſerus* [17]. RESPONDEO: Contrarium eſt verum, ſecundum expreſſam literam Thalmudis, *ſupra* [18], & exempla, 1. *Regum.* [19], 2. [20]. Tum quoque poſt ſubactam a Romanis Judæam gladio

[1] *in Milite glorioſo Act.* 2. *ſc.* 4. [2] *Commentar. h. l. pag.* 683. [3] *cap.* 1. *diſt.* 1. [4] XXV. 33. [5] V. 22. [6] XXIII. 33. [7] XIX. 17. [8] *de Imaginibus cap.* 78. [9] *Serm.* 71. *de Temp.* [10] *Commentar. ad Eph.* V. 14. [11] *in Ariſtarcho ſacro cap.* 9. [12] *in Auctariis ad Pappum pag.* 305. [13] *in Concordiâ Euangelicâ cap.* 143. [14] *in Notis Euangelicis pag.* 485. [15] *in Harm. Euangel. lib.* II. *p.* 257. [16] *in Epitoma Annal. pag.* 33. [17] *lib.* 1. *de Cruce cap.* 18. [18] *diſt.* 2. [19] 11. 25. 34. 46. [20] X. 7.

dio puniverunt reos, ut patet, *Matth.*[1], *Actor.*[2].

VII. Quartum eſt: *Et bajulans Crucem ſuam exivit*] *Johan.*[3]. Cruciarii ipſi ferebant ſibi Crucem, aut totam aut certe partem ejus. Totam, ubi erat Crux ſimplex: partem vero cum ſub furcâ cæſi rapiebantur ad crucile, itaque ferebant furcam, partem de Cruce compactâ. Imago talis furciferi è Marmoribus Romanis eſt apud *Johan. Baptiſtam de Cavalleriis*[4]. Locus eſt Johan.[5] *Extendes manus tuas & alius te cinget.* Petro Chriſtus prædicit fore, ut aliquando manibus diſpeſſis patibulum religatum geſtaret. Explicavimus *in Auctariis noſtris*[6], (& confer *Grotium*[7], *Balduinum Walæum*[8].) *Plutarchus*[9]: τῷ σώματι τὸν κολαζομένων ἕκαστον τῶν κακουργῶν ἐπιφέρειν τὸν αὐτόν. *Plauti* verba in eumpſe ſenſum vide *ſupra*[10].

VIII. Quintum eſt: *Et crucifixerunt eum*] *Matth.*[11], *Marci*[12], *Lucæ*[13], *Johan.*[14]. Simul ad Crucem ventum erat, ſpoliabant hominem, & ſic in eam dabant. *Artemidorus*[15]: σωφρόνως ἀγαθὸν τῷ πένητι, καὶ γὰρ ὑψηλὸς ὁ σωροφόλιξ, οὐδὲ ἡ πλησίας βλάπτει, γυμνοὶ γὰρ σωρεύονται. Ergo nudi in Crucem dati ſunt: jacentem vero illam & erectam? Quod in erectam dati ſunt plerumque, haut poteſt negare *Lipſius*[16], attamen fuiſſe in Crucem jacentem ſuffixos quandoque, probare conatur[17]: *Pro jacente Acta vetera de Pionio Martyre:* Ultro ſe veſtimentis ſpoliavit, & in cœlum ſuſpiciens, ac Deo gratias agens, ſuper lignum ſeipſum extendit, militique tradidit, ut clavis configeretur, *Satis clare, atque etiam mox clarius:* Eum igitur ligno fixum erexerunt. *Dici nihil poteſt, quin fixio hic in jacente facta fuerit, quæ poſt erecta. Et ratio etiam aliqua ſuadet: Nonne enim facilius hominem ſic affigere ſupinum & inclinatum, quam tollere in erectam,*

[1] XIV. 10. [2] XII. 2. [3] XIX. 17. [4] *lib.* I. *Antiquitat. Romanar. Tab.* 97. [5] XXI. 18. [6] *pag.* 22. 25. [7] *Notis ad Euangelia pag.* 1029. [8] *Commentario ad Euangelia pag.* 1011. [9] *de ſerâ Numinis Vindictâ.* [10] *diſtinct.* 5. [11] XXVII. 35. [12] XV. 25. [13] XXIII. 33. [14] XIX. 18. [15] *lib.* II. *Oniroctiticorum cap.* 58. [16] *lib.* II. *de Cruce cap.* 8. [17] *lib.* II. *de Cruce cap.* 7.

pendulum, *labentem*? Sed non credo uſurpatam iſtam in jacente Cruce fixionem †, niſi præter leges, & cum forte ſcriptorum manus in referendo aberravit, quod in veterum *Actis* ſolenne eſt. Attamen hæc de Pionio relatio non obſtat. *Super lignum ſeipſum extendit*, tunc cum ſtaticulo inſedit ultro, ac manus ad cornua antennæ figendas curavit. *Et eum ipſum ligno fixum erexerunt*, videlicet Crucifixum applicuerunt arrectario palo. Non etiam quod palum erexerint deinde, uti quidem *Lipſius* putat. Ratio ejuſdem nihil perſuadet. Facillimum erat hominem in ſtaticulo ſedentem, ac expaſſas manus præbentem clavis figere. Eo difficilius hoc videri poterat *Lipſio*, quod ille ſtaticulum ignorat, potuerat vero addiſcere ex *Irenæo*, qui Crucem ſic deformat[1]: *Ipſe habitus Crucis fines & ſummitates habet quinque, duos in longitudinem, duos in latitudinem, & unum in medio, ubi requieſcit qui clavis configitur.* Hæc verba *Irenæi* adducit ipſe[2], & porro addit illa *Juſtini Martyris*: καὶ τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον ξύλον ὡς κέρας ἢ αὐτὸ ἐξέχον ἐστιν, ἐφ' ᾧ ἐπαχθήσεται οἱ σταυρούμενοι. Verum ſenſum non vidit ſuppedaneo intricatus, quod ipſum tamen an credat, an repudiet, certo ſecum ſtatuere haut poteſt. Cæterum de ſtaticulo plura dicemus *infra*, ubi eſt de Crucis partibus. Cicero[3]: *In campo Marcio Crucem ad civium ſupplicium defigi & conſtitui jubes.* Stabat jam defixa, dum cauſa diceretur, & Cruciarium ſuum exſpectabat. *Joſephus* de Judæo quodam a Romanis capto, ὁ δὲ Βασσὸς σταυροῦσθαι κατεπηγύνα σταυρὸν, ὡς αὐτίκα κρεμῶν τὸν Ἐλεάζαρον. Statui, ac tum ſuffigi. Erant Cruces aliæ ſimplices, aliæ compactæ. Simplices habebant tantum palum arrectarium, ad quem facinoroſus clavis fixus pendebat. Quanquam credendum ſit, Crucem iſtam pingi magis a *Lipſio*[4], ac ut defendat exemplis. Cæterum eo pertinet *crux acuta*, uti vocat *Seneca*[5], ubi ſunt verba Mœcenatis:

Vita

† Lucianus *Peregrin.* 590. ἐπὶ σταυρὸν ἀναβαίνειν.

(1) *lib.* 11. *c.* 42. (2) *lib.* 11. *de Cruce cap.* 10. (3) *pro Rabirio.* (4) *lib.* 1. *cap.* 5. (5) *Epiſt.* 101.

Vita dum ſupereſt, bene eſt,
Hanc mihi vel acutâ
Si ſedeam Cruce, ſuſtine.

Quod vero *Lipſius*[1] animi anceps velit hunc ſenſum longe optimum, obſcuris quibuſdam conjecturis ductus, incertum facere, omnino fruſtra eſt. Dicit: *Seneca velut interpretans ſubdit*, ſuffigas licet, & acutam ſeſſuro Crucem ſubdas, eſt tanti vulnus ſuum premere & patibulo pendere diſtrictum. *Atqui* pendere & patibulo *quidem vix eſt, ut conveniat in Crucem acutam.* Sic ille. Convenit optime, quando *patibulum* uſurpat de unico ligno etiam, in quo homo quomodocunque expanſus vitam doloroſam trahit, moriturus tunc cum ſupplicii exactor juſſerit. Et quare non dicatur apte *pendere?* Nam velut ſedendo pendet Cruciarius, ac nervoſe ita *Senecæ* allubuit dicere, magnifice dicere aſſueto. Porro quod *Dilherrus*[2], & *Calixtus*[3], interpretantur *acutam Crucem* de illo, qui *crucifixus inſidet ſtaticulo prominenti a Crucis arrectario ſtipite*, illud inconveniens omnino eſt, ac repugnat literæ manifeſtæ. Sedebant in acutâ Cruce, qui palo adacto per ſeſſum ita inhærebant fixi, ut ne in terram proruerent. Hanc eandem indigitat *Arnobius*[4] verbis illis, *ne velut trabalibus clavis affixi corporibus hæreatis. Trabales clavos* de palis adactis per corpora noxiorum explicat *Elmenhorſtius*[5]. Deſcribit Seneca[6]: *Cogita hoc loco carcerem, & cruces, & eculeos & uncum & adactum per medium hominem, qui per os emergat, ſtipitem.* Notanter, *qui per os emergat*, inde *Lipſius*[7] pingit, ut cuſpis ferrata transadacta Cruciario per ſeſſum, emineat ſurſum per os. Corrigit Fontanus[8]: *non ex ore quidem, ut pingitur apud Lipſium, ſed ex humero.* Atqui *Lipſium* tuentur manifeſta verba *Senecæ*, & fieri poteſt, ut alibi per os, ali-

(1) *Notis ad lib.* 1. *de Cruce pag.* 83. (2) *de Crucifixione Jeſu Chriſti pag.* 57. (3) *in Prælectionibus de Cruce pag.* 4. (4) *lib.* 11. *pag.* 51. (5) *in Notis pag.* 70. (6) *Epiſt.* 14. (7) *lib.* 1. *de Cruce cap.* 6. (8) *Reſponſo de Cruce.*

bi per humeros extuſa cuſpis infigeret palo miſerum. Hodie neutro modo contingit, palo ita adacto per corporis interiora, ut caput perforet, doloremque citius finiat. Rurſum Seneca [1]: *Video iſthic Cruces nec unius generis, ſed aliter ab aliis fabricatas. Alii capite converſo in terram ſuſpenderunt, alii per obſcena ſtipitem egerunt.* Compactæ partibus tribus conſtabant, arrectario ligno vel ſtipite, qui erectâ ſtatione in terram defigebatur & *Crucile* dictus eſt: ligno transverſario, quod patibulum & antenna vocabatur, & diſpeſſis brachiis Cruciarii alligabatur, cum traduceretur per ora populi & a lorariis cæderetur palam. *Alius te cinget*, eſt *Johan.* [2]. Cinctio illa eſt vinculorum religatio ad cornua furcæ, & vere ait *Theophylactus* [3]: τῷ ὄντι ἡ χαιρὲς ἔκτασιν ἢ τὰ δεσμὰ δηλοῖ. Tertullianus [4]: *Tunc Petrus ab alio cingitur, cum Cruci adſtringitur.* Nam deinde clavis etiam figebantur in Crucile adducti, quomodo pedes in congruâ parte ſtipitis non vinciebantur tantum, ſed, quoque clavis configebantur. Lucanus [5]:

——— *Laqueum nodoſque nocentes*
Ore ſuo rupit: pendentia corpora carpſit
Abraſitque Cruces. ———

Laqueus nodique nocentes ſunt vincula, quibus nocentes religabantur ad Crucem. Paulo poſt:

Inſertum manibus chalybem. ———

Notantur clavi ferrei. Quod vero *laqueum* ad illos, quibus gula frangitur laqueo, refert *Petrus Faber* [6], luculenter aberrat. Quid enim illi ad Cruces in propatulo erectas? Et quod *Calixtus* [7] ſcribit, *funes alligatorum in Cruce nullo autoris dicto adſtrui poſſe*, falſum perinde eſt. Tertia erat ſedile, id eſt, lignum ſeſſile, quod a medio pali arrectarii prominebat, eique inſidebat Cruciarius, ac ſubſidentis corpus hinc inde ſuſtentabatur cruribus pendulis. *Staticulum* vocat *Tertullianus*

(1) *Conſolat. ad Marciam cap.* 20. (2) XXI. 18. (3) *Commentario b. l.* (4) *in Scorpiaco.* (5) *lib.* VI. (6) *lib.* III. *Semeſtrium cap.* 16. (7) *Prælectionibus de Cruce pag.* 2.

nus [1], deque illo meminerunt *Juſtinus* [2], *Irenæus* [3], teſtes certæ fidei, quoniam ævo illo Cruces durabant. Quartam partem addunt *Gretſerus* [4], *Dilherrus* [5], *Calixtus* [6], *Bellarminus* [7], *Jacobus Gothofredus* [8], *Nicolaus Fullerus* [9], *Barradius* [10], videlicet ſuppedaneum lignum, *in quo pedibus Cruciarii inſiſterent, ac veluti requieſcerent.* Non eſt opus, quando corpus Cruciarii poterat tolli & levari citra illud ſuppedaneum. Hoc enim, quamvis maxime ponatur ad ſuſtinendam corporis molem fuiſſe commodum, non potuit ſufficere ſtaticulo (quod ipſi cupiunt) remoto. Corpus & pedes quo arctius recto ſtipiti applicantur, eo illud prorſum ruit pronius. Ergo vere dicendo patibulati corpus requieſcebat in ſtaticulo; & in eodem conſiſtens carnifex diſpeſſas in patibulo manus clavis figebat. Ita neque ſcalis opus fuit, quas præter hiſtoriam & fidem veterum appingunt *Juſtus Lipſius* [11], *Thomas Bartholinus* [12], *Johannes Ammonius* [13], & confer *Salmaſium* [14], *Nicolaum Fontanum* [15], *Balduinum Walæum* [16]. Nummus vero ille Conſtantinopolitanus apud *Lipſium* [17], in quo eſt *Crux Servatoris cum ſuppedaneo*, a recentiori editione eſt, quæque nullam meretur fidem.

IX. Sextum eſt: *Et crucifixerunt cum eo duos latrones*] *Matth.* [18], *Marci* [19], *Lucæ* [20], *Johan.* [21]. Contendunt *Gretſerus* [22], *Johannes Ammonius* [23], *Thomas Bartholinus* [24], *Daniel Heinſius* [25], illam Crucem, in quâ affi-

(1) *lib.* 1. *Adverſus Nationes cap.* 11. (2) *in Tryphone.* (3) *lib.* 11. *cap.* 42. (4) *lib.* 1. *de Cruce cap.* 42. (5) *Tom.* 1. *Diſputat. Philolog. pag.* 505. (6) *in Concordiâ Euangel. lib.* VI. *cap.* 13. (7) *lib.* 11. *de Imagine Crucis cap.* 26. (8) *Notis in librum* 1. *Tertulliani ad Nationes pag.* 119. (9) *lib.* IV. *Miſcellan. cap.* 12. (10) *Tom.* 4. *Concordiæ Euangelicæ lib.* VII. *cap.* 13. (11) *Notis ad lib.* 11. *de Cruce pag.* 88. (12) *in Epiſtolis Medicis Centur.* 1. *pag.* 393. (13) *part.* 3. *Iconum Biblicarum pag.* 107. (14) *Epiſt.* 1. & 2. *ad Thomam Bartholinum.* (15) *Reſponſo allegato.* (16) *Commentario perpetuo ad Euangelia pag.* 327. (17) *Notis ad lib.* 11. *de Cruce pag.* 90. (18) XXVII. 36. (19) XV. 27. (20) XXIII. 33. (21) XIX. 18. (22) *l. d.* (23) *l. d. pag.* 107. (24) *de Aperto Latere Chriſti cap.* 17. (25) *in Exercitationibus ſacris ad Nonnum pag.* 515.

affixus Jeſus exſpiravit, altiorem præ duabus aliis fuiſſe, in quibus latrones defuncti ſunt. Res non eſt, conjectura vero eſt. Hoc tamen certum eſt: *Crux eo infamior erat, quo altior fuit*, ut conſtat de Cruce Mardochæi, *Eſther.*[1] Si exempla edenda eſſent in viro famoſo & ob delictum atrox, aut ſi hoc ſupplicio eſſet afficiendus ille, cujus odium erat apud omnes flagrantiſſimum, Crux altiſſima depangebatur. *Juſtinus* de Cartalone[2]: *in altiſſimam Crucem in conſpectu urbis ſuffigi juſſit.* De Galba Suetonius[3]: *Implorantique leges & civem Romanum ſe eſſe teſtificanti, quaſi ſolatio & honore aliquo pœnam levaturus, mutari multoque prater cæteras altiorem & dealbatam ſtatui Crucem paſſus eſt. Altiorem*, ut digniori, *albatam* ut civi, qui geſtabat veſtes albas, ut dicemus *infra*[4]. *Improbo patibulo eminens affigebatur*, eſt *in Fragmentis* Saluſtii[5], (& ibidem *Salmaſius*[6].) *Improbo*, id eſt, excelſo, quomodo *improba puppis* dicitur apud *Silium Italicum*[7], ubi *improba* eſt idem, quod *maxima*, ut exponit *D. Heinſius*[8]. Hoc ſi obſervetur, non movebunt quenquam conjecturæ *Lipſii*[9], quas adfert. *Patibulum* vero hoc loco pro Cruce tota ponitur. Alia quidem lectio eſt: *In prorâ patibulo eminens affigebatur.* Quaſi res in navibus geſta fuiſſet, idque ſequitur *Daniel Paræus*[10]. Sed hæc non ita convenit. Hodienum quoque uſu receptum eſt, ut furi multorum delictorum reo & ob id digno, qui non periret ſimplici ſuſpendio, erigatur patibulum duplice vel triplice ſubſtructione compoſitum, *D. Otto Philippus Zepperus*[11].

X. Septimum eſt: *Et diviſerunt veſtimenta ejus*] *Matth.*[12], *Marci*[13], *Lucæ*[14], *Johan.*[15] Pallium (quod Romanorum togæ reſpondebat) diviſum in partes acceperunt plures, tunicam vero integram ſortito arripuit unus

(1) VII. 9. (2) *lib.* XVIII. (3) *lib.* VII. *cap.* 9. (4) *lib.* IV. *cap.* V. *diſt.* 8. (5) *lib.* IV. (6) *in Obſervatis variis Antonii Thyſii p.* 467. (7) *lib.* XIII. (8) *in Notis ad h. l. pag.* 131. (9) *Notis ad lib.* III. *de Cruce pag.* 92. (10) *in Notis ad Saluſtium pag.* 183. (11) *in Cynoſurâ Legali pag.* 331. (12) XXVII. 35. (13) XV. 24. (14) XXIII. 34. (15) XIX. 23.

unus miles, ut prolixe differit *Caſaubonus*[1], & confer *Bald. Walaum*[2], *Johan. Dorſcheum*[3]. Hoc quoque veniebat ex more Romano: Milites enim, qui ſupplicium exſequebantur, ſpolia facinoroſorum ſibi capiebant, ut videre eſt *ex reſcripto Divi Adriani*[4].

XI. Octavum eſt: *Et ſedentes ſervabant eum ibi*] *Matth.*[5]. Ne de Crucibus detraherentur mortui per amicos & cognatos, adjungebantur milites excubitores, quod vetuſtiſſimum eſt, uti de Ægyptiis refert *Herodotus*[6], Petronius[7]: *Miles cruces aſſervabat, ne quis corpora ad ſepulturam detraheret.* Rurſum *Plutarchus* de Cleomene[8]: ὀλίγας δὲ ὕστερον ἡμέρας οἱ τὸ ζῶμα ἔχ Κλεομένης ἀναςαυρώμενον φυλάττοντες, εἶδον εὐμεγέθη δράκοντα τῇ κεφαλῇ ὑπεπλεσμένον.

XII. Nonum eſt: *Pilatus ſcripſit titulum & poſuit ſuper crucem*] *Matth.*[9], *Marci*[10], *Lucæ*[11], *Johan.*[12]. Titulus in quo cauſa mortis exprimebatur, *ſupra*[13]. Cælatura fuerit, an ſculptura, dubitatur. *Daniel Heinſius*[14], putat fuiſſe ſculpturam, ἐπιτυπωμένον γράφιδι vocant Græcenſes. At ſcripturam fuiſſe, diſputant *Salmaſius*[15], *Balduinus Walaus*[16], *Daniel Claſenus*[17], quomodo titulos & tabellas dealbatas, inde calamo & atramento inſcriptas, ut ſciri poſſent quorum intererat, palam affigebant Græci & Romani, ac illi quidem λεύκωμα vocabant, hi vero *album*. Poſtremæ huic ſententiæ favent verba Euangeliſtarum planiſſima, αἰτία γεγραμμένη ait *Matthæus*, ἐπιγραφὴ γεγραμμένη ajunt *Marcus* & *Lucas*, ἔγραψε τίτλον ait *Johannes*. Quæ omnia docent, ſcriptam fuiſſe criminis cauſam, non vero ſculptam, πινάκα λευκὸν eodem ſenſu appellat *Nicephorus*

(1) *Exercitat.* 16. *ſect.* 84. (2) *Commentario perpetuo ad Euangelia pag.* 993. (3) *Opuſculo de Tunicâ Chriſti inconſutili cum confutatione fabulæ Trevirenſis.* (4) *l. Divus D. de Bonis damnator.* (5) XXVII. 36. (6) *lib.* III. (7) *in Satyrico pag.* 140. (8) *in Vitis illuſtribus pag.* 224. (9) XXVII. 37. (10) XV. 26. (11) XXIII. 38. (12) XIX. 19. 20. (13) *cap.* VII. *diſt.* 14. (14) *Ariſtarcho ad Nonnum cap.* 9. & 21. (15) *de Modo Uſurarum pag.* 674. & *de Cruce pag.* 284. (16) *Commentario perpetuo ad Euangelia p.* 989. (17) *in Exercitationibus pag.* 202.

rus[1], id eſt, tabulam albam nigris literis depictam.

XIII. Decimum eſt: *Stabat autem juxta Crucem mater ejus*] *Johan.* [2]. Quod omnes dici poſſint ſublimes pependiſſe, qui affixi erant Cruci, non eſt dubium. Nam & nocentes *in Crucem tolli*, *levari*, dicebantur, aut etiam *inſcendere eam*. Itaque vulgares Cruces non erant admodum altæ: (1) Quia eam inſcendebant facinoroſi operâ levi, cum in ſtaticulo ſedebant. (2) Quia ut morerentur, haſtis confodiebantur, aut laniabantur a canibus: humiles ergo fuerunt. (3) Quia totam Crucem ſæpius ipſi portabant ad locum ſupplicii: modica ergo erat, & levis ponderis. (4) Quia poterant in eâ hærere, & proxime adſtantes compellare, ut percipe-rent eloquia, uti Jeſus alloquitur matrem. (5) Quia titulus ad caput cruciarii affixus poterat legi ab omnibus, id quod eſſe non potuit, ſi Cruces nimium attollerentur.

XIV. Undecimum eſt: *Unus militum lancea latus ejus fodit*] *Joh.* [3]: *Vel ex petulantiâ & inſolentiâ militari, vel periculum facturus, an bonâ fide obiiſſet*, ait *Calixtus* [4]. Nihil horum de vero eſt. Lanceâ confixit latus ſiniſtrum Redemptoris, non ut exploraret, an mortuus eſſet, verum ut animam agenti (quomodo putabat ille) vitam omnino eriperet ac finiret dolores. Cor percuſſit, inde enim ſanguis provenit, & ante quidem eodem ictu læſit pericardium, *quod continet aquæ copiam pro cordis exæſtuantis refrigerio*, uti dudum monuit *Hippocrates* [5], & prolixe confirmant *Bauhinus* [6], *Andreas Laurentius* [7], *Thomas Bartholinus* [8], *Andreas Veſalius* [9]. Quod enim *Johan. Maldonatus* [10] contendit, *miraculoſum fuiſſe profluvium aquæ de vulnere*, fruſtra certe eſt, nec enim alio fine hoc refert Euangeliſta, quam ut doceat, perfecto vulnere ſuſcepto Chriſtum vere mortuum fuiſſe. Scilicet cruciarii in Crucibus moriebantur, & non per ipſas.

[1] *lib.* VIII. *Hiſtor. cap.* 29. [2] XIX. 25. [3] XIX. 34. [4] *in Concordiâ Euangelicâ lib.* VI. *cap.* 15. [5] *lib.* II. *de Corde pag.* 234. [6] *lib.* II. *Anatomiæ pag.* 203. [7] *lib.* IX. *Hiſtoriæ Anatomicæ pag.* 347. [8] *in Epiſtolis Medicis Centuriâ* I. *pag.* 288. [9] *lib.* VI. *Anatomiæ cap.* 8. [10] *Commentario ad Matth.* XXVII. *v.* 56.

ipſas. Alios in Cruce uſtulabant, alios beſtiis immiſſis laniabant, alios haſtâ fodiebant, aliis crura frangebant, alios fumo ex viridibus lignis concitato enecabant. Exempla referunt *Lipſius*[1], *Julius Cæſar Bulengerus*[2]. Sed & quidem antea jugulati, poſt in Cruce ſuffixi eſſe leguntur, quomodo Julius Cæſar pyratas ſuos punivit, *Suetonius*[3]. Fame abſumptos ex conſuetudine Romanâ non facile reperiamus, quamvis ita præſumant *Petrus Faber*[4], & *Lipſius*[5]. Sed exemplum non adducunt.

XV. Duodecimum eſt: *Joſeph acceſſit ad Pilatum & poſtulavit corpus Jeſu*] *Matth.*[6], *Marci*[7], *Lucæ*[8], *Johan.*[9]. Quando cadavera ſupplicio affectorum dabantur amicis ad ſepulturam, cum illi rogabant, gratia aliqua erat, ut *Pauli* & *Ulpiani* reſponſa docent[10], & illis adde *Petrum Fabrum*[11], *Jacobum Durantium Caſellium*[12], ubi etiam adferunt *exemplum Joſephi rogantis pro cadavere Servatoris*. Verum hoc potius erat ſecundum leges Hebræorum, *Deuter.*[13], & mores eorum (quod refert *Maimonides*[14]) quibus vetitum erat, cadaver inſepultum relinquere, ne terra pollueretur, ac jumenta poſſent aliquando,

Vellere creſcentem de noſtris oſſibus herbam,

Lucano dicente. Die illo, quo enectum erat, in terram defodiebatur, & voluerunt Romani permittere, ut ita fieret. Alias *paſcebant in Cruce corvos*, teſte *Horatio*[15]. Et *Lucanus* refert[16], *percuſſaque viſcera nimbis, & incoctas admiſſo ſole medullas*. De corporibus in Cruce relictis, ſituque marcidis agit. Quæ vero *in Literis Sacris* extant, poſt ævum Prophetarum deſcripta, & autores habent divinâ eruditione celebres ſapientes חכמים / uti ſunt Proverbiorum ſupplementa[17], *de abjectis cadaveribus* referunt, quoniam hæc talia Barbarorum, apud quos

[1] *de Cruce lib.* II. *cap.* 24. *lib.* III. *cap.* 10. 11. [2] *de Venatione Circi cap.* 36. [3] *lib.* I. *cap.* 74. [4] *l. d.* [5] *lib.* II. *cap.* 12. [6] XXVII. 58. [7] XV. 43. [8] XXIII. 52. [9] XIX. 38. [10] *ff. Tit. de cadaveribus Punitorum.* [11] *lib.* II. *Semeſtrium cap.* 9. [12] *lib.* I. *Variar. Lect. cap.* 4. [13] XXI. 23. [14] *in Haldchot Sanhedrim cap.* 15. [15] *lib.* I. *Epiſt.* 16. [16] *lib.* VI. [17] *cap.* XXX. 17.


quos exules vixerant, moribus conveniebant.


XVI. Quæ de Crucis inventione ſub Conſtantino Magno, jactitant *Baronius*[1], *Gretſerus*[2], *Polydorus Virgilius*[3], *Johannes Boſius*[4], ea refellimus *in Auctariis ad Pappi Epitomen*[5], & confer *Salmaſium*[6], *Georgium Hornium*[7], *Conradum Deckerum*[8]. Verba *Sulpicii Severi* hæc ſunt[9]: *Helenæ Reginæ beneficio Crux Domini tum reperta, quæ neque in principio obſiſtentibus Judæis potuerat conſecrari, & poſtea diruta civitatis oppreſſa ruderibus, nonniſi tam fideliter requirenti meruit oſtendi. Igitur Helena primum de loco paſſionis certior facta, admota militari manu atque omnium Provincialium multitudine in ſtudia Reginæ certantium, effodi terram & contigua quæque ac vaſtiſſima ruinarum purgari jubet, mox precium fidei & laboris, tres pariter Cruces, ſicut olim Domino ac latronibus duobus fixæ fuerant, reperiuntur. Hic vero major dignoſcendi patibuli, in quo Dominus pependerat, difficultas, omnium animos menteſque turbaverat, ne errore mortalium, forſitan pro Cruce Domini, latronis patibulum conſecrarent. Capiunt deinde conſilium, ut aliquem recens mortuum crucibus admoverent. Nec mora, quaſi Dei nutu, funeris extincti ſolennibus exſequiis deferebatur, concurſuque omnium, feretro corpus eripitur. Duabus prius Crucibus fruſtra admotis, ubi Chriſti patibulo attactum eſt, dictu mirabile, trepidantibus cunctis, funus excuſſum & inter ſpectatores ſuos adſtitit. Crux reperta dignoque ambitu conſecrata.*

XVII. Ad quæ verba Scriptoris non tam accurati quam diligentis, hæc quidem notabimus.

Helenæ Reginæ beneficio Crux Domini reperta] Vanos fuiſſe rumuſculos ab illis ortos, qui ſub pietatis ſpecie comminiſci quævis non dubitabant, conſtat ſatis, quoniam relationes illæ nec cum veritate, nec invicem ſatis congruunt. Primus omnium, qui de hac inventione ſcribere potuit, & qui res Im-

(1) Notis *ad Martyrologium Romanum pag.* 298. (2) *lib.* 1. *de Cruce cap.* 62. 63. *& in Apologiâ contra Junium pag.* 86. (3) *lib.* v. *de Rerum Inventoribus cap.* 6. (4) *de Triumpho Crucis lib.* IV. (5) *pag.* 72. (6) *Epiſtol.* 2. *de Cruce.* (7) *Notis ad Sulpicii Hiſtoriam Sacram pag.* 411. (8) *lib.* II. *de Adoratione crucis pag.* 107. (9) *lib.* II. *Hiſtoriæ ſacræ cap.* 48.


Pag. 420.
1
2
3
4
5
6
7



Imperatoris Conſtantini optime noverat, *Euſebius* fuit σύγχρονος. At nullam is mentionem facit reproductæ è tumulo Crucis. Helenæ pietatem, quam illa declaravit in repurgando monte Calvariæ, beneficentiam ejus in pauperes, munificentiam erga Eccleſiam & ſcholas accurate deſcribit, cæterum de Cruce nihil commemorat. Quod *in Chronico* ejus aliquid tale occurrit, ab alienâ manu eſt, quæ licenter admodum graſſata in plurimis veterum libris, opinionum monſtra peperit. Mirari vero lubet, quod Crucem refoſſam non uno loco oſtendant, aut ſaltem maximas ejus particulas οἱ λειψανολατρευταί. Diviſam ita, ut maxima pars Hieroſolymis remanſerit, minor vero particula Conſtantinopolim allata ſit, produnt *Ruffinus*, *Socrates*, *Sozomenus*. Et de Cruce apud Hieroſolymitanos integrâ exſtante, quando Cosdroës Perſa vaſtabat Palæſtinam: Heraclius Cæſar defendebat, ſcribunt *Theophanes* [1], *Spondanus* [2]. Nummi ærei ab Heraclio cuſi pro memoriâ victoriæ illuſtris, exhibentur apud *Lipſium* [3]. Unde ergo Crux illa Servatoris, quam a Conſtantino Magno Imperatore Romano gloriantur ſe accepiſſe? uti refert *Spondanus* [4].

XVIII. Quod enim *Gretſerus* occurrit, *eſſe multiplicatas particulas Crucis per divinum beneficium, quomodo Servator olim panibus ex ſeſe multiplicatis latenter populum in deſerto paverat*, eſt ludere in re ſeriâ. Porro *Severus* dicit:

Quæ neque in principio obſiſtentibus Judæis potuerat conſecrari] Cur priores Chriſtiani non ſervaverint Crucem in precio, & ſuperſtitioſo cultui dedicaverint, non eſt cauſa, quod Judæi vetuerint ita fieri, ſed quia ſupplicii inſtrumentum vere putaverint, eſſe ineptum quod cultibus religioſis addiceretur. Nam Judæi hoc perinde non vetuiſſent, quomodo corpus Servatoris non poterant a ſepulchro honeſto prohibere, & ſepulchrum ipſum nullo deinceps affecerunt damno, quod ad poſteritatem duravit. Sequitur:

Et poſtea dirutæ civitatis oppreſſa ruderibus nonniſi tam fideliter meruit oſtendi.] Quis credat, poſt trecentos & amplius annos Crucem Servatoris per omne illud tempus coopertam ruderibus & in terrâ defoſſam, aut aliis modis ſubverſam, non computruiſſe? Si miraculum obtendunt, quid dicent de Crucibus latronum, quas eandem habuiſſe prærogativam teſtantur iſti tam male cohærentium relationum patroni? Nam additur illico:

Contigua quæque ac vaſtiſſima ruinarum purgari jubet, mox

(1) *in Hiſtoriâ miſcellâ lib.* 18. (2) *in Epitomâ Annal. pag.* 681. (3) *lib.* III. *de Cruce pag.* 76. (4) *in Epitomâ dictâ pag.* 298.

precium fidei & laboris, tres pariter Cruces, ſicut olim Domino ac latronibus fixæ fuerant, reperiuntur.] Locus ille, in quo Servator crucifixus eſt, ſupplicio huic deſtinatus erat, uti eſt *ſupra* 1. Quilibet cruciarius ſuam portabat Crucem, aut ſaltem Crucis partem, antennam, quod dictum eſt *ſupra* 2. Sublato cruciario una tollebatur antenna, & crucile quidem perſtitit uti potuit, non etiam tot ſeculis, quando ſi caderet a putredine eroſum non renovabatur, nova crucilia potius erigebantur. Si ergo plures poſt Chriſtum & duos latrones ibi crucifixi fuerunt, novis antennis in vetus crucile elevati, quomodo non erit ſuperſtitio mera, ne dicam impietas aliqua, de ligni ſanctitate contendere & mundo imponere in tantâ veritatis luce, quod præter ſanctiſſimum Redemptorem peſſimos quoque facinoroſos enectos portavit? Et quomodo tres ſolum Cruces reliquæ inveniebantur loco illo, ubi plurimos ſupplicio affectos eſſe, negari haut poteſt? Golgotha enim erat, id eſt, mons damnatorum pœnis exigendis deſtinatus. Supplicium Crucis ad Conſtantini ævum duravit in omnibus Romanorum præſidiis, & quis velit negare, dicto loco Golgothæ crucilia multa exſtitiſſe, dum veteribus collapſis nova ſuccederent? Rurſum, cum Urbs a Tito Imperatore obſeſſa & capta eſt, cumque Adrianus Cæſar vicinos Hieroſolymorum agros novis depopulationibus affligeret, non probabile eſt, crucilia permanſiſſe locis ſuis? An aliquo caſu, Deo ita providente, ut conſervaretur Crux ſua, tres illæ Cruces terrâ opertæ latuerunt? Cur igitur duæ reliquæ ſimul conſervatæ fuerunt, & non unica illa? Cur fuit opus miraculo ad diſcernendam eam a reliquis duabus?

XIX. Sequitur enim: *Hic vero major dignoſcendi patibuli, in quo Dominus pependerat, difficultas, omnium animos mentemque turbaverat, ne errore mortalium, forſitan pro Cruce Domini, latronis patibulum conſecrarent.*] Quis velit negare, in eodem crucili, ſed in diverſis antennis, plures damnatos ſæpe vitam finiviſſe? Et ſi Crux Servatoris ex cedro, cupreſſo, olea fuit, quare ergo non facile diſtingui poterat a latronum Crucibus? Nam quis credat, latrones & ſervos fugitivos cedrinis ac cupreſſinis Crucibus ſuſpenſos? Certe opinio illa de Cruce Servatoris ab aliquot ſeculis invaluit, ut videre eſt *in Gloſſâ Clementinâ* 1. *de ſummâ Trinitatis & fide Catholicâ*. A qua tamen recedere auſus *Lipſius* 3, pronunciat adverſus traditionem, fuiſſe è quercu præparatam. Sequitur:

Capiunt deinde conſilium, ut aliquem recens mortuum Crucibus ad-


(1) *diſt.* 6. (2) *diſt.* 7. (3) *lib.* III. *de Cruce cap.* 13.

admoverent. Nec mora, quasi Dei nutu, funeris extincti solennibus exsequiis deferebatur, concursuque omnium feretro corpus eripitur. Duabus prius frustra Crucibus admotis, ubi Christi patibulo attactum est, dictu mirabile, strepitantibus cunctis, funus excussum & inter spectatores suos adstitit.] Nihil tale Ambrosius [1], & Chrysostomus [2] referunt, ubi multa dicunt pro asserenda veritate Crucis inventæ, sed ex titulo veritatem rei deprehensam esse tradunt. Hoc est invictum argumentum pro falsitate hujus inventionis. Nam cur non & reliqui duo tituli inventi sunt latronum Crucibus appensi? Nunquam enim factum est more Romanorum, ut nocens aliquis ullo supplicio affectus fuerit sine elogio, quod erat judicium criminis.

Crux reperta dignoque ambitu consecrata] Ambitum vocat honorem & pompam consecrationis. Nos dicimus cum Minucio Felice [3]: *Cruces nec colimus nec optamus.* Satis de Cruce & hactenus.

(1) *Oratione de obitu Ambrosii.*
(2) *Sermone* 84. *in Joban.*
(3) *in Octavio.*

LIBRI SECUNDI FINIS.



ANTIQUITATUM ROMANARUM

LIBER TERTIUS.

QUO CONTINENTUR RES MILITARES.

CAPUT PRIMUM.

De Militum delectu.

I. ROMANIS priſcis hoc teſtimonium perhibet Cicero [1] : *Majores nullum bellum juſtum credebant, niſi quod a rebus repetitis gereretur, aut denunciatum eſſet ante atque indictum.* Proinde antequam bella ſuſciperentur, Patres conſcripti mittebant Feciales, ad repetendas res. Varro [2] : *Feciales dicti ſunt, quod fidei publicæ inter populos præerant. Nam per hos fiebat, ut juſtum conciperetur bellum, & ut fœdere fides pacis conſtitueretur*, & ſimilia habet *Nonius Marcellus* [3]. Ex his mittebant, qui res repeterent. Et quia clara voce, res per Feciales repetebatur, inde *clarigatio* dicta eſt pro belli denunciatione, a quo tamen diſſentit *Marcellus Donatus* [4]. Primus hoc inſtituit Ancus Marcius Rex, & retinuerunt poſteri, teſte *Livio* [5], ubi multis verbis rem totam deſcribit: *Quod populi priſcorum Latinorum hominesque priſci Latini adverſus Populum Romanum Quiritium fecerunt, deliquerunt, quod Populus Romanus Quiritium bellum cum priſcis Latinis juſ-*

(1) *lib.* III. *Offic.* (2) *lib.* IV. *de L. L.* (3) *de Sermonum proprietate cap.* XII. *num.* 43. (4) *in Dilucidationibus ad Livium pag.* 17. (5) *lib.* I.





juſſit eſſe, Senatuſque Populi Romani Quiritium cenſuit, conſcivit, ut bellum cum priſcis Latinis fieret: ob eam rem ego Populuſque Romanus populis priſcorum Latinorum, hominibuſque priſcis Latinis bellum indico facioque. Id ubi dixiſſet, haſtam in fines eorum immittebat. Hæc ibi. Ex illo belli indicendi decernendique more profluxit *juſti ac pii belli* frequens in veterum libris cognomen. Rurſum Livius[1]: *Exſolvamus religione Populum, ſi quâ obligamur, ne quid divini humanique obſtet, quo minus juſtum piumque ineatur bellum.* Hoc eſt, quod toties dicitur, *adverſus arma injuſta pio juſtoque bello ſe tutari.* Et confer *Hugonem Grotium*[2], *Balthaſarem Ajalam*[3].

II. Ad delectum habendum triginta dies ordinabantur, *juſti* & *prælіares* dicti, apud *Feſtum Pompejum*[4]. Fiebat apparatus ſerio admodum & vexillum rubri coloris ponebatur in arce, ut civitatem belli expectatione impletam undiquaque cernerent, *Macrobius*[5]. Hinc illud Arnobii[6]: *Cum paratis bella, ſignum monſtratis ex arce*, & *Stewechius*[7]. *Signum* eſt vexillum rubrum, ut jam diximus. Porro Conſules in foro aderant †, & nomina civium de tabulis cenſoriis, id eſt, matriculâ, prælegebant, utque ipſi adeſſent, jubebant. Tradit *Cicero*[8] operam datam, ut cives illi omnes eſſent bonæ frugis, & quibus ſuppeterent domi opes. Præterea curabatur, *uti primus miles bono fieret nomine*, id eſt, nominabant *Valerios*, *Salvios*, *Statorios*, *Longinos*. Nomina illa bonum eventum portendebant, valere, ſalvos eſſe, ſtare, longum eſſe, atque ex iis captabatur velut augurium aliquod proſperitatis & diuturnitatis. Tacitus[9]. *Ingreſſi milites quibus fauſta nomina.* Mala contra erant nomina, è quibus triſte aliquod, infirmum, bre-

† Delectus hujuſmodi iconiſmum eleganter ex Polybio deſcripſit F. Patricius *p.* 11 *Rei Milit. Roman. ſect.* 2. quem ideo hic addere viſum.

(1) *lib.* IX. (2) *lib.* III. *de Jure Pacis & Belli cap.* 3. (3) *lib.* I. *de Jure & Officiis Bellicis cap.* 1. (4) *lib.* IX. *de Verbor. ſignificat. pag.* 303. & *lib.* XV. *pag.* 374. (5) *lib.* I. *Saturnal. cap.* 16. (6) *lib.* II. *pag.* 91. (7) *Notatis ad h. l. pag.* 81. (8) *lib.* I. *de Divinat.* (9) *lib.* IV. *Hiſtor.*

ve, ut *Curtius*, *Minutius*, *Furius*, *Hoſtilius*. Et confer *Juſtum Lipſium* [1].

III. Hoc erat *dare nomen*, uti eſt apud *Livium* [2]. Qui recuſabant militiam pro patria, illi bonis mulctabantur, ut exempla docent, quæ referunt *Dionyſius Halic.* [3], *Dion Caſſius* [4], *Hugo Grotius* [5]. Referebantur ad indicem, qui nomina dederant, & poſtquam juſtus exercitus coactus eſſe videbatur, certo die cum armis ſuis iterum convenire velut ad diribitorium jubebantur. Civibus adjungebant ruſticos, quod hi præ cæteris ad militiæ labores perferendos indurati eſſe viderentur. Eorum delectum inſtituebant per conquiſitores extra urbem Livius [6]: *Creati Triumviri bini conquiſitionem ingenuorum per agros habuerunt. Conquiſitores* ſunt quoque apud *Ciceronem* [7]. Adducebant vero liberos, & civium æquales, non ſervos, non tirones. Hos enim horumque ſimiles, uti erant capite cenſi & proletarii cives, agris colendis aut mœnibus defendendis per excubias nocturnas ſub oculis & cura ſeniorum, quam foris & apud exteros bellis gerendis aptos magis eſſe putabant, *Gellius* [8]. De ſervis imprimis notorium eſt, ut monet *Servius* [9], *quod a militia prohibebantur*. Innuebat idem celebris *Inſcriptio* Lanuvienſis: MAVORTIO. SACRUM. HOC. SIGNUM. A. SERVO. TANGI. NEFAS. EST. *Gruterus* [10]. Et proſtant exempla, quod cum ſeſe obtuliſſent ignoti, deprehenſi poſtea, & pro ſupplicio de rupe Capitolinâ præcipitati ſint, teſte *Appiano* [11]. Capitalem pœnam adverſus eos Trajanus decrevit: quod *Plinius* [12] prodit, nec non *Marcianus* [13]. Dejotarus mittebat equites ſubſidiarios ad Julium Cæſarem, eratque inter illos ſervus, quod *Cicero* [14] excuſat timidius. De proletariis &

(1) *Notis ad Tacitum lib.* IV. *Hiſtoriar. num.* 76. (2) *lib.* III. 4. 42. (3) *lib.* VIII. *&* X. (4) *lib.* V. 6. (5) *lib.* II. *de Jure B. & P. cap.* 5. *num.* 32. (6) *lib.* XXIII. (7) *Oratione pro Milone.* (8) *lib.* XVI. *cap.* 10. (9) *Commentario ad lib.* IX. *Æneid. pag.* 561. (10) *in Volumine pag.* 57. *num.* 2. (11) *lib.* I. *Belli Civilis.* (12) *lib.* X. *Epiſt.* 39. (13) *in Digeſtis lib.* XLIX. *leg.* 12. (14) *Oratione pro Dejotaro.*

& ſervis excipiebat neceſſitas. *Octo millia juvenum validorum ex ſervitiis armaverunt*, ait *Livius* de bello Punico ſecundo[1]. De temporibus iiſdem Valerius Maximus[2]: *Tres creati ſunt viri, qui quatuor & viginti millia ſervorum comparaverunt.* Et paulo poſt: *Quanta violentia eſt caſus acerbi? quæ civitas ad id tempus ingenuæ quoque originis capite cenſos habere milites faſtidiverat, eadem cellis ſervilibus extracta corpora & a paſtoralibus caſis collecta mancipia, velut præcipuum firmamentum exercitui ſuo adjecit.* Erant capite cenſi, qui nihil opum deferebant ad Cenſores, adeoque mera nomina profitebantur. *Cellis ſervilibus* dicit, quæ alias ſunt ergaſtula, de quibus eſt *infra*[3]. *Saluſtius* de Mario[4]: *Ipſe milites ſcribere non more majorum, neque ex claſſibus, ſed uti libido cujuſque erat, capite cenſos pleroſque.* De eodem *Plutarchus*, πολὺν τ ἄπρον ἢ δῆλον καταγράφων. Aut neceſſitas ita hunc facere juſſit, aut tumultus, quod etiam pauperes vellent ſpoliis hoſtium ditari, adeoque in aciem deſcendere potius quam domi excubare cuperent. De Auguſto idem refert *Suetonius*[5], & de Nerone[6].

IV. Primis Reipublicæ temporibus milites ipſi inter ſe conjurabant, Tribuno vero ſacramentum verbis conceptis dicebant, quod patriæ commoda armis fortiter gerendo rem tueri vellent: ut vero fidem eo tenacius ſervarent, deinde *ſacramentum*, quod bonæ fidei erat, in *juramentum*, quod accuratæ ſponſionis erat, demutatum eſt, *Livius*[7]. Jurabant gladio ſtricto, verbis claris, quod fugæ & formidinis cauſa abire & ſigna deſerere nollent, quodve ex ordine nollent diſcedere n ſi teli ſumendi aut petendi feriendive hoſtis, vel civis ſervandi cauſa, & quod nihil ex præda parta in alios quam patriæ uſus erogare vellent, *Polybius*[8], *Seneca*[9]. De Scipione tradit *Livius*[10], quod jurejurando a ſe dato & præſtito alios adegerit in hæc verba: *Ex mei animi ſen-*

(1) *lib.* XXII. *Hiſtor.* (2) *lib.* VII. *cap.* 6. *num.* 1. (3) *lib.* IV. *cap.* 1. *diſt.* 3. (4) *in Jugurthinâ.* (5) *lib.* II. *cap.* 25. (6) *lib.* VI. *cap.* 44. (7) *lib.* XXII. *Hiſtor.* (8) *lib.* X. (9) *Epiſt.* 69. (10) *lib.* XXII.

tentia juro, ut ego Rempublicam non deſeram, neque ullum civem Romanum deſerere patiar, ſi ſciens fallo, tunc me Jupiter Optime Maxime domum, familiam, remque meam peſſimo letho afficias. Ipſi etiam milites obſtringebant ſe quandoque juramento, quod a prælio victores reverti vellent. Cæſar[1]: *Hæc cum dixiſſet Labienus, juravit ſe niſi victorem in caſtra non reverſurum, reliquoſque, ut idem facerent, hortatus eſt. Hoc laudans Pompejus, idem juravit.* Utque teſtarentur alacritatem ſuam, elatis in altum manibus conclamabant. Lucanus[2]:

—— *His cuncta ſimul aſſenſere cohortes.*
Elatasque alte quæcunque ad bella vocaret,
Promiſere manus, it tantus ad æthera clamor.

V. Milites erant duorum generum: Cives & Socii. Et Socii quidem *auxilia* dicebantur, erantque plurimum levis armaturæ. *Inſcriptio* Villacenſis: ENICO. REDSATI. F. ET. BANANA. VENINA. F. UXOR. VIV. F. AMBIDRABO. F. EQUITI. AUXILIARIO. A. XX. H. E. *Gruterus*[3]. Sua pecunia & omni ſumptu militabant, excepto frumento, quod habebant a Romanis. Pacta fœderis cum Æquis initi pronunciant, Ἀποστέλλειν ὑπ' Ῥωμαίοις μηδὲν, ὅτι μὴ σφᾶς, ὅπε ἂν αὐτοῖς παρηγγελθῇ πέλεσι τοῖς ἴδιοις ἐκπέμποντας αὐτάς, *Dionyſius Halicarnaſſ.*[4]. Civium exercitus in legiones diſtributus conſtabat peditibus & equitibus. Equites diviſi in turmas decem. Pedites legionis fuerunt quatuor mille ducenti, atque illi diviſi in Velites, Haſtatos, Principes, Triarios. Velites, Haſtati, Principes quidem ſinguli numero mille ducenti, Triarii vero ſexcenti. De quibus accurate agunt *Antonius Valtrinus*[5], *Juſtus Lipſius*[6], *Henricus Savilius*[7], *Salmaſius*[8]. Qui milites regebant, Duces erant. Hi erant proprii vel communes. Proprii, qui exercitus partem aliquam cum imperio ſubordinato regebant. Tales erant Centuriones,

(1) *lib.* III. *de Bello civili.* (2) *lib.* I. *Pharſalic.* (3) *in Volumine pag.* 120. *num.* 1. (4) *lib.* X. (5) *lib.* III. *de Re Militari Romanorum cap.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. (6) *lib.* II. *de Militiâ Roman. Dialog.* 1. (7) *Commentario de Militiâ Romanâ p.* 341. (8) *toto libro de Re Militari Romanorum.*

nes, eorumque adjuncti Optiones: & Tribuni. *Inſcriptio* Romana: D. M. TITI. COELI. SENTINIANI. CENT. COH. VIIII. P. R. P. V. T. COELIUS. SENTINIANUS. FIL. PATRI. B. M. F. ET. CALIDIA. PYRALLIS. MARITO. OPTIMO. F. *Gruterus*[1]. Et Spoletana: D. M. FLORIO. BAUDIONI. VIRO. DUCENARIO. PROTECTORI. EX. ORDINARIO LEG. II. ITAL. DIVIT. VIX. AN. XL. MIL. AN. XXV. VAL. VARIO. OPTIO. LEG. II. ITALICÆ. DIVIT. PARENTI. KARISSIMO. M. F. C. *Gruterus*[2]. Et Norica: C. HOSTILIUS. ET. P. EGNATIUS. VEITOR. QUINTADECIMÆ. LEGIONIS. TRIBUNI. P. S. P. Q. R. DIMICANTES. PARITER. HEIC. OCCISI. PARITER. JACENT. SINGULARE. POSTERIS. EXEMPLUM. ET. CARITATIS. ET. FORTITUDINIS. CILINENSES. XXL. DIES. ATRATI. LUXERUNT. *Gruterus*[3]. Et Brixienſis: L. SALVIUS. C. F. FAB. VEXILLARIUS. LEG. IV. VETER. SIBI. ET. POPILIAI. T. L. HISPANI. ET. CAPITONI. F. ET. PRISCAI. ET. FIRMO. F. *Gruterus*[4]. Centuriones præerant in manipulis, & milites illi dicebantur *manipulares*. *Inſcriptio* Romana: DIS. MAN. SACRUM. T. CAMPILIO. T. F. MANIPULARI. VIX. ANN. XXXIX. D. XVI. CAMPILIÆ. FESTÆ. SORORI. SUÆ. VIX. ANN. XXII. MENS. III. D. VI. CAMPILIO. RUFINO. NEPOTI. VIX. ANN. XII. MENS. VIII. D. IX. ET. ALBANÆ. MERULÆ. UXORI. B. DE. SE. M. ANN. XXXIII. MENS. VI. D. IV. ET. CAMPILIO. ALBANO. INFANTI. DULCISS. ANN. II. M. V. D. IIII. QUOS. DII. IRATI. UNO. DIE. ÆTERNO. SOMNO. DEDERUNT. T. CLAUDIUS. HERMES. DOLENS. DE. SUO. FECIT. *Gruterus*[5]. In his ſigna ferebat *vexillarius*, uti eum *Livius*[6] appellat. *Inſcriptio* Romana: D. M. L. CASURIO. DEXTRO. VEXILLARIO. COH. II. VIG. CASURIA. CAPROLA. PATRONO. ET. COJUGI. B. M. *Gruterus*[7]. Signa erant perticæ cum ſigno transverſario & velo qua-

(1) *l. d. pag.* 53. *num.* 11. (2) *l. d. pag.* 542. *num.* 8. (3) *l. d. pag.* 544. *num.* 45. (4) *l. d. pag.* 559. *num.* 9. (5) *in Volumine pag.* 535. *num.* 4. (6) *lib.* VIII. (7) *l. d. pag.* 536. *num.* 7.

drato, clypei, corollæ, manus extenſæ. Tribuni in unaquaque legione erant ſex, ita ut legionem totam imperio communi ſibi vindicarent, ac per vices imperarent. Totidem Præfecti erant in quaque ala ſociali vel cornu, ubi rem gerebant levis armaturæ viri. *Inſcriptio* Viennenſis: T. F. VERECUND. MAG. EQUES. ALÆ. I. FLA. AUG. BRIT. C. R. JUR. ITALICI. AN. XXXX. S. XIX. ISES. PROTE. PRISCINUS. VEX. ET. INGENUUS. HERED. *Gruterus* [1].

VI. Legionis ſignum erat Aquilâ †, id eſt alitis ejus ſimulachrum aureum haſtæ præpilatæ ſuffixum, & pede altero fulmen ſæpe ferens. Suetonius [2]: *Somniavit, Jovem Opt. Max. prætextatis compluribus circa aram ludentibus unum ſecreviſſe, atque in ejus ſinum ſignum reipublicæ, quod manu geſtaret, repoſuiſſe.* Signum reipublicæ de Aquilâ, quæ & legionum ſignum erat, exponit *Sabellicus* [3]. Erat alias etiam lupus, canis, porcus, equus, teſte *Plinio* [4]. Sed pleraque hæc deſueverunt poſt tempora Conſulis Marii, atque ille tantum Aquilas adhiberi voluit. Nummi ſunt cum Aquilis legionum apud *Antonium Auguſtinum* [5]. Tunc enim Reipublicæ perinde ac legionum ſignum eſſe cœpit, quando olim Reges, deinde Conſules manu præferebant ſceptrum, in cujus faſtigio erat Aquila, ut dictum eſt *ſupra* [6]. Ab Etruſcis acceperat Tarquinius Priſcus inter alia ſceptrum ἀετὸν ἔχον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, *Dionyſius Halic.* [7]. Hinc in uſu permanſit eſſe apud Romanos, dracones vero ſub Trajano & deinceps adhibiti ſunt, uti refert *Vegetius* [8]. Propertius [9]:

Aut quibus in campis Mariano prælia ſigno
Stent, & Teutonicas Roma refringat opes.

Sa-

† Cujus ut & reliquorum ſignorum forma, & quomodo 4 ſigniferis ea tradantur, ſimul & 2 ſacramentum militare, & 6 Centurionum & 7 Tergiductorum electio ex adjuncta pictura apparet ex F. Patricio *P.* VI. *rei Milit. Rom. ſect.* 1.

(1) *l. d. pag.* 542. *num.* 7. (2) *lib.* II. *cap.* 94. (3) *Enarrationibus ad b. l. fol.* 123. (4) *lib.* X. *cap.* 4. (5) *Tab.* 7. *num.* 18. 19. 20. 22. *Tab.* 8. *num.* 18. 19. 20. 21. 22. *Tab.* 21. *num.* 23. (6) *lib.* II. *cap.* 3. *diſt.* 6. (7) *lib.* III. (8) *lib.* I. *cap.* 13. (9) *lib.* III. *Eleg.* 2.

Saluſtius de Catilinâ: *Ipſe propter Aquilam adſiſtit; quam bello Cimbrico Marius in exercitu habuiſſe dicebatur.* Aquilæ vero imponebatur fanulum aliquod quadratum, uti in columna Trajani videre eſt, & pictura quædam talis eſt apud *Lipſium* [1], *Jacobum Laurum* [2]. Nimirum ad religionem ſanciendam. Erat enim Aquila ſignum ſacrum, itaque *ſacratas Aquilas* vocat *Valerius Maximus* [3]. Nec amabant tantum, ſed venerabantur etiam illud. Tacitus [4]: *Aquilam amplexus religione ſeſe tuebatur.* Et paulo poſt: *Sequerentur Romanas aves propria legionum Numina.* Ergo ornabant, ungebantque velut aliorum Numinum ſimulachra, uti docent *Plinius* [5], *Suetonius* [6], & adde *Marcum Vertranium Maurum* [7]. Quod non fiebat in ſignis aliis. Eſtque de illâ *Dionis* [8] locus: ἐστὶ δὲ νεὼς μικρὸς ἀετὸς ἐν αὐτῷ χρυσοῦς ἱδρυται. Quem *Lipſius* [9] allegat, ſed non recte exponit de *ſacello caſtrorum, in quo ſigna reponebantur.* Et cum non ſatis caperet *Adrianus Junius* [10], ad paradoxa referre voluit. Itaque vocantur τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως *Matth.* [11], quod de ſignis militaribus Romanorum bene exponunt *Grotius* [12], *Balduinus Walæus* [13]. Scilicet *Tertullianus* dicit: *Religio Romanorum tota caſtrenſis ſigna veneratur, ſigna jurat, ſigna omnibus Diis præponit.* Affixi erant iis ſignis clypei, & in clypeis pictæ erant imagines Cæſarum, quos inter Deos retulerant, propterea adorabantur. Suetonius [14]: *Artabanus tranſgreſſus Euphratem, Aquilas & ſigna Romana, Cæſarumque imagines adoravit.* Itaque Signiferi alio nomine dicebantur *Imaginiferi. Gallicana* Inſcr ptio: MEMORIÆ. ÆTERNÆ. SOLEMNIO. FIDO. MILIT. LEG. MINERVIÆ. IMAGINIFERO. MATURINIA. VICTORINA. CONJUGI. CARISSIMO. PONENDUM. CURAVIT. ET.

(1) *lib.* IV. *de Militiâ Romanâ pag.* 271. (2) *in Antiquitatibus Romanis part.* I. *num.* 7. (3) *lib.* VI. *cap.* I. *num.* 11. (4) *lib.* I. *Annal.* (5) *lib.* XVIII. *cap.* 4. (6) *lib.* IV. *cap.* 13. (7) *Notis ad Tacitum pag.* 39. (8) *lib.* XL. *Hiſtor.* (9) *lib.* IV. *de Militiâ Rom. Dialog.* 5. (10) *lib.* III. *Animadverſ. cap.* 2. (11) XIV. 15. (12) *in Annotatis pag.* 407. (13) *Commentario perpetuo ad Euangelia pag.* 268. (14) *lib.* IV. *cap.* 14.

ET. SUB. ASCIA. DEDICAVIT. *Gruterus*[1]. Talia ſigna Titus conſpicua in caſtris ſuis poſuit, quaſi Templum Templo Hieroſolymitano contrarium. Tacitus[2]: *fulgentibus aquilis ſigniſque & ſimulachris Deorum in modum Templi.* Abominabantur iſta Judæi cultores unius Dei, inque conſpectu ſuo non facile tolerabant, uti patet è geſtis rebus cum Vitellio, de quibus refert *Joſephus*[3], quod cum ille in Arabiam ducere vellet exercitum ſuum, Judæorum proceres deprecati fuerint ſerio, ne per agros Palæſtinæ duceret, veriti pollutionem terræ ſanctæ a ſignis militaribus & appenſis idolis, ſive illa in orbiculis depicta erant, ſive icunculæ aureæ. *Arrianus*[4], τὰ σημεῖα τ῀ς ἐπιλεκτ῀ς σφᾶς, ἀετοὺς, εἰκόνας βασιλείους, ϛέμματα, πάντα χρυσᾶ. *Manilius* hoc illuſtrat[5]:

——— Veneriſque ab origine proles
Julia deſcendit cœlo, cœlumque replevit,
Quod regit: Auguſtus ſocio per ſigna tonante
Cernit, & in cœtu Divum magnumque Quirinum.

In hoc loco mire ſe torquet, ut ſenſum indaget, *Barthius*[6], nec ſatis ad verum exponit *Joſephus Scaliger*[7]. Senſus verus ille eſt: Julium Cæſarem cœlo oriundum per Venerem in cœlum, & inter Deos ſuperos receptum eſſe, Auguſtum vero videre, patrem una cum Jove & Romulo *in cœtu*, hoc eſt in Urbe & extra Urbem *in ſignis militaribus* coli. Hæc nos docuit *Thomas Reineſius*[8]. Cæterum ſcribit Modeſtinus[9]: *Crimen majeſtatis facto vel violatis ſignis vel imaginibus maxime exacerbatur in milites*, ubi vulgo legitur, *violatis ſtatuis*, verum merito corrigit *Jacobus Gothofredus*[10]. Signa militaria intelligit, ad quæ appendebantur imagines. Quanquam certum eſt, quod in caſtris peculiare tentorium fuerit, ubi aliquando repoſitæ ſint Aquilæ. *Herodianus*[11], de adventu Antonini verba faciens, ait veniſſe illum

(1) *in Volumine pag.* 552. *num.* 1. (2) *lib.* XV. *Annal.* (3) *lib.* XVIII. *Antiquit. Judaicar. cap.* 7. (4) *in Diſſertationibus.* (5) *lib.* I. *Aſtronomicor. pag.* 25. (6) *lib.* XI. *Adverſar. cap.* 10. (7) *in Annotatis pag.* 90. (8) *in Epiſtolis pag.* 670. (9) *leg. ult.* §. 7. *ff. ad L. Majeſt.* (10) *Notis ad lib.* I. *Tertulliani pag.* 123. (11) *lib.* IV.

illum εἰς τὸ νεὼν ἔνθα τὰ σημεῖα καὶ τὰ ἀγάλματα ἦν ὑπερπέδα θεοκτωεῖτην. Eo quidam referunt illa *Flori*[1], de Perſeo captivo apud Æmilium Conſulem, *cum in conſpectum veniſſet hoſtis, in templum recepit & conviviis adhibuit.* Templum de loco illo, ubi Aquilæ reponebantur, exponit *Gruterus*, ſed negat *Salmaſius*, veram lectionem eſſe, adeoque corrigit, *in tentum recepit*, eſtque *tentum* illud idem quod tentorium. De quo porro videatur *Freinshemius*[2]. Aquilæ ſignum vetuſtis temporibus adhibuit Cyrus Perſiæ Rex clariſſimus, ac retinuerunt ſucceſſores, unde ſcribit *Xenophon*[3], quod viderit in Cyri junioris exercitu ἀετὸν χρυσῆν. Locus eſt Eſaiæ[4]: *Vocans ab Oriente avem.* De Cyro magno agitur, eſtque ille ſic dictus, quod naſum aquilinum haberet, *Plutarcho* teſte. *Curtius*[5], de acie Codomanni: *Inter hæc aquilam auream, pennas extendenti ſimilem ſacraverant.* Qui ferebat Aquilam, Signifer erat, alio nomine quoque *Primipulus* vocabatur, ut narrat *Valerius Maximus*[6]. Quique dignitatem illam geſſerat, exauthoratus deinde, primipilaris erat, uti Conſularis, qui conſulatum depoſuerat. *Inſcriptio* Vaticana: M. POMPEJO. M. F. ANI. ASPRO. VII. LEGION. XV. APOLLINAR. COH. III. PR. PRIMOP. LEG. IV. CYREN. PRÆF. CASTR. LEG. XX. VICTOR. ATIMETUS. LIB. PULLARIUS. FECIT. SIBI. ET. M. POMPEJO. M. F. COL. ASPRO. FILIO. SUO. ET. CINCIÆ. SATURNINÆ. UXORI. SUÆ. *Gruterus*[7]. Quid ſit *pullarius*, vide *ſupra*[8]. Eſt alia Tarraconenſis: TEMPLUM. HOC. SACRUM. HERC. AUGUSTI. NOMEN. FELIX. REMANEAT. STIRPIS. SUÆ. LÆTETUR. PARENS. NAM. QUOM. TE. CÆSAR. TE. M. EXPOSCE. DEUM. COELOQUE. REPERIES. MUNDUM. REGES. SINT. HEI. TU. EI. SORTE. HUIC. IMPERENT. NEGANTQUE. NOS. FELICIBUS. VOTIES. SUEIS. L. AURE-

(1) *lib.* II. *Hiſtor. Roman. cap.* 12. (2) *Annotatis ad Florum pag.* 168. (3) *lib.* VII. *Cyropæd. & lib.* I. *ἀνα βάσ.* (4) XLVI. 11. (5) *lib.* III. *cap.* 7. (6) *lib.* I. *cap.* 6. (7) *in Volumine inſcriptionum pag.* 557. *num.* 6. (8) *lib.* I. *Antiquitatum cap.* XII. *diſt.* 9.

RELIUS. L. F. PAL. RUFUS. PRIMOPILARIS. XVI. MILITARIS. SEC. IMP. CÆSARIS. *Gruterus*[1]. Et Inſubrica: L. SENTIUS. L. F. O. V. F. NIGER. SIGNIFER. LEG. IV. SCYTICÆ. HIC. NATUS. HIC. SITUS. EST. M. SENTIUS. L. F. O. V. F. MACER. VETERAN. LEG. IV. SCYTICÆ. SIBI. ET. FRATRI. V. F. *Gruterus*[2]. Et Capuana: PAULO. ÆMILIO. PRIMIPILO. BIS. PRÆFECTO. EQUIT. TRIBUNO. COHORTIS. IV. PRÆTOR. SENECIO. *Gruterus*[3]. Suos quoque illi habebant Optiones. *Inſcriptio* Moguntina: FIDELIÆ. VERULÆ. PRUDENTIUS. REVERUS. OPTIO. SIGNIFERORUM. CONJUGI. INCOMPARABILI. AC. DULCISSIMÆ. QUÆ. VIXIT. ANNIS. XXXI. MENSIBUS. III. DIEBUS. XIII. F. C. *Gruterus*[4]. Et Gallicana: D. M. D. SEXTIO. COSSUTIO. S. F. QUIRINA. PRIMO. EMERITO. EX. COHORTE. XIII. URBIS. T. SILIUS. HOSPES. SIGNIFER. COH. EJUSDEM. AMICO. POSUIT. *Gruterus*[5]. Lautum munus & votis multorum petitum, quod ære mereret non parvo. Juvenalis[6]:

Ut locupletem Aquilam tibi ſexageſimus annus
Adferat.

'*Locupletem* ait, id eſt, reditibus inſignem. Martialis[7]:

Grata Pudens meriti tulerit cum præmia pili.

'*Præmia* dicit expreſſe, & cum primipilis Caligula denegabat ſtipendium, notabatur improba avaritia ejus, uti refert *Suetonius*[8].

VII. Duces communes erant, qui exercitum cum imperio ſummo regebant: Legatus & Imperator. Legati aderant conſilii cauſâ, utque auxilia procurarent, de quibus multa narrat *Dion Caſſius*[9]. Imperator erat Conſul, facto intra Urbem delectu: vel Conſularis, in Provinciis. Atque hic rem gerebat auſpiciis ſuis, id eſt, ducebat, regebat, jubebat.

(1) *in Volumine pag.* 50. *num.* 6. (2) *l. d. pag.* 561. *num.* 2. (3) *ibid. pag.* 518. *num.* 8. (4) *l. d. pag.* 558. *num.* 7. (5) *l. d. pag.* 561. *num.* 9. 10. (6) *Sat.* 14. (7) *lib.* 1. *Epigr.* 32. (8) *lib.* III. *cap.* 43. (9) *lib.* LII. & LIII. *Hiſtor.*

CAP.




1
2
3
4
5

CAP. II.

De Peditatu & armis ejus. †

I. Duplicis ordinis milites erant, pedites & equites. Pedites varia arma geſtabant pro claſſium ratione. Velites habebant verutum ſive gladium Hiſpanicum, haſtas curtas plures vel oblongam unam, parmam, galeam coriaceam. *Livius* ſcribit[1]: *Hic miles* (de Velitibus agit) *parmam tripedalem habens, & in dextrâ haſtas, quibus eminus utitur, gladio Hiſpanienſi eſt cinctus. Quod ſi pede collato pugnandum eſt, tranſlatis in lævam haſtis, gladium ſtringit.* Gladius Hiſpanicus erat brevis (itaque ξιφίδια vocat *Dion Caſſius*[2]) anceps vero etiam, latus, validus, & cum mucrone. Silius Italicus[3]:

Non illis ſolitum criſpare haſtilia campo,
Nec mos pennigeris pharetram impleviſſe ſagittis,
Pila volunt, brevibusque habiles mucronibus enſes.

Scilicet, ut punctim agere poſſent milites, ac majorem ſtragem facere, cæſim etiam, quanquam rarius. A venatoribus olim uſurpatus, quos in Hiſpaniâ & Oriente plurimos fuiſſe ſemper conſtat, & *macheram* vocat *Suetonius*[4]) vocabulo equidem Græco, ſed in Oriente non minus noto. Locus eſt Gen.[5] *Gladii eorum ſunt inſtrumenta violentiæ*, eſtque in Hebræo מכרתיהם quod *Paguinus* & *Tremellius* in verſionibus ſuis neglexerunt, accuratius vero ſervavit *Arias Montanus*, αἱ μαχαιραι αὐτῶν, & adde *Joh. Buxtorfium*[6]. Locus alter eſt Pſalm.[7] *Educ lanceam & ſagarim adverſus perſequentes me.* Denuo *Pagninus*, *Caſtalio*, *Munſterus*, *Tremellius* obiter inſpexerunt verbum סגור / quod eſt σάγαρις, gladius militaris, quo cominus utebantur in prælis apud *Xenophon-*

† Quæ omnia ut etiam oculorum ſenſui pateant, efficit adjecta pictura ex F. Patricii *p.* v *Rei Milit. Rom. ſect.* 1. ubi numerus 1 denotat Velitem, 2 Haſtatum, 3 Principem, 4 Triarium, 5 Equitem, de quo ſpeciatim *cap. ſeq.*

(1) *lib.* XXXVIII. *Hiſtor.* (2) *lib.* XXXVIII. *Hiſtor.* (3) *lib.* VIII. (4) *lib.* V. *cap.* 15. (5) XLIX. 5. (6) *in Lexico Thalmudico pag.* 1033. 1204. (7) XXV. 2.

nophontem [1]. Talem gladium Esavus venator gestavit, ut indicat vox תלי *Genes.* [2] quam *Chaldæus* recte vertit סייף *gladium*, sed post illum nemo Interpretum advertere voluit, adeoque *pharetram* substituerunt omnes, quibuscum propterea litigat *Nicolaus Fullerus* [3]. Eum *Xenophon* [4], & *Plutarchus* [5], vocant κοπίδα, ut allegat *Johan. Scapula* [6], nam & Persis usitati erant, itaque *Copides* sunt etiam apud *Curtium* [7]. Notabis, quod Velites gladium in dextro latere gestaverint, ut *Livius* & *Polybius* docent, & secundum illos accurate differit *Lipsius* [8]. Sed & in lævo gerebant alium oblongum, sive frameam, uti scribit *Josephus* [9]. De mutilato hoc *Josephi* loco confer *addenda*, in calce hujus. μάχαιραν μὲν ἐκ δεξιᾶς μηροῦ. Militis utroque latere cum gladio uno oblongo, & breviore altero, effigiem è columnâ Antonini ponit *Justus Lipsius* [10]. Novum id quidem moribus nostris, qui gladium unum in sinistro latere appendimus, ita enim facili operâ stringi potest. Sed non minus facile stringebatur olim, cum in dextro latere hærebat, tum quia brevis erat, & ab humero non a medio cingulo dependebat, tum quia consuetudo lævam manum faciebat expeditam. In columnâ Trajani plerosque cinctos in dextro latere videmus, nec non in Antonini, etsi Imperator ipse & Tribuni habeant gladios sinistros. Scuti usum spectabant, præcipui inter arma, & impediri videbantur, cum gladius in sinistro latere dependebat.

II. Hastas curtas fere septem quivis Veles habebat secum, non tam ferire cupidus, quam jaculandi peritus. *Veruta* proprio nomine. Silius Italicus [11]:

——— *Tenui pugnax instare veruto.*

Sabellum veru appellat *Virgilius* [12]. Rursum Silius [13]:

Servili fert ora ducis suffixa veruto.

Notat

(1) *lib.* IV. ἀναβάσ. (2) XXVII. 3. (3) *lib.* I. *Miscell. sacror. c.* 27. (4) *in Cyropædiâ lib.* II. VI. VII. (5) *in Alexandro.* (6) *in Lexico Græco pag.* 841. (7) *lib.* VIII. 25. (8) *lib.* III. *de Militiâ Rom. Dialog.* 3. (9) *lib.* III. *de Bello Jud.* (10) *in Analectis ad libros de Militiâ Romanâ pag.* 280. (11) *lib.* III. (12) *lib.* VII. *Æneid.* (13) *lib.* X.

Notat Servilium Proconſulem ad Cannas occiſum, cujus caput haſtæ præfixum ſpectaculo efferebant Pœni. Virgilius [1]:

——— *Hunc primo levis haſta Themillæ*
Strinxerat. ———

Catejas appellat idem [2]:

Teutonico ritu ſoliti torquere Catejâ.

Et Silius Italicus [3]:

——— *Pandâ manus eſt armata Catejâ.*

Haſta oblonga eſt, quam *falaricam* vocant, & deſcribit *Vegetius* [4]. Meminit Virgilius [5]:

Sed magnum ſtridens contra falarica venit
Fulminis acta modo. ———

ubi *Farnabius* [6] notat: *haſta validò præfixa ferro, ſulfure, reſinâ, bitumine, ſtupiſque convoluta, infuſo oleo incendiario, quæ balliſtæ impetu deſtinata ardens figitur, falis & turribus accendendis.* Verum & manibus emittebatur, quod conſtat ex *Virgilii* verbis adductis. †

III. Parmæ ligneæ erant, corio ſuperinductæ. Virgilius [7]:

——— *Quam nec duo taurea terga.*

id eſt, clypeus ex duplici taurino tergore. Læves & rotundæ. Horatius [8]:

Tecum Philippos & celerem fugam
Senſi, relictâ non bene parmulâ.

Nimirum quod ſine clypeo redire è prælio, ſummum dedecus eſſet non tantum apud Romanos, ſed quoque Græcos, teſte *Ariſtotele* [9], & adde *Nicolaum Cragium* [10]. Tyronibus dabatur parma alba & pura, inſignio prorſus nuda. Virgilius [11]:

Enſe levis nudo parmaque inglorius albâ.

Inſignium factis glorioſis ſibi promerebantur, ut adſcriberetur. Ee *Nu-*

† Livius *l.* 34. *c.* 14. *Ut remiſſis ſoliferreis falariciſque gladios ſtrinxerunt.*

(1) *lib.* IX. *Æneid.* (2) *lib.* VII. *Æneid.* (3) *lib.* III. (4) *lib.* IV. *cap.* 18. (5) *lib.* IX. *Æneid.* (6) *pag.* 304. (7) *lib.* IX. *Æneid.* (8) *lib.* II. *Carm.* 7. (9) *lib.* II. *Rhetoric.* (10) *lib.* III. *de Republ. Lacedæmon. pag.* 213. (11) *lib.* IX. *Æneid.*

Nubigeros clypeos, intactaque cædibus arma.

vocat *Statius*[1]. Et Perſius[2]:

Permiſit ſparſiſſe oculos jam candidus umbo.

Rurſum Virgilius[3]:

——— *Per linea terga, tribuſque*
Tranſiit intextum tauris opus. ———

Linea, id eſt, candida necdum picta, quod tyronis alicujus eſſet. Corium vero erat ſuperductum ex bobus tribus, ut eo validius obſtaret haſtis & telis.

IV. Galea erat è pellibus iiſque hirſutis, vulpium, canum, caprarum, luporum, urſorum, vaccarum, muſtelarum Scythicarum. Capitis integumentum ad frigus arcendum. Virgilius[4]:

——— *Fulvoſque lupi de pelle galeros*
Tegmen habet capiti. ———

Propertius[5]:

Et galea hirſutâ compta lupina jubâ.

Statius[6]:

Ille Lycaoniæ rictu caput aſperat urſæ.

Galeri & *Galeæ* non differunt hoc loco, atque inſuper *Cudones* appellat Silius Italicus[7]:

Scipio contorquens haſtam cudone comantes
Disjecit crines. ———

Et ibidem:

——— *Caput his cudone ferino*
Stat cautum. ———

Accreverunt demum exuviæ, ut Ductores Ordinum leoninas integras ſumerent ita præparatas, ut Herculis priſci inſtar capite operirent caput, inde ſuper corpore porrectas & ſub brachiis conſtrictas geſtarent. Virgilius[8]:

Ipſe pedes torquens tegmen immane Leonis
Terribili impexum ſetâ cum dentibus albis
Indutus capiti, ſic regia tecta ſubibat,
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.

Se-

(1) *lib.* v. *Sylv.* 2. (2) *Sat.* 5. (3) *lib.* x. *Æneid.* (4) *lib.* vii. *Æneid.* (5) *lib.* iv. *Eleg.* ii. (6) *lib.* iv. (7) *lib.* xvi. (8) *lib.* vii. *Æneid.*

Secundum mores novos deſcribit veterem habitum. Signiferi omnes iſto habitu videntur in columnâ Trajani, ut refert oculatus teſtis *Lipſius*[1].

V. Leves (quos *ferentarios* appellant *Tacitus*[2], *Saluſtius*[3]) pugnabant fundis, miſſilibus, gladio. Funditores (ut vocat *Saluſtius*[4]) vel Libratores (ut ait *Tacitus*[5]) jaciebant lapides & glandes plumbeas.

——— *Saxis ſolida æra fatiſcunt.*

ait *Virgilius*[6]. Et Propertius[7]:

Plumbea cum tortæ ſparguntur pondera fundæ.

Rurſum Virgilius[8]:

Et fundam tereti circum caput egit habenâ.

Egit, id eſt, rotavit, ex arte & more. Nam ſic vires addebant jactui. Et[9]:

——— *Pars maxima glandes*
Liventis plumbi ſpargit. ———

Phœnicum inventum eſſe refert *Plinius*[10]. Horum coloniæ in Africâ & Hiſpaniâ exercendo fundas præ cæteris inclaruerunt. Virgilius[11]:

Stuppea torquentum Balearis verbera fundæ.

Baleari verbere, eſt quoque apud *Silium Italicum*[12]. Balearidos incolæ ex Africâ profecti ſunt, *Strabo*[13], *Livius*[14], *Florus*[15], *Diodorus Siculus*[16]. Exaggerant impetum Poëtæ. Lucretius[17]:

——— ——— *Plumbea vero*
Glans etiam longo curſu volvenda liqueſcit.

Et Lucanus[18]:

Romanus cunctis petitur cruor, inde ſagittæ,
Inde faces & ſaxa volant, ſpacioque ſolutæ
Aeris, & calido liquefactæ pondere glandes.

Annotat Schrevelius[19]: *Per attritionem aëris intermedii*

(1) *lib.* III. *de Militiâ Rom. Dialog.* I. (2) *lib.* XII. *Annal.* (3) *in Catilinariâ.* (4) *in Jugurth.* (5) *lib.* XIII. *Annal.* (6) *lib.* IX. *Æneid.* (7) *lib.* IV. *Eleg.* 3. (8) *lib.* XI. *Æneid.* (9) *lib.* VII. *Æneid.* (10) *lib.* VII. *cap.* 59. (11) *lib.* I. *Georg.* (12) *lib.* II. (13) *lib.* III. *Geograph.* (14) *lib.* XXX. (15) *lib.* III. *cap.* 8. (16) *lib.* V. *cap.* 17. (17) *lib.* VI. (18) *lib.* VII. *Pharſal.* (19) *pag.* 343. *Comment. ad h. l.*

ex veloci motu liquefactæ ſunt pilæ plumbeæ in figuram glandium formatæ & fundis emiſſæ. Sic etiam *Farnabius*[1]. Ratio falſa eſt, nunquam enim aër mutatur in ignem, ſed igniculi in aëre copioſi procurant calorem & incendia, ſi qua vere oriuntur. Nam de hoc Poëtarum experimento res dubia eſt, quanquam ei fidem habeat *Ariſtoteles*[2]. Negat ita eſſe *Simon Simonius*[3], & oppido conſtat, cum ne globus quidem è cera confectus & ſclopo ejectus vel incaleſcat vel liqueſcat, quanquam ignis impetu expellatur & aerem celerrime pervadat, multo minus de plumbo verum eſſe poteſt. Confer *Sebaſtianum Baſſonem*[4]. De miſſilibus notiſſima res eſt. *Sagittarios* vocat *Saluſtius*[5]. Virgilius[6]:

Vulnera dirigere & calamos armare veneno.

Et paulo poſt:

——— *Queis tela, ſagittæ,*
Coritique leves humeris & letifer arcus.

Coriti ſunt pharetræ, ſagittarum thecæ, ut exponit *Servius*[7]. *Ovidius* de Sarmatis[8]:

In quibus eſt nemo, qui non coryton & arcum
Telaque vipereo lurida felle gerat.

Nimirum & apud illos erant infectæ ſagittæ. Tela erant præfixa ferro acuminato, ut penetrarent, vel hamato, ut infixa non poſſent facile iterum avelli. *Tragulam* vocabant hoc poſterius genus Hiſpani, Afri, Galli, qui olim adhibebant: Sarmatæ prius illud hodiernum in bellis uſurpant. *Saluſtius* de Metello in Hiſpaniâ: *ictu tragulæ ſauciatur.* De Afris Silius:

——— *Cui tragula ſemper*
Fulmineam armabat dextram. ———

De Gallis Cæſar: *Balventio femur utrumque tragula trajicitur.* Propertius[9]:

Et manus hamatis utraque eſt armata ſagittis,

Et

(1) *Notis ad lib.* IX. *Æneid. pag.* 300. (2) *lib.* II. *de Cœlo cap.* 7. *t.* 42. *& lib.* I. *Meteor. c.* 8. (3) *Diſputat. de Putredine pag.* 362. (4) *lib.* II. *Philoſ. naturalis pag.* 99. (5) *in Jugurth.* (6) *lib.* X. *Æneid.* (7) *in Commentario pag.* 585. (8) *lib.* V. *Triſtium eleg.* 7. (9) *lib.* II. *Eleg.* 9.

Et pharetra ex humero Gnoſia utroque jacet.

Ovidius [1]:

Pars cadit hamatis miſere confixa ſagittis.

Uncos vocat Statius [2]:

Aſpera tergeminis acies ſe condidit uncis.

Quæ tela *præpilata* erant, (ut vocant *Livius* [3], & *Ammianus* [4]) illa carebant ferro, nimirum pilæ inſtar, obtuſo acumine, rotunda, ut verberarent potius, quam foderent. Veneno perlinere, ut infectum vulnus curari non poſſet, Barbarorum damnatus mos erat. Virgilius [5]:

Ungere tela manu ferrumque armare veneno.

Sed apud Europæos (tantum quod Roſſi & Sarmatæ adhibent) in deſuetudinem venerunt, poſtquam glandes plumbeæ de bombardis nitrati pulveris impulſu exturbari cœperunt, non infelici permutatione. *Debemus hoc malum Germaniæ*, ait *Cœlius Calcagninus* [6]. Quod enim *Robertus Valturius* [7] ſcribit, *bombardas ab Archimede eſſe inventas*, de hoc recte pronunciat *Johannes Brodæus*, quod nihil fatuum magis excogitari poſſit [8], idemque prolixe refellit *Hieronymus Magius* [9]:

CAP. III.

De Equitatu & armis ejus.

I. VELITUM & Ferentariorum hæc arma fuerunt, dicemus porro, quæ arma fuerint Haſtatorum: Triariorum, Principum. Atque eadem illa fuerunt Equitum: Scilicet, ſcutum, pilum, galea, ocreæ, thorax, gladius. Scutum erat oblongum, figuræ ellipticæ, uti deformat *Lipſius* [10]. Proinde æquali altitudine obtegebat pectus ac infra genua porrigebatur. *Livius* [11] ſcribit: *milites in excubiis ſtantes capite ſuper marginem ſcuti impoſito dor-*

(1) *lib.* III. *Triſt. eleg.* 10. (2) *lib.* IX. *Thebaid.* (3) *lib.* XXVI. (4) *lib.* XXIV. *Hiſtor.* (5) *lib.* IX. *Æneid.* (6) *de re Nauticâ pag.* 312. *Operum.* (7) *lib.* X. *de re Militari pag.* 261. (8) *lib.* I. *Miſcellan. cap.* 26. (9) *lib.* I. *Miſcellaneor. cap.* I. (10) *lib.* III. *de Militiâ Romanâ pag.* 165. (11) *lib.* XLIV.

dormiviſſe. Ferro marginatum erat, & corio obductum. Et prius quidem ideo, ut gladiorum ictus eo minus penetrarent, qui alias lignum facile percellunt: poſterius, ut mundicies ſervaretur, & militi ſuperacclinanti commodius eſſet. Excipiebant illo miſſilia, lapides, verutorum & gladiorum ictus, ne vulnerarent, ſiniſtram vero faciei partem omnino obducebant, ne qua lædi poſſet. Atque hinc patet, quamobrem Nahas Rex oculum dextrum vellet eruere Jabeſitis, 1. *Samuel.* [1], *Joſephus* [2]. Nimirum ut bello ineptos eos efficeret. Qui enim manu ſiniſtrâ objicit clypeum, eâ tegit oculum ſiniſtrum, dextrâ vero aſpicit hoſtem, ait *Theodoretus* [3]. Alias tamen ad ſervilia opera perficienda utiles erant.

II. Pilum (ut vocant *Florus* [4], *Plinius* [5], *Saluſtius* [6]) erat, quod haſta Velitum, fodiebant eo, feriebant, jaculabantur. Habebat in apice ferrum præacutum, quadratum, ſæpe etiam hamatum, utrumque alto impetu perforabat ſcuta & loricas, Tibullus [7]:

——— ——— *Celeremve ſagittam*
Jecerit aut lento perfregerit obvia telo.

Lentum vocat ob pondus & gravitatem ſuam, quâ adjutum perfringebat obſtacula maxima. Neque facile revelli poterat infixum. *Gæſum* vocabant Galli, *Varrone* teſte, idemque vocabulum adhibet Virgilius [8]:

Gæſa manu ſcutis protecti corpora longis.

Græcorum vocabulum eſt ὕσσον, apud *Strabonem* [9], *Polybium* [10], *Plutarchum* [11]. Locus eſt Johan. [12]: *Impleverunt ſpongiam aceto & hyſopo circumdatam admoverunt ori ejus*, ὑσσώπῳ περιθέντες. Putant Viri docti, lectionem illam eſſe corrigendam. Rationem adferunt, quia hyſſopus ſit humilis & pariter fragilis ſuffrutex, ita ut non poſſit caulis ejus pro arundine longâ uſurpari, quæ ſpongiam ad Servatoris in cruce pendentis os protenderet: ergo

(1) X. 2. (2) *lib.* VI. *Antiquitat. cap.* 5. (3) *in Expoſitione ad b. l. quæſt.* 25. (4) *lib.* II. *cap.* 7. (5) *lib.* XXII. *cap.* 6. (6) *in Catilinariâ.* (7) *lib.* IV. *Eleg.* 1. (8) *lib.* VIII. *Æneid.* (9) *lib.* X. *Geogr.* (10) *in Fragmento de Caſtris metandis.* (11) *in Pompejo & Mario.* (12) XIX. 29.

ergo legendum esse ὑσσῷ περιθέντες, ut spongiam aceto plenam imposuerint pilo, & hoc modo eam Christo sitienti porrexerint milites custodes. Ita *Joachimus Camerarius*[1]. Sed medicina excedit modum, ac potest lectio recepta defendi, partim consensu *optimorum Codicum*, partim ex suffragio *vetustissimorum Interpretum*, *Syri*, *Arabis*, *Cyrilli*, *Chrysostomi*, *Theophylacti*, *Nonni Panopolitani*. Porro observetur, pilum Romanum in extremitate suâ crassius multo fuisse, ac ut illi spongia posset infigi commode. *Daniel Heinsius*[2] pro ὑσσώπῳ legendum esse putat οἰσύπῳ, unde sensus emergat: lanæ succidæ circumposuerunt. Sequitur Bernecccrus[3]: *Romani milites alias bibebant poscam, id est, aquam aceto mixtam, qualem petulantia Romanorum coprearum ori morientis Servatoris admovit in spongia circumligata* οἰσύπῳ, *id est, lana succida, non* ὑσσώπῳ *planta illa tenui*. Verum hinc sensus provenit omnino imperfectus. Euangelista vult exprimere instrumentum, quo potum emortualem porrigebat Romanus miles. Quid vero dicere est: *porrexit spongiam in lana succida*? Et quare circumponant spongiæ lanam succidam? poterat certe spongia vel sine additamento illo commode infigi prolixæ alicui & acuminatæ harundini. Calamum fuisse docent *Matthæus* & *Marcus*, id exponere pergit *Johannes*, ac calamum sive caulem hyssopi fuisse monstrat. Arboreſcebat hyssopus in Palæstina, quemadmodum & sinapi, ac poterat longos & robustos calamos suppeditare, 1. *Reg.*[4], *Matth.*[5]. Hujusmodi calamum, qui forte ad manus erat, coprea arripuit, spongiamque infixit. Ita nobiscum *Casaubonus*[6], *Hugo Grotius*[7], *Johan. Cunradus Dietericus*[8], *Salmasius*[9], *Thomas Bartholinus*[10].

(1) *Notatis ad Novum Testam. pag.* 298. *& in Homiliis Græcis ad Euangelia pag.* 138. (2) *Aristarcho ad Nonnum cap.* XIX. *v.* 29. (3) *Notis ad Plinii Panegyricum pag.* 16. (4) IV. 33. (5) XIII. 21. (6) *Notis ad Novum Testamentum pag.* 431. *& Exercitat.* 16. *contra Baronium sect.* 88. (7) *Notis ad Euangelia pag.* 493. (8) *part.* 3. *Antiquit. Biblicar. pag.* 82. (9) *in Excerptis Walæi ad Euangelia pag.* 334. 977. (10) *in Epistolis Medicis Centuria* 1. *pag.* 363.

III. Galea, ſive ærea ſive ferrea, criſtis ornata erat. Virgilius [1]:

Et conum inſignis galeæ, criſtasque comantes.

Conus eſt curvatura galeæ, cui ſuperimponitur πλέγμα στέφανος, uti *Polybius* dicit, id eſt, criſta. Et criſta quidem imponebatur, avium plumæ, leonum & equorum jubæ, caudæ equorum. Virgilius [2]:

Ære caput fulgens, criſtaque hirſutus equina.

Et idem alibi:

Cujus olorinæ ſurgunt de vertice pennæ.

Claudianus [3]:

Quod picturatas galeæ Junonia criſtas
Ornet avis. ——— ———

Silius [4]:

Horridus & ſquamis & equina Curio criſta.

Hoc ideo, ut hoſti eo terribiliores apparerent. Genus armorum a Caribus inventum, & orbe toto promulgatum, ut prodit *Herodotus* [5]. Nam & Orbis novi incolæ habebant, ut *Johannes Lerius* multis locis refert & ex eo *Sebaſtianus Scrôterus* [6]. Et hinc inſignia illa familiarum tam varia, quibus nobiles Europæi ſuperbiunt, ut *peculiari Volumine* deſcribit *Hoppingus*. Erat galea, non quidem toto clauſa, ut hodie uſurpamus, ſed anteriori parte aperta, ut facies proſpectum liberum haberet. Hinc illa vox Cæſaris (apud *Florum* [7]) in prælio adverſus Pompejum, *miles faciem feri*, quæ ſola propter ſcutum reductum nuda & ictibus expoſita erat. Quanquam de hac re aliter cenſeant *Janus Rutgerſius* [8], *Freinshemius* [9], *Zevecotius* [10].

IV. Ocreæ erant tegumenta tibiarum, unde etiam *tibialia* nominantur; ænea, ut *Polybius* ſcribit; ferrea, ut *Vegetius* [11]. Et hic quidem [12], *Pedites*, ait, *ſcutati etiam ferreas ocreas in cruribus dextris cogebantur accipere.*

Dat

(1) *lib.* III. *Æneid.* (2) *lib.* X. *Æneid.* (3) *de ſexto Conſulatu Honorii.* (4) *lib.* VIII. (5) *in Clione.* (6) *Tom.* 2. *Geograph. Hiſtoricæ pag.* 1042. (7) *lib.* IV. *cap.* 2. (8) *lib.* 1. *Var. Lect. cap.* 4. (9) *Notis ad Florum pag.* 342. (10) *Obſervationibus Politicis ad Florum pag.* 404. (11) *lib.* 1. *cap.* 20. (12) *lib.* 1. *cap.* 15.

Dat uni cruri, & dextro quidem, ocreas. Similiter Virgilius[1]:

——— *Veſtigia nuda ſiniſtri*
Inſtituere pedis, crudus tegit altera pero.

Pero eſt ocrea, uti apud Juvenalem[2]:

Per glaciem perone tegi, qui ſummovet Euros
Pellibus inverſis. ——— ———

Aliter de re ipſâ Juvenalis[3]:

Baltheus, & manicæ, & criſtæ, crurisque ſiniſtri
Dimidium tegmen. ——— ———

Dat & ipſe uni, verum ſiniſtro. In columna Trajani videtur, crus utrumque indutum eſſe tibiali. Variavit ergo res pro militis arbitrio, & prout is vel dextrum vel ſiniſtrum pedem inter cominus pugnandum proferebat. Ne pes gladio læderetur, ocrea muniebat eum. Et dimidium quidem, ne gravaret militem, ac quod partem reliquam clypeus obtegeret.

V. Thorax erat lamina ærea palmi majoris latitudine, ut *Polybius* narrat. Ergo non obtexit pectus totum, ſed tantum partem, eamque dexteram. Et quid in ſiniſtra opus erat, ubi ſcutum pro milite ſtabat? Alias habebant loricas hamatas. Virgilius[4]:

Loricam conſertam hamis, ———

id eſt, catenatam. Hami enim ſunt annuli vel circuli, quorum contextu fit lorica. Locus eſt 1. Reg.[5]: *Et arma laverunt. Joſephus, Alexandrini, Caſtalion, Munſterus*, Hebræum vocabulum רכלת non quidem *arma*, ſed *meretrices* vertunt, quæ laverint Achabi Regis currum ſanguine ejus perfuſum. Scilicet, ut hoc etiam ad contemptum Achabi acceſſerit, *quod non improbabile eſt*, ajunt *Grotius*[6], & *Franzius*[7]. Sed iſta quidem gratis dicuntur, ac melior eſt interpretatio *Tigurinorum, Pagnini, Tremellii, Ariæ Montani*, qui de armis exponunt, cruore perfuſis, poſtquam Rex jaculo percuſſus cum

(1) *lib.* VII. *Æneid.* (2) *Sat.* 14. (3) *Sat.* 6. (4) *lib.* III. *Æneid.* (5) XXII. 38. (6) *Notis h. l.* (7) *de interpretatione Scripturæ Oraculo* 148.

ſanguine multo vomuerat animam. Ergo זונת indicat *thoracem*, quo Rex indutus erat, ne telis confertim irruentibus opprimeretur, eodemque ſenſu אוניים ponitur *Deuter.*[1], ut ibi *Chaldæus paraphraſta* expreſſit.

CAP. IV.

De Expeditione terreſtri.

I. LEGES ad conſervandam diſciplinam fuerunt multæ, easque recenſet *Polybius*[2]. Prima eſt, quæ furtum vetat, cujus quia magna occaſio in caſtris, quod ſpe prædæ multi caſtra ſequantur & amicos ſæpe, ubi rapere liceat incuſtodita, pro hoſtibus habeant, placuit veteribus illis ſevere prohibere & punire. Quæ vero pœna furti fuerit, dicit Polybius: *Fuſte cædebatur, qui aliquid ſurripuerat ex caſtris.* Ad necem puta, ut idem *Polybius* memorat. De Tiberio Suetonius[3]: *Militem prætorianum ob ſubreptum è viridario pavonem capite punivit.* Plura exempla ſunt apud *Tacitum*[4]. Non illis hodie vivitur moribus, adeoque mirum non eſt, cum Provincialium lachrymæ, ſi non in raptore, ſaltem in hæredibus ejus a Deo puniuntur.

II. *Polybii* locus ille eſt: *Fuſte percutitur, qui furto aliquid è caſtris abſtulit, & qui in flore ætatis corpore ſuo deprehenditur abuſus, itemque qui ter ob eandem cauſam mulctatus eſt. Hæc talia ut crimina puniunt. At ignaviæ & militari probro adſcribunt iſta: Si quis falſo ſtrenuum aliquod factum ſuum referat ad Tribunos, honoris præmiique cauſa: Si quis armorum abjecerit aliquid in ipſo diſcrimine promendum, eoque fit, ut quidam in præſidiis fortiter occumbere malint, quam perditorum armorum cauſa notari ignominia, itaque in conflictu ipſo excuſſo gladio aut ſcuto, aliove ex armis caſu fortuito, jaciunt ſe ipſi in haſtas, certi aut recuperare quod amiſerint, aut occumbentes effugere manifeſtam ignominiam ſuam. Quod ſi plures*

(1) XXIII. 13. (2) *in Fragmentis libri* VI. (3) *lib.* III. *cap.* 60. (4) *lib.* II. & XIV. *Annal.* & *lib.* III. *Hiſtor.*

res in tali re delinquere contingat, Tribuni eos quidem fuſte percutere nolunt, ſed exercitum advocantes & in medium noxiis productis eos acriter incuſant, ac interdum quinque, alias octo, alias viginti ex omnibus ignavis ſorti ſubjiciuntur. Et in quos ſors ea cecidit, ſine ulla venia fuſte percutiuntur. Reliquis hordeum pro tritico admetiuntur, jubentque extra vallum tendere & tutelam caſtrorum. Ita periculo & metu a ſorte æqualiter omnibus impendente, ad omnes plurimum pervenit emendationis. Hæc ille. Quod dicit, *juſſos extra vallum tendere*, non diſſimile eſt illi, quod Alexander fecit: *Qui forte tædium laboris per literas erant conqueſti, hanc ſeorſum cohortem a cæteris tendere ignominiæ cauſa jubet*, Curtius[1]. Exemplum aliud narrat *Valerius Maximus*[2]. Nec fuſtibus ſolum ad necem adigebantur, ſed etiam deligatos ad palum, virgis cæſos & ſecuri percuſſos legimus eos, qui ſigna deſeruerant aut ordines, *Livius*[3]. Nonnunquam in crucem actos perfugas, *Livius*[4]. Pluribus confer *Balthaſarem Ajalam*[5], *Petrum Fabrum*[6].

III. Ut animi robur integrum eſſet militi, exeſſe de caſtris jubebant mulieres, atque harum ſervitia præſtari volebant a calonibus & lixis. Quod hinc *caſtra dicti ſint quaſi caſta* (uti *Iſidorus* ſcribit[7]) non admodum probo. Verum tamen eſt, & *Servius* affirmat[8], *turpe fuiſſe habitum a majoribus, cum mulier ſequebatur caſtra.* Sæpius quidem irrepſerunt, non vero permanſerunt in comitatu, ut factum eſt in obſidione urbis Numantiæ, ubi rem gerebat Scipio Æmilianus, *Florus*[9]. De eadem re Tacitus[10]: *Milites ſine uxore neque conjugiis ſuſcipiendis neque alendis liberis ſueti, ſine poſteris domos relinquebant. Intrare caſtra fœminis non licet*, ait *Quintilianus*[11]. Et Poëtæ aſſentiuntur, Tibullus[12]:

Quod

(1) *lib.* VII. *cap.* 3. (2) *lib.* II. *cap.* 7. (3) *lib.* II. & XXVIII. (4) *lib.* XXX. (5) *lib.* III. *de Jure belli cap.* 9. 10. 11. 12. 14. 17. 19. (6) *lib.* II. *Semeſtr. cap.* 6. (7) *lib.* IX. *cap.* 3. (8) *Commentar. ad lib.* VIII. *Æneid.* (9) *lib.* II. *cap.* 18. (10) *lib.* XIV. *Annal.* (11) *Declamat.* 3. (12) *lib.* II. *Eleg.* 3.

Quod ſi militibus parces, ero & hic quoque miles
Ipſe levem galea qui ſibi portet aquam.
Caſtra peto, valeatque Venus, valeantque puellæ,
Et mihi ſunt vires, & mihi facta tuba eſt.


Propertius [1]:

Romanis utinam patuiſſent caſtra puellis,
Eſſem militiæ ſarcina fida tuæ.

Correxit Juſtinianus, permiſitque militibus, ut ſecum uxores ducerent, *Balthaſar Ajala* [2], ubi Juris civilis textus adfert. Abutuntur Monachi Latini, & conſuetudinem in argumentum adducunt, ut probent Sacerdotes, Dei milites, debere cœlibes eſſe, *Becanus* [3]. RESPONDEO: Contubernii militibus ſemper jus fuit, a Junone arcebant eos leges Romanæ, & non a Venere, ait *Lipſius* [4], id eſt, Conjuges non quidem habebant, ſed concubinas & focarias. Aliter erat, cum emeriti eſſent. *Inſcriptio* Gallicana: MEMORIÆ. ET. QUIETI. ÆTERNÆ. VERINIÆ. INGENUÆ. LIBERTÆ. QUONDAM. ET. CONJUGI. CARISSIMÆ. QUÆ. VIXIT. MECUM. ANNIS. XVII. M. II. D. III. SINE. ULLA. ANIMI. LÆSURA. C. VERECUNDINIUS. VERINUS. VETER. LEG. XXII. R. P. F. CONJUXS. ET. PATRONUS. ET. VERECUNDINA. ET. VERINA. ET. VERA. FILIÆ. MATRI. KARISSIMÆ. ET. SIBI. VIVI. PONENDUM. CURAVERUNT. ET. SUB. ASCIA. DEDICAVERUNT. *Gruterus* [5]. Patronus erat ob contubernium priſtinum: Conjux, tunc cum poſt datam miſſionem perfecto conjugio ſociaverat eam. An Clericorum ſuorum eandem velint eſſe rationem Papiſtæ, conſultent mature, noſtrates Clerici habent uxores, τίμιον ὁ γάμον ἐν πᾶσι καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντον, *Hebr.* [6], & confer *Johan. Crocium* [7], *Georgium Calixtum* [8], *Polydorum Virgilium* [9], *Rodolfum Hoſpinianum* [10], *Claudium Eſpencæum* [11].

IV.

[1] *lib.* IV. *Eleg.* 3. [2] *lib.* III. *cap.* 2. [3] *lib.* 1. *Manualis Controverſiarum cap.* 13. *diſt.* 13. [4] *Notis ad lib.* 14. *num.* 75. [5] *in Volumine pag.* 567. *num.* 8. [6] XIII. 4. [7] *in Anti-Becano Tom.* 2. *pag.* 626. [8] *doctiſſimo libro pro Conjugio Clericorum.* [9] *lib.* V. *de Inventoribus Rerum cap.* 4. [10] *lib.* III. *de Origine Monachorum cap.* 1. [11] *lib.* 1. *de Continentia cap.* 1. 2. 3. 8. 9. 10.





IV. Acierum diſpoſitio ſpectatur ſecundum quatuor requiſita: Ordinem, Signorum locationem, Formam, Adjuncta. Ordo erat ille: † Haſtati per manipulos ſtabant primi, inde Principes, loco poſtremo Triarii. Velites ſparſi per manipulos ad latera & in fronte. Equites muniebant agmen diſpoſitis ad latera eorum alis, & premebant a tergo, ut luxatam aciem primam reſtaurarent, aut hoſtes in fugam depulſos acriter perſequerentur. De qua re prolixius agunt *Salmaſius* [1], *Juſtus Lipſius* [2], *Antonius Valtrinus* [3], *Rob. Valturius* [4]. Signa & Duces ſtabant ante principia, unde *Anteſignani* & *Poſtſignani* dicti ſunt. *Inſcriptio* Romana: ULPIAI. SCITAI. PILUMENAI. CONJUGI. B. M. P. ÆLIUS. MACER. ANTESIGNANOR. TRIBUN. LACRYMAS. POSUIT. *Gruterus* [5]. Quid ſit, *lacrymas ponere*, docebimus *infra* [6]. Tribuni, Legati & Imperator circa medium erant & apud Aquilas. Centuriones in fronte ſuos quiſque dirigebant manipulos, ut late monſtrat *Juſtus Lipſius* [7]. Forma ſtruendi quadrata plurimum erat, eaque duplex, aut triplex, variata exteriori ſpecie, ut eſſent cuneus, globus, forceps, turris, ſerra. De quo multis *Salmaſius* [8], *Lipſius* [9]. Adjuncta erant: Alloquium Ducis ad milites, quo timidis ac trepidis animum ſuggerebat: *Claſſicum*; Horatius [10]:

Neque excitatur claſſico miles truci.

Signa canere, vocat *Saluſtius* [11]. Erant apud veteres tubæ, cornua, buccinæ. Tubas & cornua acceperunt a Tyrrhenis. Τυῤῥηνῶν δέ ἐϛιν εὕρημα κέρατά τε καὶ σάλπιγγες, ait *Athenæus* [12]. Et hi quidem ab Oriente petiverunt, itaque crebra in *Literis Sacris* mentio eſt de tubis & cornibus,

† Quem vide in annexa figura F. Patricii P. XIV. *rei Milit. Rom. ſect.* 7.

[1] *de re Militari Romanorum cap.* 2. 3. [2] *lib.* IV. *de Militia Romana Dialog.* 1. 2. [3] *lib.* V. *de re Militari Roman. cap.* 3. [4] *de re Militari lib.* VI. *cap.* 12. [5] *in Volumine pag.* 517. *num.* 3. [6] *lib.* IV. *cap.* 6. *num.* 13. [7] *lib.* IV. *dialog.* 3. 4. [8] *libro dicto cap.* 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. [9] *dicto libro cap.* 6. 7. 8. [10] *lib.* V. *Carm.* 2. [11] *in Catilinaria.* [12] *lib.* IV. *Dipnoſophiſt.*

nibus, ut notavimus *ſupra* [1]. Suetonius [2]: *Rapta ab unâ tuba ingenti ſpiritu claſſicum exorſus eſt.* Horatius [3]:

Multos caſtra juvant, & lituo tubæ
Permiſtus ſonitus.

Et [4]:

Jam jam minaci murmure cornuum
Perſtringis aures: jam litui ſtrepunt.

Virgilius [5]:

Primus equi labor eſt, animos atque arma videre
Bellantum; lituosque pati.

Inſcriptio Romana: ÆLIUS. LUCIUS. QUI. VIXIT. ANN. XL. P. ÆLIUS. DECIMINUS. EQ. SING. AUG. BUCCINATOR. HERES. PIENTISSIMO. AMICO. TITULUM. FECIT. *Gruterus* [6]. Et alia Romana: C. SALLIO. MATERNO. BUCCINATORI. LEG. V. ALAUDÆ. CAJO. SALLIO. ARCINIO. CÆSAR. N. TUBIC. C. SALLIO. SUESSALA. N. PRIMIONI. CORNICULAR. LEG. III. AUG. C. SALLIO. CAPONIO. CORNIC. OLL. IV. SALLIA. FORTUNAT. PARENT. INFELICISS. FEC. *Gruterus* [7]. Tympanis haut utebantur in bello, ſed in Cybeles ſacris frequentia erant illa, ut diximus *ſupra* [8]. Sequebatur clamor militum, unde poſſit hoſtis terreri ſi vellet. Virgilius [9]:

At tuba terribilem ſonitum procul ære canoro
Increpuit: ſequitur clamor, cœlumque remugit.

Barritum appellant *Vegetius* [10], *Ammianus Marcellinus* [11], & *Ululatum*, Livius [12], eſtque Græcorum ἀλαλαγμὸς, cujus exemplum eſt in *Literis Sacris*, *Jud.* [13]. Multum proderat adverſus hoſtes, iſto clamore adoriri eos. Sciebat *Joſephus* [14] Hebræus, qui bello in Romanos turmalium Ductor, ne occlamando exanimarentur commilitones ejus, juſſit, πρὸς τὸ ἀλαλαγμὸν τῶν πραγμάτων ἐπιφέρειν τὰς ἀσπίδας. De Perſis & Macedonibus Curtius

[1] *lib.* I. *cap.* II. *diſt.* 3. [2] *lib.* I. *cap.* 32. [3] *lib.* I. *Carm.* I. [4] *lib.* II. *Carm.* I. [5] *lib.* III. *Georgic.* [6] *in Volumine pag.* 516. *num.* 8. [7] *l. d. pag.* 559. *n.* 7. [8] *lib.* I. *c.* 2. *n.* 7. [9] *lib.* IX. *Æneid.* [10] *lib.* V. *c.* 18. [11] *lib.* XVI. XXI. XXXI. [12] *lib.* XX. [13] VII. 20. 21. [14] *lib.* III. *cap.* 18.

tius [1]: *Jam in conſpectu, ſed extra teli jactum utraque acies erat, cum priores Perſæ inconditum & trucem clamorem ſuſtulerunt, redditur & a Macedonibus major numero exercitus, jugis montium, vaſtiſque ſaltibus repercuſſus.* De Germanis Tacitus [2]: *Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem barritum vocant, accendunt animos, futuræque pugnæ fortunam ipſo cantu augurantur, terrent enim trepidantve, prout ſonuit acies.* Denique ſignum pugnæ erat, χιτὼν κόκκινος ὑπὲρ τ σρατηγικῆς σκηνῆς ἁπλούμενος, teſte *Plutarcho* [3], id eſt, *tunica punicea ſuper Imperatoris tentorio extenſa.* Alias etiam tunica punicea ad haſtam appenſa in altum erigebatur, ut eminus videri poſſet, autore *Appiano* [4], ubi eſt, φοινικίδα ἐπὶ δόρατος ὑψηλοῦ.

V. Pugnæ diſcrimen ſubituri in acie ordinanda hoc conſilium interdum ſequebantur, ut vir virum legeret. Virgilius [5]:

——— ——— ——— *Totas*
Implicuere inter ſe acies, legitque virum vir.

De Rutulis ait. In cujus virtute plurimum fiduciæ eſſe ſtatuebat quiſque, eum in acie proximum ſibi cupiebat, cujus latus tegeret. Idem fecerunt Hetruſci, *Livius* [6]. Samnites, *Livius* [7], Romani, *Suetonius* [8], & confer *Petrum Victorium* [9]. Singulare aliquid erat, quando exercitus laborabat, & propter Deos adverſos ſuperari ab hoſtibus poſſe videbatur: tunc enim Pontificis & Aruſpicum (qui in caſtris una aderant) conſilio factum eſt, ut miles aliquis (ſive is ordinum Ductor eſſet, ſive Conſulum alter) pro ſalute exercitus devoveret ſeſe, atque obitu ſuo hoſtibus cladem, patriæ victoriam acquireret. Juvenalis [10]:

Plebejæ Deciorum animæ, plebeja fuerunt
Nomina: pro totis legionibus hi tamen & pro

Omni-

[1] *lib.* III. *cap.* 19. [2] *libro de Moribus Germanor.* [3] *in Vita Fabii & in Vita Bruti.* [4] *in Ibericis.* [5] *lib.* XI. *Æneid.* [6] *lib.* IX. [7] *lib.* X. [8] *lib.* II. *cap.* 35. [9] *lib.* XVIII. *Variar. Lect. cap.* 19. [10] *Sat.* 8.

Omnibus auxiliis atque omni plebe Latina
Sufficiunt Diis infernis, terræque parenti.

Rem geſtam deſcribit *Livius*[1], & inter alia verba iſta habet: *piaculum omnis Deorum iræ, qui peſtem ab ſuis averſam in hoſtes ferret. Piaculum* vocat appoſite, eratque piaculum hujuſmodi filia Jephtæ, quamobrem non poterat redimi, ſed cogebatur mori, ex lege *Levit.*[2], *Judic.*[3]. Plura dicemus *infra*[4].

VI. Et quia credebant veteres, Genios urbis tutelares ita potentem coloniæ ſuæ defenſionem præſtare, ut non poſſet illa occidere, niſi Genius averſos animos haberet, factum eſt conſilio Pontificis & Augurum, ut verbis conceptis Genius tutelaris ſollicitaretur ad deſerendam urbem, quo facto nihil virium in civibus eſſet, nec poſſent reſiſtere hoſti. Recitat cerimonias *Macrobius*[5], (unde repetit *Nicolaus Remigius*[6]) additque exempla, ubi ſucceſſerit res in evocandis ſacris, nimirum adverſus Tonios, Fregellos, Gabios, Vejos †, Fidenates, Pœnos, Achæos, Numantinos. Carmen evocatorium erat tale: *Si Deus, ſi Dea es, cui populus civitaſque eſt in tutela, teque maxime ille, qui urbis hujus populique tutelam recepiſti, precor venerorque, veniam a vobis peto, ut vos populum civitatemque deſeratis, loca, templa, ſacra, urbemque eorum relinquatis, absque his abeatis, eique populo civitatique metum, formidinem, oblivionem injiciatis, proditique Romam ad me meoſque veniatis, noſtraque vobis loca, templa, ſacra, urbs acceptior probatiorque ſit, mihi quoque populoque Romano, militibus meis præpoſiti ſitis, ut ſciamus intelligamusque. Si ita feceritis, voveo vobis templa & ludos facturum.* Eodem pertinet illud Silii Italici[7]:

Et demigrantem Tarpeja ſede tonantem.

Sic enim emendat & explicat *Franciſcus Modius*[8]. Romani vero Genium Urbis ſuæ arcanum habuerunt, ejuſque

† Livius v. 21.

[1] *lib.* VIII. *Hiſtoriar.* [2] XXVII. 28. [3] XI. 30. 31. 36. 37. [4] *cap. ſeq.* [5] *lib.* III. *Saturnal. cap.* 9. [6] *lib.* II. *Dæmonolatriæ cap.* 9. [7] *lib.* XII. [8] *in Lectionibus nov-antiquis Epiſt.* 38.

que effigiem quidem Numiſmatis imprimebant, ut ſtaret ante aras cum patera & cornu-copiæ, teſte *Antonio Auguſtino* [1], ſed tamen ejus nomen, ſacra, cultum proprium, paucis ſacrorum Doctoribus indicando communicaverunt, ne hoſtes tentarent adverſus illos, quod ipſi cum ſucceſſu adverſus hoſtium urbes ſeſe feciſſe noverant. *Servius* [2] prodit: *Verum nomen ejus Numinis, quod urbi Romæ præeſſet, ſciri ſacrorum lege prohibetur, quod auſus quidam Tribunus plebis enunciare, in crucem levatus eſt. Inſcriptio* Romana: SECULO. FELICI. PHISIAS. SACERDOS. ISIDI. SALUTARIS. CONSECRATIO. PONTIFICIS. VOTIS. ANNUANT. DII. ROMANÆ. REIP. ARCANAQUE URBIS PRÆSIDIÆ ANNUANT. QUORUM. NUTU. ROMANO. IMPERIO. REGNA CESSERE. *Gruterus* [3], *Boiſſardus* [4]. Arcana urbis præſidia ſunt Dei tutelares, quorum propria nomina ignota eſſe volebant. Hinc explices illud Bileami: *reddam vobis reſponſum, quemadmodum edixerit mihi Dominus.* Numer [5]. Annotavimus, quæ eo pertinent, *in Auctariis ad Epitomen Pappi* [6].

VII. Quæcunque urbs portas aperire nolebat, eam corona cingebant, & arcte cuſtodiebant, ut demum fame victa introreciperet obſeſſores: aut quando non libebat a temporis extractione auxilium præſtolari, faciebant aſſultum per valla & mœnia, ſcalis admotis. Virgilius [7]:

Quærunt pars aditum, & ſcalis adſcendere muros.

Scuta ferebant ſuper capite, ut tela, quæ propugnatores injiciebant, declinarent. Lucanus [8]:

Ut tamen hoſtiles denſa teſtudine muros
Tecta ſubit virtus, armiſque innexa priores
Arma ferunt, galeamque extenſus protegit umbo.
Quæ prius ex longo nocuerunt miſſa receſſu,
Jam poſt terga cadunt. ——

[1] *Tab.* 28. *n.* 4. [2] *Commentario ad lib.* 1. *Georgicor. pag.* 89. [3] *in Volumine pag.* 83. *num.* 15. [4] *part.* 3. *Antiquitat. Roman. Tab.* 120. [5] XXII. 8. 9. [6] *pag.* 297. [7] *lib.* IX. *Æneid.* [8] *lib.* III. *Pharſal.*

Vocabant *teſtudinem*, & verbis manifeſtis deſcribit Tacitus [1]: *Tum elatis ſuper capita ſcutis, denſâ teſtudine ſuccedunt: Romanæ utrimque artes. Pondera ſaxorum Vitelliani provolvunt, disjectam fluitantemque teſtudinem lanceis contiſque ſcrutantur, donec ſoluta compage ſcutorum exſangues aut laceros proſternerent.* Depingit *Lipſius* [2]. Si vero ob propugnaculorum vaſtitatem hoc non ſuccederet, aggeres jaciebant, turreſque obſidionarias conſtruebant, demumque machinis admotis eam concutiebant.

VIII. Agger erat moles terræ congeſta a militibus, & per ceſpitum induratas commiſſiones in lateribus ſuis firmiter compacta, ut altitudine æquaret mœnia. Stabant in parte ſuperiori integræ militum cohortes, atque inde telis injectis affligebant urbis incolas, *Livius* [3], *Cæſar.* [4]. Aggeres ita per longum & latum deductos, ut eo magis commodare poſſent militibus, turribus obſidionariis ex intervallo poſitis firmabant. Lucanus [5]:

——— ——— *Tunc omnia lato*
Procumbunt nemora, & ſpoliantur robore ſilvæ.

Quæ inſtar ſpecularum erant, unde obſervarent milites cominus, quid hoſtes intra mœnia pro defenſione urbis conarentur, & quomodo vel cuniculis ſubter mœnia agendis, vel machinis loco idoneo admovendis, urbs magis affligi poſſet, ac deditio maturari. Depingunt *Lipſius* [6], *Robertus Valturius* [7].

IX. Ut Cuniculos agerent, turres mobiles (quas Vegetius [8] *ambulatorias* vocat) adhibebant, latiſſimas & rotis multis impoſitas, milites intro ſtantes promovebant rotas, ut mœnibus propinquarent, tabulatum deſuper crudis & recentibus pellibus obductum, & a lateribus aſſerum viminumque compaginem firmiſſimam habentes, ne ignibus vexari, lapidibus aut telis peti ac perimi ab obſeſſis poſſent. Saluſtius [9]: *Contra ea oppidani in proximos ſaxa volvere, ſudes, pila, præterea pice & ſul-*

(1) *lib.* III. *Hiſtor.* (2) *lib.* I. *Poliorcetic. Dial.* 5. *& lib.* V. *cap.* 1. (3) *lib.* V. (4) *lib.* II. *de Bello Gallico.* (5) *lib.* III. *Pharſal.* (6) *in Poliorceticis lib.* II. *Dial.* 3. 4. (7) *lib.* X. *de re Militari pag.* 237. (8) *lib.* IV. (9) *in Jugurthin.*

ſulfure tædam mixtam mittere. Ubi cuniculis non erat relictus locus, quod ſolum petroſum eſſet, intra iſtas turres appendebant arietes. Erant trabes prægrandes, oblongæ, ferro præmunitæ, & catenis ſuſpenſæ, quas libratas & in æquilibrio detentas, retrorſum protrahebant milites, & prorſum cum impetu ad mœnia intorquebant, ut illa rimas ducerent, lapidumque ſolidata compago fatiſceret, ita ruinæ quantocyus ſequebantur. Virgilius[1]:

——— ——— *Labat ariete crebro*
Janua, & emoti procumbunt cardine poſtes.

Propertius[2]:

Dumque aries murum cornu pulſabat aheno,
Vineaque inductum longa tegebat opus.

Quid vinea ſit, dicemus ſtatim. Depingunt *Lipſius*[3], *Robertus Valturius*[4].

X. Ne quid turribus ſub mœnia propius ducendis obſtaret, ad foſſas explendas & viarum hiatus complanandos præmittebantur milites ſtratores & foſſores, cum ligonibus & rutris, iique intra pluteos, gerras, muſculos, & vineas reconditi, *Vegetius*[5]. Ita vocabant turres mobiles levioris operæ, ex viminibus contextas & quacunque occaſione ſolutiles, ut gravioribus negociis ſtatim aptari poſſent. Saluſtius[6]: *Oppidum circumſedit, vineis turribuſque & machinis omnium generum expugnare aggreditur.* Lucanus[7]:

Tunc adoperta levi procedit vinea terra,
Sub cujus pluteis & tecta fronte latentes
Moliri nunc ima parant, & vertere ferro
Mœnia, nunc aries ſuſpenſo fortior ictu
Incuſſus denſi compagem ſolvere muri
Tentat, & impoſitis unum ſubducere ſaxis.

Depingunt *Lipſius*[8], *Rob. Valturius*[9]. Nec arcubus ſolum tela, & fundis lapides ingerebantur, ſed quoque

(1) *lib.* II. *Æneid.* (2) *lib.* IV. *Eleg.* 9. (3) *lib.* III. *Poliorcetic. Dial.* 1. (4) *lib.* X. *de re Militari pag.* 279. (5) *lib.* IV. *cap.* 15. (6) *in Jugurth.* (7) *lib.* III. (8) *lib.* I. *Poliorcetic. Dial.* 7. 8. 9. (9) *l. d. pag.* 244.

balliſtis & catapultis, Nonius Marcellus [1]. *Murum arietibus feriri*, dixit *Saluſtius* [2]. Virgilius [3]:

——— *Murali concita nunquam*
Tormento ſic ſaxa fremunt. ———

Nervis funibuſque attrahebantur illæ, ut procul jacerent ſaxa ingentis molis, arborumque ramalia, quæ vocabant *falaricas*. Lucanus [4]:

Hunc aut tortilibus vibrata falarica nervis
Obruat, aut vaſti muralia pondera ſaxi.

Scorpiones & *onagros* vocavit ætas ſerior, ut refert *Ammianus Marcellinus* [5]. Depingunt *Juſtus Lipſius* [6], *Robertus Valturius* [7].

XI. Ubi arietum pulſus non ſufficiebat, ibi conjungebant falces. Erant ferrum acutum trabi infixum, quo compagines præſertim radebantur, ut lapides facili ope eximi poſſent. Meminit *Cæſar* [8], & pingunt *Lipſius* [9], *Rob. Valturius* [10]. Præterea malleolos in urbium tecta projiciebant. Virgilius [11]:

Princeps ardentem conjecit lampada Turnus,
Et flammam affixit lateri, qua p'urima vento
Corripuit tabulas, & poſtibus hæſit adeſis.

Erat manipulus ſegmentorum tædæ, aut cannarum pice illitarum, quæ incenſa & vento favente propulſa, quia tenacem ignem ſecum ferebant, illico domorum culmina arripiebant, *Nonius Marcellus* [12]. Et hæc quidem conflagrabant, quod affuſis aquis exſtingui non poſſent flammæ infernales, ſed tantum injecto pulvere comprimerentur, uti prodit *Ammian. Marcellinus* [13], πῦρ ὑγρὸν vocat *Nicetas Choniata* [14], materia non abſimili iis ignibus, quos Batavi adhibuerunt in exurendis Hiſpanorum navibus. Confer *Hieron. Cardanum* [15], *Joh. Lan-*

(1) *de Proprietate Sermonum cap.* 18. *num.* 1. 20. 22. (2) *in Jugurthin.* (3) *lib.* XII. *Æneid.* (4) *lib.* VI. *Pharſal.* (5) *lib.* XXIII. (6) *lib.* III. *Poliorcetic. Dial.* 2. 3. (7) *l. d. pag* 261. (8) *lib.* III. *de Bello Gallic.* (9) *lib.* III. *Poliorceticor. pag.* 118. (10) *l. d.* (11) *lib.* IX. *Æneid.* (12) *l. d. c.* 18. *n.* 27. (13) *lib.* XXIII. (14) *lib.* I. *Annal.* (15) *lib.* II. *de Subtilitate Rerum pag.* 36.

Langium [1], *Simonem Majolum* [2], *Jul. Scaligerum* [3], *Caſparum Schottum* [4].

CAP. V.

De voto a Jephta prolato Corollarium.

I. VOTUM tale erat: *Si tradideris Ammonitas in manum meam, quicquid egredietur de foribus domus meæ in occurſum meum, cum revertar in pace ab Ammonitis, erit Domini & offeram illud holocauſtum.* Referunt quidam (*Joh. Brentius* [5], *Joh. Druſius* [6], *Sixtin. ab Amama* [7], *Rabbinus Kimbi*, *Vatablus*, *Grotius*, *Tremellius*, *Piſcator*, *Munſterus*, *Pellicanus* [8], *Dan. Heinſius* [9], *Dan. Feſſelius* [10]) ad votum ſimplex, quod eſt votum rei ſacræ, נזר הקדש, ut adeo nata devota fuiſſet cultui ſacro ad Tabernaculum, virgo perpetua. Errant vero & contradicunt verbis apertis, *& offeram illud in holocauſtum.* Ergo חרם, votumque de perpetuo cœlibatu iſto tempore prorſus inuſitatum, imo cum populi moribus evidenter pugnans, non poterit verbis accommodari. De qua re contra *Baronium* & *Bellarminum* accurate differunt *Joh. Gerhardi* [11], *Dan. Chamierus* [12], *Caſaubonus* [13]. Ratio una eſt, quæ rem totam conficit, videlicet, mos non inoleviſſet inter virgines Iſraëliticas, quotannis conveniendi ad memorandam celebrandamque ejus in ſubeunda voti exſecutione fortitudinem. An quod viva ſeparabatur a thoro, & ſerviebat in operis ſacris? Non ſane hæc tanta cauſa erat, ſed par omnino tanto conventui cauſa erat, ſponte ad mortem contendiſſe, ut pro hoſtia cæderetur.

II. EXCIPIUNT: (1) *Virgo exorat moram ſemeſtrem plangendi, non quidem vitam, ſed virginitatem.* RESPONDEO: Deflevit virginitatem, ſed non excluſa vita. Morti n. acerba conditio erat addita, videlicet quod ſine liberis obire haberet neceſſum. (2) *Voti exſecutio deſcribitur per verba illa*, & virum non cognovit, *i. e. virgo permanſit*, RESPONDEO: Planius vertitur, *& virum non cognoverat.* Nimirum perfectæ virtutis atque ætatis virgo erat tunc, cum immolabatur, quo magis

(1) *lib.* 11. *Epiſtol. Medicinal. n.* 52. (2) *lib.* 1. *Dierum Caniculariurn pag.* 701. (3) *Exercit.* 13. *ſect.* 3. (4) *in Magia Univerſali part.* 4. *pag.* 119. (5) *Comment. h. l. pag.* 42. (6) *Notis ad h. l. p.* 278. (7) *in Antibarbaro Biblico pag.* 612. (8) *Notatis ad h. l.* (9) *in Exercitat. ſacris lib.* XVIII. (10) *lib.* 1. *Adverſar. ſacrorum cap.* 8. (11) *Confeſ. Cathol. Tom.* 3. *p.* 216. (12) *in Panſtratia Cathol. Tom.* 3 *lib.* XX. *c.* 20. (13) *Exercit.* 1. *ſect.* 22.

evidenter conſtaret figura Chriſti, qui purus ab omni labe obtulit ſe ipſum holocauſtum pro totius mundi peccatis, uti bene monet Auguſtinus [1]. (3) *Virgines cum ea quotannis confabulabantur, non ergo vivis exempta fuit.* RESPONDEO: Imo confabulabantur de ea, celebrando ejus conſtantiam in perferenda morte, idque ſuo adhuc feciſſe tempore Samaritanos, teſtatur de illis Epiphanius [2]: ὃν δὲ τῇ Σεβαστῇ τῇ ποτὲ Σαμαρείᾳ καλλιμένῃ τὴν θυγατέρα Ἰεφθάε θεοποιήσαντες, ἔτι ταύτην τελετὴν καθ' ἕτος ἄγουσιν. Ubi τελετὴ ſacrificium eſt, eodem interprete [3]: ὃν Σικίμοις, τοῦτ' ἐστὶν ὃν τῇ νυὶ Νεαπόλει θυσίας οἱ ἐπιχώριοι τέλουσιν εἰς ὄνομα τῆς κόρης.

III. *Grotius* annotat: *Non poterant Holocauſta per legem fieri, niſi ex bobus, ovibus, capris, turture, columba. Quid ſi aſinus vel canis occurriſſet, debuitne fieri Holocauſtum? non ſane, ergo nec humani generis quicquam, ſed dedicandum id ad ea miniſteria, quæ homines Deo exhibent, puta in Sanctuario, ſi mas eſſet: ſi fœmina, ad preces, aliaque pietatis exercitia, vini abſtinentiam & vitam ſolitariam. De mare exemplum habes in Samuele*, 1. Samuel. 1. 28. *de fœminis* μοναζούσαις *eſt* Exod. XXXVIII. 8. 2. Samuel. XX. 3. Hæc ille. RESPONDEO: De Holocauſtis ordinariis hoc verum quidem eſt, ſed eo non debet referri hoc extraordinarium anathema. Et ſecundum illud nec canis, nec aſinus, quando priores occurriſſent, in vivis relinqui debuiſſent. Sed altioris principii eſt, quod occurrit filia ad voti exſecutionem faciendam, unde eſt in textu, *erat ſuper Jephtam ſpiritus Domini, vovitque votum.* Et hoc ipſum votum maximæ fidei ejus adſcribitur, *Hebr.* 4. Conſecrationes ad ſacras operas in populo Hebræo receptæ, non pertinent ad præſens negocium: Nam mares poterant uxores ducere, neque illi vitam ſolitariam agebant, ut Samuelis exemplo conſtat. Fœminæ vero pro tempore votum ſolvere quidem poterant in Tabernaculo, non vero ad omne tempus vitæ cœlibatum ſervabant. Davidis pellices divinis uſibus conſecratas eſſe, unde probabit *Grotius*? De re tota confer *Nicolaum Serarium* [5], *Ludovicum Capellum* [6].

CAP. VI.

De Expeditione maritima Diſſertatio.

I. SERIUS ad maris navigationem venerunt Romani, & primam claſſem ſtruxerunt adverſus Carthagi-

(1) *Comment. ad libr. Jud. quæſt.* 49. (2) *in Hæreſiologo ſect.* 55. (3) *ſect.* 78. (4) XI. 12. (5) *Commentario ad librum Judicum cap.* XI. *quæſt.* 14. 15. 16. (6) *Diatriba peculiari.*

ginenſes in Primo bello Punico. Nec infelici eventu. Victor enim claſſe Duillius, quod ante eum nemo conflictus navales iniviſſet, triumphator ſummus in Urbe provexit, Romani vero etiam dominium maris ſibi attribuerunt, *Livius*[1], *Florus*[2], *Eutropius*[3]. Duillio ob navalem hanc Victoriam Statua cum columna roſtrata in foro Romano decreta fuit, cujus meminit *Plinius*[4]. Ejus baſi inſcriptio addita erat, quam in Capitolinis Urbis ruinis repertam ediderunt *Antonius Auguſtinus. Carolus Sigonius*, *Fulvius Urſinus*, a quibus accepit *Onufrius Panvinius*[5], ubi quoque iconem appinxit, quam eandem habet *Jacobus Laurus*[6]. *Inſcriptio* vero hæc eſt: C. DUILIUS. M. F. M. N. CONSUL. SEGESTAN. OPIDOM. OBSIDIONE. EXEMIT. LEGIONES. ROMANAS. PERICULO. MAXIMOS. MAGISTRATUS. LIBERAVIT. CIVIUM. M. NOVEM. CASTRIS. EXFOCIUNT. MACELAM. URBEM. PUGNANDO. CEPET. ENQUE. EODEM. MAGISTRATU. EN. NAVEBOS. MANI. CONSUL. PRIMOS. CESSIT. CLASSESQUE. NAVALES. PRIMOS. ORNAVIT. PALMA. CUMQUE. EIS. NAVIBUS. CLASSES. POENICAS. OMNES. SUMMAS. COPIAS. CARTHAGINENSES. PRÆSENTE. HANNIBALE. DICTATORE. OLLORUM. IN. ALTO. MARIPUGNANDO. CUM. QUINQUE. NAVIBUS. ET. CUM. SOCIIS. SEPTEREMEM. BIRMOSQUE. TRIREMOSQUE. NAVES. X. CEPIT. EQUE. NAVALE. PRÆDA. POPLO. NUMOS. DONAVIT. Sic ibi. Meminit Silius Italicus[7]:

Exuvias Marti, donumque Duillius alto
Ante omnes merſa Pœnorum claſſe dicabat,

& confer *Moriotum*[8], *Johan. Seldenum*[9], *Franciſc. Stypmannum*[10], *Martinum Schookium libro*[11]. Navium conſiderabimus partes & ſpecies, ut fecerunt *Cœlius Calca-*

(1) *lib.* XVII. (2) *lib.* II. *c.* 2. (3) *lib.* II. (4) *lib.* XXXIII. *c.* 1. (5) *Commentario de Triumphis Romanorum pag.* 10. (6) *part.* 3. *Antiquitat. Romanar. Tab.* 16. (7) *lib.* VI. (8) *in Orbe Maritimo.* (9) *lib.* I. *Maris clauſi c.* 14. (10) *lib.* I. *de Navigatione c.* 6. (11) *de Imperio Maritimo c.* 6.

cagninus [1], *Lilius Gyraldus* [2], *Johan. Schefferus* [3], *Thomas Rivius* & *Georgius Hornius* [4], *Andreas Senfftlebius* [5]. Partes ſunt vel integrantes vel ad ornatum. Integrantes ſunt *Scalmus*, *Latera*, *Carina*, *Prora* & *Puppis*, *Antenna*, *Mali*, *Vela*, *Tranſtra*, *Remi*. *Scalmus* eſt, ad quem alligabantur remi. *Latera* deſignabant navis partes, dextram & ſiniſtram. *Carina* eſt pars infima & firma, quæ fluctus ſecat, & in quam ſentina confluit, id eſt, aqua per rimas pice oblitas illapſa, quæque deinde per antlias exhauritur. Virgilius [6]:

——— *Natat uncta carina.*

Et [7]:

Labitur uncta abies. ———

Prora eſt anterior pars, & *Puppis* eſt poſterior: hic eſt Clavus, quo navis regitur a Gubernatore, ut commoditate venti fruatur, & a littoris contactu prohibeatur, ubi ſolent vada cœca & arenarum cumuli eſſe, quibus impacta navigia damnum certum patiuntur: ibi eſt Roſtrum, protenſa aliqua navis pars, eaque ærata. Virgilius [8]:

——— *Spumas ſalis ære ruebant.*

Et [9]:

Maſſicus ærata princeps ſecat æquora tigri.

Et paulo poſt:

Quot prius ærata ſteterant ad littora proræ.

Silius Italicus [10]:

Adnabat centum late Sidonia velis
Claſſis ſubſidio, & ſcindebat cærula roſtris.

Hoc ideo, ut non tantum compagem navium firmarent, ſed etiam ut in naves hoſtiles audacter incurrere, & aliquam ejus partem impetu facto affligere *poſſent*. Roſtrorum icones * multas adducit *Abrahamus Gorlæus*

* Quomodo nos quoque adducimus ex On. Panvinio *de Triumpho c.* 2. & 3.

(1) *de re Nautica pag.* 301. *Operum.* (2) *de re Nautica pag.* 571. *Operum.* (3) *libris quatuor de Militia Navali.* (4) *in Hiſtoria Navali.* (5) *Commentario de Navigiis Veterum.* (6) *lib.* IV. *Æneid.* (7) *lib.* VIII. *Æneid.* (8) *lib.* I. *Æneid.* (9) *lib.* X. *Æneid* 10) *lib.* XIV.





laus [1], alias vero etiam prolatas è *Strada*, *Golzio*, *Vrſino*, *Lazio*, habet *Schefferus* [2], eique adde *Jacobum Laurum* [3], ubi naves roſtratas plurimas depingit. *Antennæ* ſunt conti lignei teretes, ad quos rudentum ope expanduntur & ſinuantur vela, ut cornuum ſpeciem imitentur. Virgilius [4]:

Cornua velatarum obvertimus antennarum.

Malus ſuſtinet Vela, una cum Antennis, neque unius generis velum eſt. Aliud enim vocant *Artemonem*, velum majus navis, & a quo ſubſidium maximum eſt: aliud vero *Dolonem*, velum minus in prora, & velut prioris ſubſidiarium: tertium eſt *Epidromus*, velum mediocre in puppi. *Tranſtra* ſunt ſedilia, in quibus remiges, ordine a ſummo ad imum ducto, ſedebant; navem remis ſimul adductis promoventes; cum ventus aut adverſus eſſet, aut minus validus ad implenda vela. Virgilius [5]:

——— *Ferit æthera clamor*
Nauticus, adductis ſpumant freta verſa lacertis.

Clamor nauticus eſt κέλευσμα. Martialis [6]:

(1) *in Theſauro Numiſmatum Tab.* 43. *num.* 5. 6. 8. 9. *Tab.* 44. *num.* 1. 2. 3. 8. 9. *& in Promptuario Annulorum num.* 88. (2) *lib.* II. *de Militia Navali pag.* 125. (3) *part.* 3. *Antiquitatum Romanarum Tab.* 15. (4) *lib.* III. *Æneid.* (5) *lib.* V. *Æneid.* (6) *lib.* IV. *Epig.* 64.

Quem nec rumpere nauticum celeuſma,
Nec clamor valet helciariorum.

& confer *Daniel. Heinſium*[1]. *Helciarii* ſunt, qui funibus trahebant naves in fluminibus aut lacubus commerciorum gratia. Id Græci dicunt ῥυμουλκεῖν, *Diodorus Siculus*[2], & Latini, *remulco trahere*, Livius[3], *Cæſar*[4]. Pars extrema & latior remi dicitur *Palmula*, a ſimilitudine palmæ humanæ protenſæ. Virgilius[5]:

— Lævas ſtringat ſine palmula cautes.

Et Catullus[6]:

——— Sive palmulis
Opus foret volare ſive linteo.

II. Partes ad ornatum erant *Apluſtria*, *Inſignia* & *Tutelæ*. Et quidem *Apluſtria* ſunt vela minima (*Tænias* vocat *Julius Pollux*[7]) conto erecto ſuper puppi, libera & ab ventorum flatu mobilia, diſtincta certis coloribus, prout gentes navigationum ſtudioſæ invicem eligebant, ut dignoſcerentur. Lucanus[8]:

——— Renum contorſit in hoſtem
Alter, at hi totum validis apluſtra lacertis
Avulſasque rotant excuſſo remige ſedes.

Inſigne, παράσημον, erat in prora depictum, animalis figura plerumque, nonnunquam Dei vel Herois, unde navi dabatur nomen. Virgilius[9]:

Centauro invehitur magna. ——

Et[10]:

Ingentem remis Centaurum promovet. —

Et ibidem:

Hunc vehit immanis Triton. ———

Et poſtea:

— ——— —— Æneïa puppis
Prima tenet, roſtro Phrygios ſubvecta leones.

Hic παράσημον ſunt Leones gemini velut Cybeles currum trahentes. *Lucianus*[11], ubi proram deſcribit: τὼ ἐπώ-

(1) *Notis ad Silium Italicum pag.* 68. (2) *lib.* XX. (3) *lib.* II. (4) *lib.* II. *de Bello Civili.* (5) *l. d.* (6) *Epig.* 4. (7) *in Onomaſtico.* (8) *lib.* IV. (9) *lib.* V. *Æneid.* (10) *lib.* X. *Æneid.* (11) *in Navi & Precibus.*

ἐπώνυμον τ νεῶς θεὸν ἔχουσα τὸ ἴσιν. Erat ibi Iſis Dea *navis inſigne*, uti vocat *Tacitus*[1]. Denique *Tutela* erat in puppi appicta aut effigiata, ſemper Dei vel Deæ alicujus, quæ navi patrocinium commodaret, ſpecies. Virgilius[2]:

— *Aurato fulgebat Apolline puppis.*

Ubi Taubmannus[3]: *Tutela navis & inſigne ſignificatur* παρέσημον πλοίου, *ut Actor.* XXVIII. ℣. 11. & ibidem *Farnabius*[4]. Verum ſi Tutela erat, non erat Inſigne. Et Inſigne non erat, quod illud eſſet in prora. Nam qui cum *Johanne Brodæo*[5], *Johanne a Woveren*[6], confundunt *Tutelam & Inſigne*, non leviter impingunt. De puppi cum dicit, Tutelam intelligit, ad quam non pertinet locus *ex Actis* prolatus, ubi de Inſigni agitur, ut diximus *Auctariis ad Pappum*[7], & confer *Johannem Seldenum*[8], *Joſephum Scaligerum*[9], *Janum Gruterum*[10], *Balduinum Walæum*[11], *Daniel. Heinſium*[12]. Perſius[13]:

— *Jonio jacet ipſe in littore, & una*
Ingentes de puppe Dii. ——

Ovidius conjungit utrumque:

Eſt mihi ſitque precor flavæ Tutela Minervæ,
Navis & a picta caſſide nomen habet.

Nimirum Tutela erat Minerva, & παρέσημον erat Divæ ejus Caſſis. De Tutela porro eſt ejuſdem[14]:

Qua tamen ipſe vehor comitata Cupidine parvo.
Sponſor conjugii ſtat Dea picta ſui.

Et hoc Lucani[15]:

—— —— *Non robore picto*
Ornatas decuit fulgens tutela carinas.

Proinde in Puppi erat Sacrarium quoddam, velut Lararium. De quo *Turnebus*[16], monet, atque eo ſpectant illa

(1) *lib.* v. *Hiſtor.* (2) *lib.* x. *Æneid.* (3) *in Commentario pag.* 917. (4) *in Notis pag.* 312. (5) *lib.* 1. *Miſcellan. c.* 10. (6) *Animadverſis ad Petronium pag.* 446. (7) *pag.* 11. 12. (8) *Syntag.* 2. *de Diis Syris c.* 16. (9) *in Animadverſis Euſebianis pag.* 36. (10) *Notatis ad Senecam pag.* 636. (11) *Commentario perpetuo ad Acta Apoſtolica pag.* 1300. (12) *Notis ad Silium Italicum pag.* 138. (13) *Sat.* 6. (14) *in Epiſtola Paridis.* (15) *lib.* III. (16) *l.* XIX. *Adverſa. c.* 2.

illa Silii Italici [1]:

——— *Dextras jungamus inertes*
Fœderis en hæc teſtis erit, veniamque precatus
Trojanam oſtentat trepidis de puppe Minervam.

Et *Suidas*: τὰ τῶν Θεῶν στέμματα eſſe ait. Huc poſt feliciter abſolutum iter coronas & ſerta deponebant. Virgilius [2]:

Ceu preſſæ cum jam portum tetigere carinæ,
Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas.

III. Navium ſpecies ſunt, quod alias vocabant *longas*, alias vero *onerarias*, *piſcatorias*, *actuarias*. Olim ratibus uſi populi, vel etiam cavatis arboribus, ut refert *Plinius* [3], σχεδία φαύλη eſt apud *Maximum Tyrium* [4], & confer *Feſtum Pompejum* [5]. Sunt & ῥαψωδίαι, carminum contexturæ, tranſlatæ ad contexturam ratium, & ab Ebræis antiquiſſimis uſurpatæ, 2. *Paral.* [6] ubi eſt רפסדות. Rudimenta illa codicaria ex tignis planis inter ſe conjunctis & colligatis compoſita, expoliverunt Phœnices, & juſtam navium formam condiderunt, exemplo ejus, quod olim fecerat Noachus Orbis reparator, ſive Janus Priſcus, uti eſt *ſupra* [7]. *Plinius* ſcribit [8]: *Nave primus in Græciam ex Ægypto Danaus advenit, ante ratibus navigabatur inventis in mari Rubro inter inſulas ab Erythra Rege.* De Rubro mari Virgilius [9]:

Præcipitem Oceani Rubro lavit æquore currum.

Et [10]:

Victor ab auroræ populis & littore Rubro.

Erythra Rex eſt ille, cujus ſepulchrum, narrat *Curtius* [11], repertum eſſe in quadam Oceani inſula palmetis conſita. Et idem Scriptor [12]: *Mare certe quo alluitur, ne colore quidem abhorret a cæteris. Ab Erythra Rege inditum eſt, propter quod ignari rubere aquas credunt.* Eodem modo *Solinus* [13]. Sententiarum aliarum farraginem vide

(1) *lib.* XIII. (2) *lib.* I. *Georgic.* (3) *lib.* XVI. *cap.* 41. (4) *Diſſert.* 40. (5) *in Fragmentis a Fulvio Urſino editis pag.* 206. (6) II. 16. (7) *lib.* I. *cap.* 2. *diſt.* 1. (8) *lib.* VII. *c.* 56. (9) *lib.* III. *Georg.* (10) *lib.* VIII. *Æneid.* (11) *lib.* X. *c.* 2. (12) *lib.* VIII. *c.* 17. (13) *in Polybiſtore c.* 46.

vide apud *Raderum*[1], *Freinshemium*[2], *Johannem Brodæum*[3], *Pererium*[4], *Johan. Hugonem Linſchotanum*[5], *Conimbricenſes*[6], *Martinum Lipenium*[7], *Joh. Camertem*[8]. Erythra Rex ille eſt, quem *Literæ Sacræ* vocant *Edom*, ſive primogenitus Iſaaci filius Eſau, qui in has regiones profectus cum imperio ampliſſimo longe lateque gentibus illis dominatus, Oceano indidit nomen ים אדום, ut ad poſteritatis memoriam duraret. Prolixe hoc confirmant *Fullerus*[9], *Ludovicus Capellus*[10], *Druſius*[11], *Sixtinus ab Amama*[12], *Hugo Grotius*[13]. Edom vero eſt celebris ille Græcorum Φοινιξ, quanquam de progenitoribus ejus non ſatis recte prodant. Silius Italicus[14]:

Et qui longa dedit terris cognomina Phœnix.

Quod ille primus navium uſum docuerit in gentibus illis, teſtatur quoque *Sanchuniathon Phœnicius* apud *Euſebium*[15]. Namque *Uſous*, uti vocat ille, eſt Eſavus, accola maris Rubri ſive Erythræi, quod poſt alios bene monet *Johannes Loccenius*[16]. A Rubro mari in Syriæ littora migraverunt primi Phœnices, & ipſi deinde plurimas Aſiæ & Africæ littorales regiones coloniis deductis impleverunt, ut referunt *Juſtinus*[17], *Saluſtius*[18], *Solinus*[19], quibus adde *Gerhardum Johan. Voſſium*[20], *Antonium Thyſium*[21]. Sed & in Americam pervenerunt, ut diſſerunt *Georgius Hornius*[22], *Marcus Leſcarbotus*[23], ac urget Leſcarbotus, *quod Americani comederint hominum*

(1) *Comment. h. l. pag.* 526. (2) *Notis ibid. lib.* VIII. *cap.* 9. *ſect.* 14. (3) *lib.* III. *Miſcellan. c.* 9. (4) *Commentario ad Exod. c.* 14. *quæſt.* 8. (5) *Navigatione ad Indiam Orientalem pag.* 8. (6) *de Meteoris Tract.* 8. *c.* 3. (7) *in Navigatione Ophiriticâ pag.* 283. (8) *Notis ad Solinum pag.* 242. (9) *lib.* IV. *Miſcellan. ſacror. cap.* 20. (10) *Spicilegio ad Novum Teſtam. pag.* 108. (11) *Obſervationibus ad loca difficiliora Exodi pag.* 187. (12) *in Antibarbaro Biblico lib.* II. *pag.* 456. (13) *Notis ad lib.* I. *Regum c.* IX. *verſ.* 26. (14) *lib.* I. (15) *lib.* I. *de Præparat. Euang. c.* 10. (16) *lib.* I. *de Jure Maritimo c.* 1. *diſt.* 2. (17) *lib.* XVIII. *Hiſtor.* (18) *in Jugurthin.* (19) *in Polybiſtor. cap.* 22. (20) *lib.* I. *de Arte Grammat. c.* 9. & *lib.* I. *Theologiæ Gentilium c.* 9. (21) *Notis ad Juſtinum pag.* 608. (22) *Notis ad lib.* I. *Sulpicii Severi pag.* 127. & *lib.* I. *de Origine Americanorum cap.* V. *lib.* II. *cap.* 5. 6. (23) *lib.* I. *de Francia nova cap.* 3.

num carnes, exemplo veterum Phœnicum, de quibus hoc proditum ſit, Sapient. XII. 4. 5. Nos de re ipſa quidem non contradicimus, attamen ratio aſſertionis nimis quam infirma eſt, uti conſtat *ſupra* [1]. Hanc fama cognitam habuerunt veteres, eaque obſcuriori quam ut vulgus perciperet ſatis. Quod fama cognitam habuerint veteres, docet Virgilius [2]:

——— *Jacet extra ſidera tellus,*
Extra anni ſolisque vias, ubi cœlifer Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

Et Tibullus [3]:

Te manet invictus Romano Marte Britannus,
Teque interjecto mundi pars altera ſolo,
Nam circumfuſo conſiſtit in aëre tellus.

Sed quod ab hominibus incoleretur, non certe noverant, imo negabant plerique. Itaque Virgilius [4] ipſe:

Quinque tenent cœlum zonæ, quarum una coruſco
Semper ſole rubens, & torrida ſemper ab igni.

Atlanticæ inſulæ ultra Æquatorem ſunt, id eſt, quod noſter dicit:

Extra anni ſolisque vias. ———

Nam quod ad Mauros vicinoſque Æthiopas referre vult *Servius* [5], non eſt vero ſatis congruum. Et ab Atlante dictæ ſunt, quod Maurus ille Coſmographus demonſtraverit illas, eumque deinceps ſecutus eſt *Plato* [6]. Rurſum Virgilius [7]:

——— *Docuit quæ maximus Atlas.*

Sed a poſteris neglectæ & demum oblivioni traditæ ſunt, itaque *Strabo* & *Ptolomæus* non commemorant. De quo porro videris *Joſephum Acoſtam* [8], *Georgium Hornium* [9], *Paulum Merulam* [10]. Ante diluvium nonniſi Aſia fuit habitata, quamobrem nec opus erat navigiis operoſio-

(1) *lib.* I. *c.* 2. *diſt.* 2. (2) *lib.* VI. *Æneid.* (3) *lib.* IV. *Eleg.* 1. (4) *lib.* I. *Georg.* (5) *in Commentario b. l. pag.* 446. (6) *in Timæo & Critiâ.* (7) *lib.* I. *Æneid.* (8) *lib.* I. *de Naturâ novi Orbis cap.* 11. (9) *lib.* 11. *de Origine Americanorum c.* 6. 7. (10) *part.* I. *Coſmographiæ lib.* III. *cap.* 22.

roſioribus ad bella & mercimonia, aut vero ad piſcationem, quia demum paulo ante diluvium cœperunt homines veſci carnibus animantium, cum hactenus ſativis & frugibus contenti vitam egiſſent. De illo tempore valent *Tibulli* iſta[1]:

Nondum cæruleas pinus contempſerat nudas,
Effuſum ventis præbueratque ſinum.

IV. Naves longæ (μακρὰ πλοῖα vocat *Polybius*[2]) dictæ ſunt, quod in longum porrectæ non haberent parem latitudinem, Onerariæ vero rotundiores erant. Et quod aliæ majores, aliæ minores eſſent, *Biremes*, *Triremes*, *Quadriremes*, *Quinqueremes*, *Sexiremes*, *Septiremes*. Totidem enim remigum ordines habebant, a quibus impellebantur illæ, ut multis iconibus docent *Lazarus Bayfius*[3], *Godeſchalcus Stewechius*[4]. Sed in eo aberrant, quod non ſatis perpendendo navium figuram juſtam, remigum ordines numerant ſecundum longitudinem laterum a prora ad puppim, quomodo *galeæ* ſunt noſtræ μονόκροτοι, quæ ab his trecentis aut quadringentis & ultra annis in uſu ſunt Europæis atque Aſianis, obliterato omni genere navigiorum horum, quod pluribus remorum ordinibus conſurgeret, eodemque modo pingit *Jacobus Laurus*[5]. Verior ſententia eſt, quod numerandi ſint ſecundum altitudinem a cataſtromate ſummo ad imum fundum, ut docent *Joſephus Scaliger*[6], *Salmaſius*[7], *Stypmannus*[8], *Gerhardus Joh. Voſſius*[9]. Expreſſa ſunt verba *Pauſaniæ*[10], ubi deſcribit τὸ δὲ ἐν Δήλῳ πλοῖον, his verbis uſus, καθῆκον εἰς ἐννέα ἐρέτας ἀπὸ τοῦ καταστρώματος, in novenos remigum ordines a cataſtromate ad imum diſtinctum. Verbum καθήκειν a ſummo ad imum deſcenſum notat, & proinde navigium illud admirandæ magnitudinis erat ἐννήρης, *novem remis*. Qui numerus

(1) *lib.* I. *Eleg.* 3. (2) *lib.* VI. *Hiſtor.* (3) *de re Navali pag.* 16. *& pag.* 247. (4) *Notis ad lib.* IV. *Vegetii. cap.* 37. (5) *part.* 3. *Antiquitat. Romanar. num.* 15. 16. (6) *in Animadverſionibus Euſebianis pag.* 61. (7) *Obſervationibus ad Jus Romanum & Atticum c.* 28. (8) *lib.* III. *de Navigatione cap.* 3. *num.* 79. (9) *in Lexico Etymologico pag.* 532. (10) *lib.* VII.

rus remorum fruſtra collocatur a *Bayſio*, ut in longum accipiatur, non vero in altum. Virgilius *verſum* appellat hos remorum ordines in triremi, cum dixit: *

— *Triplici pubes quam Dardana verſu*
Impellit, terno conſurgunt ordine remi.

Verſus ibi eſt ἐρεσία, & de triplici remorum ſitu eſt illud, *terno conſurgunt ordine remi.* quomodo etiam alii loquuntur. *Florus* de navigiis Antonii in pugna Actiaca [1], *numerum magnitudo compenſabat, quippe a ſenis in novenos remorum ordines*, (ubi vide *Notata Freinshemii* [2]) At Cæſaris naves eodem autore, *triremibus in ſenos non amplius ordines creverant.* Lucanus [3]:

Cornua Romanæ claſſis, validæque triremes,
Quaſque quater ſurgens exſtructi remigis ordo
Commovet, & plures quæ verrunt æquora pinus
Multiplices cinxere ratem. ———

Creſcere dicit gemino ordine, quæ duplici conſtant ἐρεσίᾳ, ſuperiore & inferiore, per modum tabulatorum. Nam longitudo jacet, altitudo creſcit vel conſurgit, quare intelligi non poſſunt remorum ordines in porrectum. Plana in hanc rem teſtimonia ſunt. Lucanus [4]:

Celſior at cunctis Bruti prætoria puppis
Verberibus ſenis agitur, molemque profundo
Invehit, & ſummis longe petit æquora remis.

Summis remis, & quidem *longe petiſſe* ait, unde facile apparet, habuiſſe etiam remos alios viciniores aquis. Silius Italicus [5]:

Intrat diffuſos peſtis Vulcania paſſim
Atque implet diſperſa foros: trepidatur omiſſo
Summis remigio: ſed enim tam rebus in arctis
Fama mali nondum tanti penetrarat ad imos.

Explicat prolixe *Johannes Schefferus* [6]. Inter minores, & biremes quidem excellebant *Liburnicæ*, veloces illæ & ad deprædandum, ſpeculandum, ultro citroque commean-

* *Æn.* 5. v. 119. Liv. xxxiii. *cap.* 16.

(1) *lib.* iv. *cap.* 1. (2) *pag.* 381. (3) *lib.* iii. (4) *lib.* iii. (5) *lib.* xiv. (6) *lib.* ii. *de Militia Navali pag.* 93.

meandum, ſtationes agendas, hoſtes laceſſendos, expeditæ. κατασκοπικὰ vocat *Plutarchus*[1], *biremes leves* appellat *Livius*[2]; & Liburnis primo adhibitæ, qui Dalmatarum pars, ubi nunc Senga eſt, accolæ maris Adriatici, non illud tantum, ſed & proximum Ionium, piraticis excurſionibus infeſtum habuerant, ut narrat *Appianus*[3].

V. Totus ille navium apparatus a Græcis Inſulanis & Pœnis ad Romanos pervenit, & Pœnorum magiſtri quidem fuerant Phœnicum clariſſimi, Tyrii. Virgilius[4]:

Urbs antiqua jacet, Tyrii tenuere coloni,
Carthago, Italiam contra Tiberinaque longe
Oſtia, dives opum, ſtudiiſque aſperrima belli.

Nobiliſſima inquam pars Phœnicum, & Oceani Eoi pariter atque Atlantici olim potentes, ut teſtantur *Strabo*[5], *Pomponius Mela*[6]. De iiſdem Curtius[7]: *Diu mare, non vicinum modo, ſed quodcunque claſſes ejus adierunt, ditionis ſuæ fecit.* Tibullus[8]:

Prima ratem ventis credere docta Tyrus.

Navigationes eorum in Orientalis Indiæ partes notiſſimæ ſunt ex *Literis Sacris*, 1. *Regum.*[9]. Nam qui Ophir cum *Georgio Hornio*[10], *Philippo Mornæo*[11], *Eraſmo Smidio*[12], exponunt de America, aut cum *Gilberto Anglo*[13], *Paulo Merula*[14], *Matthæo Beroaldo*[15], interpretantur de Sofala Africæ, illi omnino abberrant, ut diximus *in Auctariis ad Pappum*[16]. Peguſiæ regnum eſt & vicinæ regiones in Orientali India, ut probant *Caſpar Varrerius*[17], *Johan. Loccenius*[18], *Franciſcus Stypmannus*[19], *Jacobus*

(1) *in Catone.* (2) *lib.* XXXIV. *Hiſtor.* (3) *in Illyricis.* (4) *lib.* I. *Æneid.* (5) *lib.* XVI. *Geograph.* (6) *in Deſcriptione Orbis lib.* I. *cap.* 12. (7) *lib.* IV. *cap.* 15. (8) *lib.* I. *Eleg.* 8. (9) IX. 27. 28. (10) *lib.* II. *de Origine Americanorum cap.* 8. 9. 10. *& Notis ad lib.* I. *Sulpicii Severi pag.* 207. (11) *de Veritate Relig. Chriſt. c.* 6. (12) *Diſſertatione de America in Commentariis Pindaricis inſerta pag.* 261. (13) *lib.* I. *de Magnete c.* 1. (14) *part.* I. *Coſmograph. lib.* II. *pag.* 196. (15) *lib.* III. *Chronici pag.* 476. (16) *pag.* 61. (17) *de Ophira.* (18) *lib.* III. *de Jure maritimo c.* 6. *num.* 2. (19) *lib.* II. *de Navigatione c.* 3. *num.* 35.

cobus Salianus[1], *Cornelius a Lapide*[2], *Caſpar Sanctius*[3], *Petrus Ravanellus*[4], *Martinus Lipenius*[5], *Gerhard. Johan. Voſſius*[6], & conſtat ex *Literis Sacris* conferendo loca *Geneſ.* 11. 11. c. XXV. 18. 1. *Samuel.* XV. 7. cum *Geneſ.* XXV. 4. 6. Eodem tempore celebris fuit eorum navigatio in Hiſpaniam, ubi vetuſtiſſimum Emporium erat Tharſis, aut Tarteſſus, de quo meminit *Herodotus*[7], & in *Literis Sacris* dicitur, quod *voluerit Jonas fugere in Tharſis inventa navi, quæ eo contendebat*, Jonæ[8], ubi fruſtra ſunt, qui תרשיש vertunt cum *Hieronymo* appellative, *in mare*. Nam quis fuerit hic ſenſus: Jonas volebat fugere in mare? Nec enim volebat navis in mare oberrare, ſed locum certum petere, videlicet Tarteſſum Bæticæ, ut eam Tyrrheni vocabant, docente *Strabone*[9]. Eadem urbs velut mercimoniis florentiſſima nominatur *Ezech.*[10], 1. *Regum*[11], & confer *Johan. Druſium*[12], *Johannem Pinedam*[13], *Joſephum Scaligerum*[14], *Baptiſtam Egnatium*[15], *Joh. Tarnovium*[16]. Colonia Phœnicum erat, itaque *Mela*[17] ait: *Tarteſſos quam tranſvecti ex Africa Phœnices habitant.* Et Curtius[18]: *Coloniæ ejus pene toto orbe diffuſæ ſunt, Cathago in Africa, in Bœotia Thebæ, Gades ad Oceanum.* Gades creverunt è ruderibus deſtructæ Tarteſſi. *Caſtalio* vero etiam aberrat vertendo, *Jonas navem nactus, quæ in Ciliciam iret, dato naulo conſcendit, ut cum illis in Ciliciam perveniret.* Ad Hiſpaniam debet ſenſus converti, non ad Ciliciam. Poſtquam Tyrios Chaldæi primum, inde Macedones ſpoliaverunt & devaſtarunt, navigatio Oceani ſenſim venit in deſuetudinem, cum poſteri non æqua-

(1) *in Annalibus ſacris Tom.* 3. *pag.* 92. (2) *in Commentario ad libros Regum pag.* 153. (3) *in Commentario ibidem pag.* 1111. (4) *in Bibliotheca ſacra pag.* 159. (5) *in Navigatione Ophiritica pag.* 518. (6) *in Lexico Etymologico pag.* 350. (7) *in Thalia.* (8) 1. 3. (9) *lib.* 111. (10) XXVII. 12. (11) X. 22. (12) *lib.* 111. *Obſervat. c.* 13. *lib.* VI. *c.* 3. *lib.* IX. *c.* 12. (13) *lib.* IV. *de rebus Salomonis cap.* 14. (14) *in Lectionibus Auſonianis lib.* 11. *c.* 29. (15) *in Racemationibus variis pag.* 337. (16) *Commentario ad Jonam pag.* 16. (17) *lib.* 11. *pag.* 126. (18) *l. d.*

æquarent majorum induſtriam. Atque hoc fieri poterat eo facilius, quo periculoſior & cum quotidiano damno fere conjuncta erat navigatio per Oceanum, ob Magnetis uſum eis incognitum. Certiſſimum hoc eſt, Veteresque, *Ariſtoteles*, *Plinius*, *Maximus Tyrius*, *Ptolomæus*, qui de rerum naturalium proprietatibus, aut etiam de rebus ad navicularium pertinentibus, diligenter ſcripſerunt; nuſquam tamen Magnetis verticitatem, id eſt, virtutem βορειοδεικτικὴν commemorant, quia neſciebant. Contendunt *Fullerus* [1], *Levinus Lemnius* [2], quod Magnetis uſum in re nautica habuerint cognitum veteres Tyrii, Sidonii, Pœni. Verum divinant potius, quam probant illud, quod aſſerunt, adeoque rectius negant *Joſephus Acoſta* [3], *Samuel Bochartus* [4], *Nicolaus Cabeus* [5], *Willebrordus Snellius* [6], *Gilbertus Anglus* [7], *Kircherus* [8], *Caſpar Schottus* [9], *Stypmannus* [10]. Legebant oras & ductu ſiderum regebantur multum, remis confiſi, libera vela non ſemper adhibebant. Virgilius [11]:

Navita tum ſtellis numeros & nomina fecit.

Tibullus [12]:

Ducunt inſtabiles ſidera certa rates.

Petronius [13]: *Gubernator, qui pervigil nocte ſiderum quoque motus cuſtodit.* Adfert *Lemnius* illud Plauti [14]: *Si huc item properes, ut iſtuc properas, facias rectius, huc ſecundus ventus nunc eſt, cape modo verſoriam.* RESPONDEO: Verſoria illa nihil aliud eſt quam temo aut velum, quorum ope navis in omnem partem verſa compellitur, ut ajunt *Turnebus* [15], *Gerhard. Johan. Voſſius* [16]. Certe Veneti ac Luſitani ſecuti ductum Canopi, & a lit-

(1) *lib.* IV. *Miſcellan. cap.* 19. (2) *lib.* III. *de occultis Naturæ Miraculis cap.* 4. (3) *lib.* I. *de Natura novi Orbis c.* 17. 18. (4) *in Geographia ſacra part.* 2. *lib.* 2 *fol.* 716. (5) *lib.* I. *de Magnete cap.* 6. (6) *Præfat. ad Tiphym Batavum.* (7) *lib.* I. *de Magnete cap.* 1. (8) *libro* I. *de Magnete pag.* 18. (9) *in Curſu Mathematico lib.* XIII. *pag.* 381. (10) *lib.* III. *de Navigatione cap.* 9. (11) *lib.* I. *Georg.* (12) *lib.* I. *Eleg.* 10. (13) *in Satyrico pag.* 117. (14) *in Mercatore Act.* V. *ſc.* 2. *& in Trinummo Act.* IV. *ſc.* 3. (15) *lib.* XX. *Adverſarior. c.* 4. (16) *in Lexico Etymologico pag.* 551.

littorum indiciis quædam argumenta petentes, meridionales Africæ regiones, Indiæque confinia per mare adiverunt dudum, antequam pixis nautica per *Flavium Amalfitanum* conſtructa eſt, teſte *Petro Medinenſi* [1].

VI. Quæ in conflictu navali vehebat militiæ Ducem, *Prætoria* appellata eſt, *Florus* [2], *Tacitus* [3]. Ducem ipſum vocabant *Præfectum claſſis*, uti eſt apud *Tacitum* [4]. Seriori ætate appellaverunt *Ammiralium*, voce barbaro-Græca, nam ἀμέρας *princeps* eſt lingua Cedarena, & vero ἅλς lingua Græca *mare* notat. Hoc certiſſimum eſt, nec de eo quiſquam dubitaverit. Quod enim *Gerhard. Johan. Voſſius* [5] ſcribit, *ab* ἁλμυρὸς *muria eſſe videtur Gallicum Almiralius, id eſt, Thalaſſiarchus*, aberrat multum, nam vocabulum a Mauris eſt, non vero a Gallis.

VII. Erant quoque prædatoriæ aliæ, quas non uno appellant nomine. *Celoces* ſunt apud *Livium* [6], *Florum* [7]. Myoparones apud *Ciceronem* [8], *Nonium Marcellum* [9]. Latino vocabulo *Curſorias* dicas, quod Græci ſeriores, ut *Nicetas Choniates* & alii retinent, κορσαίρας. Et *Corſaras* Turci, Pœni, Itali, Galli vocant. Naves onerariæ vehebant merces, commeatum, machinas bellicas, miſſilia, tela, ſaxa, ut deſcribit Livius [10]: *Neque illæ remis agebantur, ſed velis*, ajunt *Bayfius* [11], *Salmaſius* [12]. Verum non ſemper caruerunt ſive remis, ſive velis, uti rectius docet *Hieronymus Magius* [13]. Tacitus [14]: *Naves aptæ vehendo commeatui, velis habiles, citæ remis.* De onerariis loquitur. Piſcatoriæ erant pro capiendis piſcibus, quas *Cicero* [15] vocat *cymbas*, & *lenunculos* Julius Cæſar [16]. Actuariæ longitudinem modicam eique comparem latitudinem habebant. *Lembos* vocant *Livius* [17], *No-*

(1) *lib.* I. *de arte Navigandi.* (2) *lib.* II. *cap.* 7. (3) *lib.* V. *Hiſtor.* (4) *lib.* III. *Hiſtor.* (5) *in Lexico Etymologico pag.* 333. (6) *lib.* XXXVII. (7) *lib.* III. *cap.* 6. (8) 5. *Verrina.* (9) *de Proprietate ſermonum c.* XIII. *num.* 6. (10) *lib.* XXXVII. (11) *de re Navali pag.* 11. (12) *in Obſervationibus dictis pag.* 652. (13) *lib.* I. *Miſcellaneor. cap.* 6. (14) *lib.* II. *Hiſtor.* (15) *lib.* III. *Offic.* (16) *lib.* II. *de Bello Civili.* (17) *lib.* XLIV.

Nonius Marcellus [1]. Voluptatis cauſa fiebant plurimum, ut ad explendum animum per amnes & lacus placido remigiorum ductu vehérentur patricii: interdum quoque cum navibus longis, non quidem ad prælium faciendum, ſed ad explorandum, aut quibus ad excubias uterentur, velut ſubſidiariæ permiſcebantur, unde *lemborum claſſem* prodit *Livius* [2], & exemplum eſt apud *Hirtium* [3].

CAP. VII.

De Victoria & ſolennibus ejus Diſſertatio.

I. QUI ſponte vincebantur, id eſt, civilibus diſſenſionibus agitati, vel ab externo hoſte crudelia veriti, ad Romanorum patrocinium confugiebant, dedititii erant, exemplumque eſt de Collatinis, qui ſeque ſuamque urbem, divina & humana omnia dedebant; nec non de Campanis, qui ſimiliter per legatos ſuos ſe populo Romano dedunt, *Quandoquidem noſtra tueri adverſus vim atque injuriam juſta vi non vultis, veſtra certe defendetis. Itaque populum Campanum, urbemque Capuam, agros, delubra Deum, divina humanaque omnia in veſtram ditionem dedimus. Quicquid deinde patiemur, dedititii veſtri paſſuri*, Livius [4]. Qui vero armis inferiores vincebantur, in deditionem veniebant belli jure. Et hi vel mitius, ſi non adeo repugnaſſent, tractabantur: vel ſeverius, cum pertinaces reſtitiſſent, belloque domiti longinquo ſuccubuiſſent. Dedebant ſe ita ut vitæ gratiam precarentur, ſupplices arma traderent, ſe & ſua omnia in victoris poteſtatem adſcriberent. Bonis omnibus mulctati & inter milites diſtributi, venum exponebantur, velut mancipia. Exemplo ſunt Sardi venales, quos Sempronius Gracchus adduxit & ſubhaſta vendidit, non quidem *in bello Punico ſecundo* (ut vulgo refertur ſecundum *Florum* [5]) ſed longo poſt tem-

(1) *de Proprietate ſermonum cap.* XIII. *num.* 5. (2) *lib.* LV. (3) *de Bello Alexandrino c.* 44. (4) *lib.* I. & VII. *Hiſtor.* (5) *lib.* II. *cap.* 6.

pore, ut *Johannes Stadius*[1], obſervavit ſecundum *Faſtos Capitolinos*, quos etiam allegat *Freinshemius*[2]. Cum venales fiebant incolæ, opes eorum inſimul direptæ, præda erant. Summum hoc jus erat, quia belli, & quis contradicat? Civitates & prædia occiſis indigenis, ne in ſolitudinem verterentur, emeritis militibus dabantur, vendebantur, locabantur, unde eſt illud Senecæ[3]: *Ubicunque vicit Romanus, habitat.* Novos illos habitatores vocabant *Coloniam*, uti diximus *ſupra*[4], & confer *J. Lipſium*[5], *Petrum Fabrum*[6]. *Inſcriptio* Salonenſis: IMP. CÆSAR. DIVI. VESPASIANI. F. DOMITIANUS. AUGUSTUS. GERMANICUS. PONTIFEX. MAXIMUS. TRIBUNIC. POSTESTAT. XII. IMP. XXII. COS. XVI. CENSOR. PERPETUUS. P. P. PEDIBUS. ET. EQUITIBUS. QUI. MILITANT. IN COHORTE. III. ALPINORUM. ET. IN. VIII. VOLUNTARIORUM. CIVIUM ROMANORUM. QUI. PEREGRINÆ. CONDITIONIS. PROBATÆ. ERANT. ET. SUNT. IN. DALMATIA. SUB. Q. POMPONIO. RUFO. QUI. QUINA. ET. VICENA. STIPENDIA. AUT. PLURA. MERUERUNT. ITEM. DIMISSO. HONESTA. MISSIONE. EMERITIS. STIPENDIIS. LIBERIS. POSTERISQUE. EORUM. CIVITATEM. DEDIT. ET. CONNUBIUM. CUM. UXORIBUS. QUAS. TUNC. HABUISSENT. CUM. EST. CIVITAS. IIS. DATA. AUT. SIQUI. COELIBES. ESSENT. CUM. IIS. QUAS. POSTEA. DUXISSENT. DUNTAXAT. SINGULI. SINGULAS. AD. III. IDUS. JULIAS. M. LOLLIO. PAULINO. VALERIO. ASIATICO. SATURNINO. C. ANTIO. JULIO. QUADRATO. COSS. *Gruterus*[7].

II. Regiones devictæ in Provinciæ formam redigebantur, & a Populo Romano miſſis eo Proconſulibus & Prætoribus, regebantur, præſidiis militum impoſitis, & cenſibus ad belli pacisque artes promovendas imperatis, capitalium vero etiam judiciorum exſecutione abla-

(1) *in Commentario ad h. l. pag.* 120. (2) *Commentario ad Florum pag.* 143. (3) *in Conſolatione ad Helviam.* (4) *lib.* II. *c.* II. *diſt.* 1. (5) *lib.* I. *de Magnitud. Romana cap.* 6. 7. (6) *lib.* II. *Semeſtrium cap.* 3. & 4. (7) *in Volumine pag.* 574. *num.* 5. 6. 7.

ablata, ut exemplo Judæorum probavimus *in Auctariis ad Pappum* [1]. Senatum proprium retinebant. Prolixe illa narrat *Carolus Sigonius* [2], brevius vero *Jacobus Stoer* [3]. Si quæ regiones in Præfecturæ formam redigerentur, non illa tantum, quæ de Provinciis retulimus, impoſita habebant, verum inſuper Senatu propriæ gentis ſpoliatæ, a Præfectis Roma dimiſſis jura accipiebant, quomodo Capuæ accidit in bello Punico ſecundo, ademptus eſt ager, ſublatus omnis Magiſtratus & Senatus publicumque conſilium, imago nulla Reipublicæ relicta, *Livius* [4], *Vellejus* [5], *Cicero* [6].

III. Solemnia victoriæ erant *Triumphi*, *Tropæa*, *Præmia*, de quibus ſingulis dicendum eſt. Quod ad *Præmia* attinet, cæſis fugatiſque hoſtibus, milites, qui fortiter pugnaverant, ab Imperatore pro concione laudabantur, & viritim donativum accipiebant, videlicet portionem a præda illa, quæ bello acquiſita erat, & in urbem adducta. Volones, qui è ſervis aut dedititiis adſciſcebantur, libertate donabant: cives ſocioſque armillis, aurciſque phaleris, monilibus, torquibus, coſque imprimis, qui ordines ducebant, aut facinore inſigni eventum præliorum ſecundum adjuverant. Nam gregarii milites aurum argentumve ſignatum capiebant. Neque illud tantum, ſed etiam Coronas, erantque illæ variæ, Triumphales, Murales, Caſtrenſes, Navales. De quibus agunt *Gellius* [7], *Flavius Blondus* [8], *Angelus Decembrius* [9], *Juſtus Lipſius* [10], & peculiaris exſtat liber *Caroli Paſchalii*. Adde picturas *Godeſchalci Stewechii* [11], *Jacobi Lauri* [12], *Jacobi Meurſii* [13], & plurimas *Inſcriptiones* apud *Janum Gruterum* [14], nec non *Antonium Auguſti-*

[1] *pag.* 8. [2] *libris tribus de antiquo Jure Italiæ, nec non libris de antiquo Jure Provinciarum.* [3] *in Lexico Juris pag.* 813. [4] *lib.* XXVI. [5] *lib.* II. [6] *Oratione de Lege agraria contra Rullum.* [7] *lib.* V. *c.* 6. [8] *lib* X. *de Roma triumphante, fol.* 167. [9] *lib.* V. *de re Literariâ c.* 56. [10] *lib.* V. *de Militia Romana Dialogo* 17. [11] *ad Vegetium pag.* 83. 44. *Animadv.* [12] *part.* I. *Antiquitatum Romanar. num.* 9. [13] *in Iconibus Veteris Romæ pag.* 63. [14] *in Volumine pag.* 343.

ſtinum[1]. Ex auro puro omnes, ſed non omnes ejuſdem precii. Triumphales communiter erant laureæ. Tibullus[2]:

At te victrices laurus Meſſalla gerentem.

Vellejus[3]: *Abſente Pompejo Tribuni plebis legem tulerunt, ut is ludis Circenſibus corona laurea & omni cultu triumphantium uteretur.* Διαφνηφορεῖν vocat *Dion Caſſius*[4], ubi rem eandem narrat, & vero *Paſchalius* emendando in *Velleji* loco, *auream coronam*, fruſtra omnino eſt, ut recte monent *J. Lipſius*[5], *Boeclerus*[6]. Propterea in antiquis ſcalpturis videre licet aquilam ſub pedibus fulmine vibrantem, roſtro lauream corollam ferentem, ad latera habentem militares haſtas aquiliferas, victoriæ partæ & triumphi peracti publica teſtimonia, uti oſtendit *Gorlæus*[7]. Sæpius aureæ erant, eaſque Imperatori a victoria in urbem reverſo, donabant ſocii Reges & Populi, ut teſtimonium eſſent lætitiæ publicæ, quam ipſi etiam venerari liberaliter vellent. *Aurum coronarium* vocabant, ut nos docent *Cicero*[8], & *Servius*[9], quibus adde *Codicem Theodoſianum*[10]. Murales dabat Imperator militi illi, qui primus evaſerat in mœnia urbis obſeſſæ, atque inde propugnatores dejecerat. Caſtrenſes dabat Imperator militi illi, qui primus viam ferro aperiens in caſtra hoſtium pervenerat, hoſteſque in fugam præcipites egerat. Navales dabat Imperator militi illi, qui primus in potentem aliquam hoſtium navem cum armis ſuis transiverat, & deditionem extorſerat. Navales ſeu roſtratas coronas è Nummis Agrippæ pingit *Antonius Auguſtinus*[11].

IV. Ad Triumphum accedimus, de quo *peculiari com-*

(1) *in Numiſmatis Tab.* 13. *num.* 22. *Tab.* 14. *num.* 18. 19. 22. 23. *Tab.* 15. 9. 10. 13. 71. 16. *num.* 2. 3. 6. 9. 10. *Tab.* 19. *num.* 2. 3. *Tab.* 20. *num.* 2. (2) *lib.* 1. *Eleg.* 8. (3) *lib.* 11. *cap.* 40. (4) *lib.* XXXVII. *Hiſtor.* (5) *Notis ad h. l. pag.* 277. (6) *Notis ibidem pag.* 147. (7) *in Promptuario Annulorum num.* 91. 122. 129. 161. *& in Scalpturis Gemmarum num.* 44. 80. (8) *in Piſoniana.* (9) *Commentario ad lib* VIII. *Æneid. pag.* 535. (10) *lib.* XII. *Tit.* 13. (11) *Tab.* 11. *num.* 21. 22.

commentario ſcripſerunt *Bartholomæus Marlianus*, *Onuphrius Panvinius*, *Julius Bulengerus*, *Martinus Wicardus*, & confer eundem *Onuphrium Panvinium*[1], *Alexandrum Neapolitanum*[2], *Robertum Valturium*[3]. Picturas univerſæ pompæ habent *Onuphrius*[4], *Jacobus Laurus*[5], *Jacobus Meurſius*[6]. Imperatori triumphanti, cùm per Urbem in Capitolium curru ſubveheretur, acclamabant milites; IO TRIUMPHE, ut ſcribit *Varro*[7]. Horatius[8]:

Teque dum procedis, Io triumphe,
Non ſemel dicemus, Io triumphe,
Civitas omnis. ——

Triumphabant illi, qui validam gentem ſæviſſimis pugnis feliciter attriverant, & Rempublicam auxerant Provinciæ alicujus acceſſione, Dictatores, Conſules, Prætores habitu triumphali ornati, armillis ſumptis, annulum vero ferreum, (ut *Plinius*[9] autor eſt) digito geſtantes, laurea redimiti. Horatius[10]:

—— *Neque res bellica Deliis*
Ornatum foliis Ducem,
Quod regum tumidas contuderis minas.

Ramum lauri protenſum dextera, ſiniſtra eburneum ſceptrum tenentes, in curru obaurato ſedebant. † Gemmarum ſculpturæ ſunt apud *Gorlæum*[11], & Nummos habet *Antonius Auguſtinus*[12]. Horatius[13]:

Io triumphe tu moraris aureos
Currus. ——

χρυσῆ ἅμαξα ἐφ' ἧ οἱ βασιλεῖς τὰς ἐκ τῶν πολέμων πομπὰς πεμ-

† Vel ſtabant potius, ut ſemper moris erat, quod liquide ex nummo patet apud Onuphr. Panvinium *de Triumpho c.* 1. (*eum vide pag. ſequenti* 474.)

(1) *Commentario ad lib.* V. *Faſtorum pag.* 338. (2) *lib.* VI. *Genial. dier. c.* 6. (3) *lib.* XII. *de re Militari c.* 1. 2. (4) *l. d.* (5) *part.* 1. *Antiquitat. Romanar. num.* 5. 6. 7. *& part.* 2. *num.* 5. (6) *in Iconibus Romæ veteris pag.* 185. *& Iconibus Romæ novæ pag.* 256. (7) *lib.* V. *de LL.* (8) *lib.* IV. *Carm.* 2. (9) *lib.* XXXII. *c.* 1. (10) *lib.* IV. *Carm.* 3. (11) *in Promptuario Annulorum num.* 89. (12) *Tab.* 13. *num.* 18. *Tab.* 14. *num.* 3. *Tab.* 17. *num.* 3. *Tab.* 18. *num.* 15. *Tab.* 34. *num.* 22. 23. *Tab.* 46. *num.* 10. 14. *Tab.* 55. *num.* 16. *Tab.* 56. *num.* 10. (13) *lib.* V. *Carm.* 9.



στεφανον, ait *Philoſtratus* [1]. Et per *triumphalem portam* (uti vocat *Cicero* [2]) advecti, quacunque incedebant, maxima lætitiæ ſigna comperiebant, videbant vias flore ſtratas, audiebant plauſus & acclamationes, ſummoventibus lictoribus cum bacillis turbam, ne ſe pompæ admiſcerent, ordinemque turbarent. Ovidius [3]:

Quaque ibis, manibus circumplaudere tuorum,
Undique jactato flore tegente vias.
Tempora Phœbea lauro cingentur: Ioque
Miles Io magna voce triumphe canet.

Præibant tibicines, & Pæana canebant, ſequebantur popæ cum bobus, qui ſertis onerati & cornibus inauratis ad ſacrificium properabant. Virgilius [4]:

Et ſtatuam ante aras aurata fronte juvencum.

Adoleſcentes in contis & haſtis (*fercula* vocat *Suetonius* [5]) præferebant ſpolia opima hoſtium, quæ ſi plura eſſent, quam ut apte traduci poſſent, curribus impoſita vehebantur cum oſtentatione. Spoliorum acceſſio erant tituli & ſimulacra picta devictarum gentium, urbium, claſſium, exercituum. Ovidius [6]:

Ergo

(1) *in Vita Dionis Sophiſtæ.* (2) *in Piſoniana.* (3) *lib.* IV. *Triſt.* *Eleg.* 2. (4) *lib.* X. *Æneid.* (5) *lib.* I. *cap.* 37. (6) *l. d.*

Ergo omnis populus poterit ſpectare triumphos,
Cumque Ducum titulis oppida capta leget.

Et paulo poſt:

Hic lacus, hi montes, hæc tot caſtella, tot amnes,
Plena fere cædis, plena cruoris erant.

Et poſt pauca:

Crinibus en etiam fertur Germania paſſis,
Et ducis invicti ſub pede mœſta ſedet.

Propertius [1]:

Aut canerem Ægyptum & Nilum, cum tractus in Urbem
Septem captivis debilis ibat aquis.

Et [2]:

Inque ſinu charæ nixus ſpectare puellæ
Incipiam, & titulis oppida capta legam.

Claudianus [3]:

Hi famulos traherent Reges, hi fracta metallo
Oppida vel montes, captivaque flumina ferrent.

Tum ſubibant hoſtium duces captivi, vincti catenis.

Tibullus [4]:

—— *Novos pubes Romana triumphos*
Vidit & evinctos brachia capta duces.

Ovidius [5]:

Vinclaque captiva Reges cervice gerentes,
Ante coronatos ire videbit equos.

Horatius [6]:

Intactus aut Britannus ut deſcenderet
Sacra catenatus via.

Catenæ ſæpius erant aureæ, vano ſolatio. Silius Italicus [7]:

Ante Syphax feretro reſidens, captiva premebat
Lumina, & auratæ ſervabant colla catenæ.

Eos proſequebantur novus ordo virorum amictu candido, qui triumphales coronas ferebant cum pompa. Juvenalis [8]:

--- *Hinc*

(1) *lib.* II. *Eleg.* 1. (2) *lib.* III. *Eleg.* 3. (3) *lib.* III. *de Laudibus Stilicon.* (4) *lib.* I. *Eleg.* 8. (5) *lib.* IV. *Triſt. Eleg.* 2. (6) *lib.* V. *Carm.* 7. (7) *lib.* XVII. (8) *Sat.* 10.

Hinc præcedentia longi
Agminis officia & niveos ad frena Quirites.

Hos demum excipiebat Imperator, cujus veſtis triumphalis erat purpura cum intexto auro, picta, clavos aureos habens. Silius Italicus:

Ipſe adſtans curru, atque oſtro decoratus & auro,
Martia præbebat ſpectanda Quiritibus ora.

Ἀλουργίδα χρυσόπαστον appellat *Dion Caſſius*[1], πορφύραν ἀστέρων χρυσῶν ἐυφαστὸν vocat *Appianus*[2], id eſt, purpuream togam aureis ſtellis intertextam. Eodem ſenſu *Dionyſius Halicarnaſſæus*[3] dicit. χιτῶνα πορφυροῦν χρυσόπηκτον, tunicam purpuream auro clavatam. Depingitur è Nummo Cæſaris una cum corona laurea apud *Antonium Auguſtinum*[4]. *Inſcriptio* Romana: PR. TR. PL. Q. AUGUR. TR. MIL. EX. SORTEM. BELLUM. CUM. JUGURTHA. NUMID. VEL. PROCOS. GESSIT. EUM. CEPIT. ET. TRIUMPHANS. IN. JOVIS. SECUNDO. CONSULATU. ANTE. CURRUM. SUUM. DUCI. JUSSIT. III. CONSUL. ABSENS. CREATUS. EST. IV. TEUTONORUM. EXERCITUM. DELEVIT. V. CONSUL. CIMBROS. FUGAVIT. EX. EIS. ET. TEUTONIS. ITERUM. TRIUMPHAVIT. REMPUBL. TURBATAM. SEDITIONIBUS. ET. TR. PL. ET. PRÆTOR. QUI. ARMATI. CAPITOLIUM. OCCUPAVERANT. VI. COS. VINDICAVIT. POST. LXX. ANNUM. PATRIA. PER. ARMA CIVILIA. PULSUS. ARMIS. RESTITUTUS. VII. COS. FACTUS. EST. DE. MANUBIIS. CIMBRICIS. ET. TEUTONICIS. ÆDEM. HONORI. ET. VIRTUTI. VICTOR. VESTE. TRIUMPHALI. CALCEIS. PUNICEIS. *Barthol. Marlianus*[5], *Johan. Jacob. Boiſſardus*[6]. *Tropæum Marii*, & *veſtem triumphalem* expreſſe nominat. Alio nomine ſunt *tunicæ palmatæ*. Martialis[7]:

I comes & magnos illæſa merere triumphos,
Palmataque ducem, ſed cito redde togæ.

Nimirum quod illis intexerentur victoriæ cum ramulis pal-

(1) *lib.* LXIII. (2) *in Punicis.* (3) *lib.* III. (4) *Tab.* 13. *n.* 21. (5) *in Topographia Urbis lib.* VI. *cap.* 19. (6) *part.* 3. *Antiquitat. Romanar. fol.* 118. (7) *lib.* VII. *Epigr.* 1.

palmarum, filis aureis & purpureis. Currum trahebant quatuor equi albi, ut videre eſt in Nummo Lepidi Imperatoris apud *Antonium Auguſtinum* [1]. Propertius [2]:

Quatuor hinc albos Romulus egit equos.

Tibullus [3]:

Portabit niveis currus eburnus equis.

Nam quod *Sextus Aurelius Victor* [4] ſcribit, *Camillo crimini datum eſſe, quod equis albis triumphaſſet*, illud habet a *Livio* [5], & *Plutarcho* [6]. Et fortaſſe ævo illo uti novum, ita anſam præbuit calumniæ, cæteroqui deinde in uſum venit permanſitque. *Invehi quadrijugo curru & albentibus equis*, ubi Triumphum deſcribit, ait *Plinius* [7]. Et Apulejus [8]: *Triumphantibus quadrigas albas.* Ovidius [9]:

Sic tibi mature fraterni funeris ultor,
Purpureus niveis filius inſtet equis.

De quo videris porro *Freinshemium* [10]. Equi erant ſertis ornatis. Ovidius [11]:

Hic tibi ſic redeat ſuperato victor ab hoſte,
Inque coronatis fulgeat altus equis.

Poſtquam ævum inſanire cœpit, equorum vice adjungebantur leones, elephanti, cervi, & exempla produnt *Suetonius* [12], *Vopiſcus* [13], *Plinius* [14]. Duos elephantos ad currum junctos, in quo ſedet Auguſtus lauream protendens manu, exprimit Nummus apud *Gorlæum* [15]. Duos ſtruthiones curru trahentes victorem Cæſarem, lauream ſiniſtra, vexillum dextra tenentem, oſtendit *Gorlæus* [16]. Agmen claudebant equitum & peditum exercitus ſuo quiſque ordine, *laureati omnes in lanceis piliſque*, ajunt *Feſtus Pompejus* [17], *Plinius* [18]. Et cum dulci ju-

(1) *Tab.* 6. *n.* 24. (2) *lib.* IV. *Eleg.* 1. (3) *lib.* I. *Eleg.* 8. (4) *de Viris illuſtribus cap.* 23. (5) *lib.* V. *Hiſtor.* (6) *in Vitis illuſtribus.* (7) *in Panegyrico cap.* 22. (8) *in Apologia.* (9) *lib.* II. *de Ponto Eleg.* 8. (10) *Notis ad Florum pag.* 24. *& in Commentario ad Curtium lib.* III. *cap.* 3. *num.* 11. (11) *lib.* II. *Triſt.* (12) *lib.* IV. *cap.* 37. *lib.* V. *cap.* 11. (13) *in Aureliano.* (14) *lib.* VIII. *cap.* 16. (15) *Tab.* 16. *num.* 8. *Tab.* 28. *num.* 2. (16) *in Scalpturis Gemmarum num.* 5. (17) *lib.* XI. *de Verbor. ſignificat. pag.* 321. (18) *lib.* XV. *cap.* 30.

jubilo. Claudianus [1]:

Ipſe albis veheretur equis, currumque ſecutus
Laurigerum feſto fremuiſſet carmine miles.

Martialis [2]:

Feſta coronatus ludet convicia miles,
Inter laurigeros cum comes ibit equos.

Convicia dicit, quod infrunitus miles ſæpe dicteriis exagitaret Imperatorem triumphantem, idque impune, ut conſtat ex *Suetonio* [3]. Rurſum Martialis [4]:

Conſuevere jocos veſtri quoque ferre triumphi,
Materiam dictis nec pudet eſſe Ducem.

Ad Capitolium paſſibus æquis contendebant, cumque prope illud Imperator eſſet, jubebat is hoſtium Duces in carcerem publicum ſive Tullianum (de quo eſt *ſupra* [5]) abripi & ſupplicio per lictores affici. Capitolium ingrediebantur, victima fiebat bove candido. Ovidius [6]:

Candidaque adducta collum percuſſa ſecuri
Victima purpureo ſanguine tingit humum.

Jovi coronam auream & ſpolia opima ſuſpendebant, inque gremium ejus deponebant laurum hactenus protenſa manu geſtatam, epulum † ſumptibus publicis adornabant, pecuniam in vulgus ſpargebant, *Plinius* [7], *Suetonius* [8], *Plutarchus* [9], *Dion Caſſius* [10]. Eo alludit Seneca [11]: *Scilicet minus beate vivebat Dictator noſter, qui Samnitum legatos audivit, cum viliſſimum cibum in foco manu ſua verſaret, illa, qua tam ſæpe hoſtem percuſſerat, laureamque in Capitolini Jovis gremio repoſuerat.* De quo *Senecæ* loco vide *Juſtum Lipſium* [12], & adde quædam apud *Danielem Heinſium* [13].

V. Hæc Triumphi gloria erat, ampliſſima illa, minor ve-

† ἐπινίκιον Græcis. V. Lucianum *Ver. Hiſtor.* 678. *Gallo.* 176.

[1] *lib.* III. *de Laud. Stilicon.* [2] *lib.* VII. *Epigram.* 7. [3] *lib.* I. *cap.* 49. 51. [4] *lib.* II. *Epig.* 5. [5] *lib.* II. *cap.* II. *num.* II. [6] *lib.* IV. *Triſt. Eleg.* 2. [7] *lib.* IX. *natur. Hiſtor. cap.* 55. *lib.* XIV. *cap.* 6. [8] *lib.* I. *cap.* 38. *lib.* III. *cap.* 19. [9] *in Vita Luculli pag.* 295. [10] *lib.* LIV. [11] *Conſolat. ad Helviam cap.* 10. [12] *Notatis ad Annales Taciti lib.* II. *num.* 44. [13] *Notis ad Silium Italicum pag.* 141.

vero Ovationis. Conſules & Prætores, victores hoſtium, qui debiles vel ignobiles erant, neque virium aliquid populo victori conciliabant, in publico ovabant. Pedites ingreſſi Urbem, ſed equo per Urbem circumvecti ſunt. Tibullus [1]:

Ille licet Cilicum victas agat ante catervas,
Ponat & in capto Martia caſtra ſolo:
Totus & argento contextus, totus & auro
Inſideat celeri conſpiciendus equo.

Militari habitu induti, coronati myrto, ad Capitolium pergebant, tibicines comitabantur, ſequebantur milites, ovem cædebant pro victima, *Aulus Gellius* [2]. Cæſarum ævo, ut alia quædam, ſic hoc etiam immutatum eſt, & loco equi permiſſus eſt victoribus currus, itaque ovantes curru per Urbem vehebantur, quod de Tiberio (antequam Cæſar eſſet) narrat *Suetonius* [3], & confer *Schildium* [4].


VI. Triumphis adjungenda ſunt *Tropæa*, *Arcus triumphales*, *Statuæ*, *Columnæ* †. *Tropæa* deſcripſit Bulengerus *libro* [5]. Erant domi foriſque corpora trunca, marmorea vel lignea cum ſpoliis appenſis de hoſtium exuviis, ut erant gladii, loricæ, galeæ, clypei, uti oſtendunt Marmora, & præterea Nummi apud *Gorlæum* [6], *Antonium Auguſtinum* [7], nec non Annuli apud eundem *Gorlæum* [8]. Denique Icones apud *Jacobum Laurum* [9], *Joh. Baptiſtam de Cavalleriis* [10]. Virgilius [11]:

Ingentem quercum deciſis undique ramis
Conſtituit tumulo, fulgentiaque induit arma.

Et

† Horum omnium exempla dat On. Panvinius *de Triumpho c.* 7. Hæc viſui ſe præbent Pag. ſeq. 480.

[1] *lib.* 1. *Eleg.* 1. [2] *lib.* v. *cap.* 6. [3] *lib.* III. *cap.* 9. [4] *Notatis ibidem pag.* 296. [5] *de Spoliis bellicis cap.* 3. [6] *in Theſauro Numiſmatum Tab.* 38. *num.* 6. & *Tab.* 39. *num.* 8. 9. 10. 11. & *Tab.* 40. *num.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. [7] *Tab.* 7. *num.* 3. *Tab.* 8. *num.* 7. *Tab.* 11. *num.* 10. *Tab.* 12. *num.* 12. 18. *Tab.* 13. *num.* 7. *Tab.* 30. *num.* 7. 10. *Tab.* 34. *num.* 20. *Tab.* 46. *num.* 11. 12. 20. 21. 23. [8] *Dactyliotheca num.* 20. 30. 57. 102. 183. & *in Scalpturis Gemmarum num.* 95, 142. [9] *part.* 1. *Antiquitat. Romanarum num.* 24. [10] *lib.* 1. *Antiq. Tab.* 98. 99. [11] *lib.* XI. *Æneid.*



Et paulo poſt :

Indutoſque jubet truncos hoſtilibus armis
Ipſos ferre duces, inimicaque nomina figi.

Itaque *armorum congeriem* vocat *Tacitus* [1], & *Inſcriptiones* rerum feliciter geſtarum additas eſſe prodit. Utque eo magis conſpicua forent, *in eminentioribus locis figebantur*, teſte *Servio* [2]. Inde eſt apud Florum [3] : *In montibus altis tropæa fixit.* Ubi loca erant humilia, juvabant ag-

(1) *lib.* 11. *Annal.* (2) *Commentar. ad lib.* XI. *Æneid. pag.* 620. (3) *lib.* XI. *cap.* 16.

aggeſtis tumulis vel turribus ſubſtructis. Domitius Ænobarbus & Fabius Maximus ipſis, quibus dimicaverant locis, ſaxeas erexerunt turres, & deſuper exornata armis hoſtilibus Tropæa fixérunt, ait *Florus* [1]. Miles Germanici ſtruxit aggerem & in modum Tropæorum, arma, ſubſcriptis victarum gentium nominibus, impoſuit, *Tacitus* [2]. Arcus, Statuas & Columnas deſcribit *Plinius* [3]. Arcus triumphalis Cæſaris Octavii eſt apud *Antonium Auguſtinum* [4]. Arcum triumphalem Titi Veſpaſiani delineat *Serlius* [5]. Septimii Severi Arcum triumphalem [6], & Conſtantini Magni Arcum [7]. Quibus adde Arcus triumphales Gratiani & Domitiani apud *Jacobum Laurum* [8], *Antonium Auguſtinum* [9], *Joh. Baptiſtam de Cavalleriis* [10]. Inſcriptiones recenſent *Petrus Appianus* & *Janus Gruterus* [11]. Paſſim oſtentavit Roma orbis Domina, ſed Barbarorum invaſiones maxima parte vel afflixerunt vel deſtruxerunt ſumptuoſa monumenta, ut teſtantur *Andreas Palladius* [12], *Antonius Boſius* & *Athanaſius Kircherus* [13], *Jacobus Laurus* [14], *Jacobus Boiſſardus* Veſontinus [15]. Columnas Trajani & Antonini Pii Cæſarum, uti adhuc proſtant, depingunt *Johan. Baptiſta de Cavalleriis* [16], *Jacobus Laurus* [17]. Denique Nummis etiam, qui ad rerum præclare geſtarum memoriam feriebantur, cauſæ addebantur, ut in Nummis Auguſti: RESPUBLICA. SERVATA. ÆGYPTUS. CAPTA. SIGNIS. RECEPTIS. Et alius ejuſdem: PAX. ORBIS. TERRARUM. (quem laudat *Petrus Scriverius* [18].) In Nummis Veſpaſiani: JUDÆA. CAPTA. De quibus omnibus

(1) *lib.* III. *cap.* 2. (2) *l. d.* (3) *lib.* XXXIV. *cap.* 5. 6. 7. (4) *in Numiſmatis Tab.* 10. *num.* 23. *Tab.* 11. *num.* 11. 12. (5) *lib.* III. *Architecturæ fol.* 49. 50. (6) *fol.* 51. 52. 53. (7) *fol.* 56. 57. (8) *part.* 2. *Antiquitat. Romanar. num.* 9. 14. 29. 33. *& part.* 3. *num.* 19. (9) *in Numiſmatis Tab.* 32. *num.* 9. (10) *lib.* 2. *Antiquitat. Romanar. Tab.* 22. 27. 28. 29. 30. (11) *Volumine ſingulari.* (12) *de Antiquitatibus urbis Romæ.* (13) *precioſo maxime opere de Româ ſubterranea.* (14) *in Antiquitatibus Romanis.* (15) *in Deſcriptione Romæ.* (16) *lib.* 11. *Antiquitat. Romanar. Tab.* 35. 36. (17) *part.* 1. *Tab.* 17. 18. *Antiquitat. Roman.* (18) *in Animadverſ. ad Vegetium pag.* 608.

peculiares libros ediderunt *Adolphus Occo*, *Abrahamus Gorlaus*, *Fulvius Urſinus Romanus*, *Jacobus Strada*, *Jacobus Bianus*, *Hubertus Goltzius*, *Antonius Auguſtinus*.

VII. Bello confecto dimittebant exercitum. Erant vero miſſionum genera tria, honeſta, cauſaria, ignominioſa[1], *Balthaſar Ajala*[2]. *Honeſta*, quæ emeritis ſtipendiis, debitæque militiæ impleto tempore veteranis *miſſitiis* (uti loquitur *Suetonius*[3], ad quem locum vide *Salmaſium*[4]) indulgebatur. *Inſcriptio* Valentina: D. M. ET. MEMOR. ÆTERN. PETRONI. CASTI. VET. MISSI. HONESTA. MISSIONE. EX. LEG. PRIM. MIN. EXOPTIONE. PROC. DUCENAR. ET. VITALINIÆ. FLORÆ. CONJUGI. EJUS. VIVI. SIBI. PONEND. CURAVER. ET. SUB. ASCIA. DEDICAVERUNT.. *Gruterus*[5], *Petrus Appianus*[6]. Tempus debitum olim quidem erat, ſi decem annis militaverant, ut ſcribit *Plutarchus*[7]. Deinceps variavit ſæpe, adeoque apud *Tacitum*[8], militaverant quidam tricena ſtipendia, alii quadragena, id eſt, totidem annis. Viginti annis militaviſſe alios, antequam dimitterentur, refert *Polybius*[9]. *Inſcriptio* Romana: L. ÆLIUS. FABIUS. BRIXIA. VETERANUS. MILITAVIT. LEGIONE. XVI. IN. GERMANIA. ANN. XXII. VIXIT. AN. XXX. *Gruterus*[10]. Ad bellum ſubitum accurrere cogebantur quoque milites veterani emeriti, & tunc vocabantur *evocati*, ut ſcribit *Dion Caſſius*[11], & ex illo *Jacobus Cujacius*[12], *Turnebus*[13]. *Inſcriptio* Romana: DIS. MANIBUS. ULPIO. URSINO. EVOCATO. QUI. VIXIT. A. XL. M. II. D. XV. MUMMIA. AFRODITE. POSUIT. MARITO. PIENTISSIMO. B. M. ARCADI. OSSA. BE. CESQUANT. *Gruterus*[14]. Et alia Romana: D. M. ALBIUS. MODERATUS. EVOC. NAT. PANNONIUS. QUI. VIXIT. ANN. XL. S. STUP. XIX. FLAVIA. URSA. SOROR. FRATRI. BENE.

[1] *D. de re Militari lib.* XIII. §. 2. [2] *lib.* III. *cap.* 6. [3] *lib.* VI. *cap.* 48. [4] *in Catalectis Schildi pag.* 630. [5] *in Volumine pag.* 556. [6] *in Collectaneis pag.* 473. [7] *in Gracchis.* [8] *lib.* I. *Annal.* [9] *lib.* VI. [10] *in Volumine pag.* 516. *num.* 7. [11] *lib.* XLV. [12] *lib.* VII. *Obſervation. cap.* 10. [13] *lib.* I. *Adverſarior. cap.* 9. [14] *libro dicto pag.* 569.

NE. MERENTI. FECIT. *Gruterus* [1]. Ultro ſi vellent quacunque occaſione ſequi, licebat eis. De Mario Saluſtius [2]: *Ambiundo cogere homines emeritis ſtipendiis ſecum proficiſci.* Ait *ambiundo*, id eſt, non imperando ſed blandiendo, rogatione, precibus cogebat eos ad bellum proficiſci una, qui ad militiam de jure compelli non poterant, uti ex *Soldo* annotat *Antonius Thyſius* [3], & confer *Juſtum Lipſium* [4], *Petrum Fabrum* [5], *Carolum Sigonium* [6], *Franciſcum Hottomannum* [7]. *Inſcriptio* Gallica: D. M. ET. MEMORIÆ. ÆTERNÆ. ATTONI. CONSTANTIS. VET. LEG. XXII. REMISSUS. HONESTA. MISSIONE. CASTRIS. INTER. CETEROS. CONVETERANOS. SUOS. REVOCATUS. QUIQUE. BELLO. INTERFECTUS. OBIIT. ATTIA. FLORENTINA. CONJUGI. CARISSIMO. ET. SIBI. VIVA. PONENDUM. CURAVIT. ET. SUB. ASCIA. DEDICAVIT. *Gruterus* [8]. *Cauſaria* eſt, cum quis animi vitio vel corpore debilis exſolvebatur militia. *Ignominioſa* eſt, cum quis propter delictum, ſed quod capitale non erat, dimittebatur, ut cum Cæſar in bello Africano milites ignavos & petulantes ab exercitu removit, quod *Hirtius* narrat.

[1] *l. d. pag.* 519. *num.* 8. [2] *in Jugurthina.* [3] *Commentario ad h. l. pag.* 338. [4] *lib.* 1. *de Militia Rom. Dialog.* 8. [5] *lib.* 1. *Semeſt. cap.* 17. [6] *lib.* 1. *de antiquo Jure Civium Roman. cap.* 15. [7] *Notis ad Cæſarem p.* 60. [8] *in Volumine pag.* 524. *num.* 7.

LIBRI TERTII FINIS.

ANTIQUITATUM ROMANARUM

LIBER QUARTUS.

QUO CONTINENTUR RES DOMESTICÆ.

CAPUT PRIMUM.

De ſtatu Familiarum.

I. FAMILIÆ ſunt tres: *Conjugialis*, *Patria*, *Herilis*. *Conjugialis* eſt inter Maritum & Uxorem, itaque de Jure connubiorum *ſequenti capite* prolixius agemus. *Patria* eſt inter Parentes & Liberos è conjugio legitimo procreatos. *Herilis* eſt inter Dominum & Servum. De Servis *libros peculiares* ſcripſerunt *Titus Popma* & *Laurentius Pignorius* Patavinus. Eorum varii Ordines erant, videlicet *Diſpenſatores*, *Atrienſes*, *Oſtiarii*, *Obſonatores*, *Cubicularii*, *Nomenculatores*, *Focarii*, *Lecticarii*, *Villici*. Et quidem DISPENSATORES erant, qui negocia procurabant, venalia diſtrahebant, pecuniam in rationes referebant, cæteris ſervis labores & alimenta dabant. *Inſcriptio* Romana: CLAUDIA. PSYCHARIO. FECIT. SIBI. ET. EUTYCHO. FILIO. SUO. PIISSIMO. IMP. DOMITIANI. CÆSARIS. AUGUSTI. GERMANICI. SERVO. DISPENSATORI. MONTANIANO. ET. LIBERTIS. LIBERTABUSQUE. SUIS. POSTERISQUE. EORUM. H. M. H. N. S. *Gruterus* [1]. ATRIENSES erant, qui in atriis diſpoſita arma-

(1) *in Volumine pag.* 596.

armaria, ubi ſuppellectilem precioſiorem libelloſque aſſervabant, ac majorum ſtemmata vel imagines cereas, (de quibus eſt *ſupra* [1]) diligenter cuſtodiebant, & porro imagines in funerum comitatu efferebant, teſtibus *Jacobo Cujacio* [2], *Auſonio Popma* [3]. Inde eſt illud Petronii [4]: *Interrogare ego Atrienſem cœpi, quas in media porticu picturas haberet?* OSTIARII erant compediti vel catenis revincti ad veſtibula januarum, ut nemo vel egredi vel ingredi poſſet, quem illi non obſervarent cominus. Suetonius [5]: *Lucius Otacilius Pilitus ſerviſſe dicitur, atque etiam oſtiarius veteri more in catena fuiſſe.* Propertius [6]:

Non mille excubiæ, nec te ſignata juvabunt
Limina, perſuaſæ fallere rima ſat eſt.

Tibullus [7]:

Et ſedeo duras janitor ante fores.

Nocte & die quaſi in præſidio collocati hoc obſervabant, ne quis adventor gravior, quam adveniſſet, diſcederet. Petronius [8]: *Ad ſiniſtram enim intrantibus non longe ab Oſtiarii cella.* Cellam atrienſem dicit ſive πυλώεον, ubi vinctus janitor cuſtodiam januæ gerebat. Annotat Georgius Erhardus [9]: *non quidem ſervus vinctus oſtium ſervabat, verum canis in vinculis, & ab his ſervus erat liber.* Errat, nam & canis erat in vinculis, unde ſunt κυνὲς οἰκυροὶ ἢ δέσμιοι apud *Artemidorum* [10], & quoque ſervus erat catenatus. Columella [11]: *An putem fortunatius a catenato repulſum iri janitore?* Rurſum Tibullus [12]:

At mihi ſervandam credas, non ſæva recuſo
Verbera, detrecto non ego vincla pedum.

Ait Poëta, ſe libenter in compedibus fore, dummodo janitor conſtitutus obſervet, quid Delia ſua agat, ut bene exponit *Janus Parrhaſius* [13]. Similiter Horatius [14]:

(1) *lib.* II. *cap.* 1. *diſt.* 5. (2) *lib.* X. *Obſervat. cap.* 34. (3) *lib.* I. *de Differentiis verborum pag.* 66. (4) *in Satyrico pag.* 46. (5) *de claris Rhetoribus cap.* 3. (6) *lib.* IV. *Eleg.* 1. (7) *lib.* I. *Eleg.* 1. (8) *in Satyrico pag.* 74. (9) *in Symbolis pag.* 597. (10) *lib.* III. (11) *lib.* I. (12) *lib.* I. *Eleg.* 7. (13) *Annotatis variis pag.* 867. (14) *lib.* III. *Carm.* 14.

Si per inviſum mora janitorem
Fiet. ——— ———

OBSONATORES, qui edulia & annonam emebant, *Seneca*[1], & pars horum VOCATORES, qui convivas invitabant, excipiebant, diſcumbentibus loca pro dignitate cujuſque aſſignabant, Martialis[2]:

Poſcis munera, Sexte, non amicos,
Jam dices mihi, vapulet vocator.

Plinius[3] quoque meminit. CUBICULARII ſeu MEDIASTINI, qui lectos & triclinia curabant. NOMENCULATORES, qui civium nomina quotidie recitabant, & quid rerum gereretur, domum referebant adviſatores, quales nunc ſunt Planetarii, eorumque meretrices, & congerrones Sileni, Diaboli inſtrumenta, honeſtarum feminarum calumniatores, quarum pudenda mundiora ſunt quam horum fœtidi rictus, unde ſputa malignorum cavillorum jaciunt in optimos quoſque. *Inſcriptio* Romana: L. CALPURNIO. L. L. FULLO NOMENCLATORI. AUG. L. CALPURNIUS. L. L. EUPHROSYNUS. AMICO. OPTUMO. OL. D. D. Q. *Gruterus*[4], & alia Romana, quam adfert *Jacobus Boiſſardus*[5]: DIIS. MANIBUS. T. CLAUDIUS. AUG. LIB. THALETIS. VINICIANI. NOMENCLATORIS. A. CENSIBUS. THALUS. ET. JANUARIA. LIB. DE. SUO. POSUERUNT. LOCO. LEGATO. AB. JULIO. ALCIDE. Horatius[6]:

Mercemur ſervum, qui dictet nomina. ——

A populo petebantur honores, & populus honores arbitratu ſuo mandabat in Comitiis, itaque Candidati, homines ambitioſi operam dabant, ut Nomenculatores ſecum haberent in viis, a quibus civium nomina edocti, obvios illos ſalutabant nominatim ac gratiam horum apprehendebant, de quo prolixe agunt *Lambinus*[7], *Johannes Coraſius*[8], *Gerh. Joh. Voſſius*[9]. FOCARII, qui ligna

(1) *Epiſt.* 47. (2) *lib.* VII. *Epigram.* 85. (3) *lib.* XXXIV. *cap.* 10. (4) *in Volumine pag.* 598. (5) *part.* 5. *Antiquitat. Rom. fol.* 27. (6) *lib.* 1. *Epiſt.* 6. (7) *Commentario h. l. pag.* 274. (8) *lib.* IV. *Miſcellaneorum Juris civilis cap.* 13. (9) *in Lexico Etymolog. pag.* 344.

ligna cædebant & ignes alebant. LECTICARII, qui lecticarum vehicula ſuccollabant, *Seneca*[1], & prolixe *Lipſius*[2]. *Inſcriptio* Romana: D. M. EUFRÆ. TIN. SERVO. LECTICARIO. TYTYCHE. FAUSTINAES. CONJUGI. SUO. B. M. F. ET. SIBI. POSTERISQUE SUIS. *Gruterus*[3]. Et alia: OLYMPUS. LIVIÆ. DRUSI. CÆSARIS. LECTICARIUS. *Petrus Appianus*[4]. VILLICI, qui operas ruſticas excercebant. Terentius[5]:

——— —— *Herus ſi redierit*
Molendum uſque in piſtrino, vapulandum, habendæ compedes,
Opus ruri faciendum. ———

II. Servi aut naſcebantur, aut fiebant. Naſcebantur è Servo & Ancilla, inter quos erat non quidem Matrimonium, ſed Contubernium. *Inſcriptio* Romana: DIIS. MANIBUS. ANTONIA. CHARIESSA. IMMUNIS. SIBI. ET. M. ANTONIO. MYRTILO. CONTUBERNALI. SUO BENEMERENTI. DEDIT. Et alia Romana: DIIS. MANIBUS. CALE. VICTORI. CONTUBERNALI. CARISSIMO. ET. FIDELISSIMO. POSUIT. Et alia Romana: DIIS. MANIBUS. EUTYCHIÆ. ET. SUCCESSÆ. F. EJUS. L. CÆCILIUS. SUCCESSUS. CONTUBERNALI. ET. FILIÆ. CARISSIMIS. *Gruterus*[6]. Itaque dicit Plautus[7]:

Sunt hic quos credo nunc inter ſe dicere,
Quæſo hercle quid iſtuc eſt, ſerviles nuptiæ?
Servine uxorem ducent aut poſcent ſibi?
Novum attulerunt, quod ſit nuſquam gentium.

Et confer *Alciatum*[8], *Gabrielem Palæottum*[9]. *Vernæ* dicebantur, & *Vernaculi*, ut eos vocat Apulejus[10]: *Quid uxor? quid liberi? quid Vernaculi?* Locus eſt apud Suetonium[11]: *Nullis tamen offenſior quam Vernaculis & Mathematicis.* Ita legit *Pignorius*[12], & addit: *Quorſum enim ibi ſubſtituamus divinaculos aut vernaculos?* Prior cor-

(1) *Epiſt.* 29. (2) *lib.* 1. *Electorum cap.* 19. (3) *libro dicto pag.* 600. (4) *in Collectaneis pag.* 302. (5) *in Phormione Act.* 2. *ſc.* 1. (6) *in Volumine pag.* 960. 966. 973. (7) *prologo ad Caſinam.* (8) *lib.* VI. *Parergorum cap.* 16. (9) *de Spuriis cap.* 14. 15. (10) *lib.* 1. *Mileſiarum.* (11) *lib.* IX. *cap.* 14. (12) *allegato libro pag.* 22.

ctio eſt *Turnebi*, & *Antonii Mureti*[1], poſterior *Scaligeri*, ut monet *Caſaubonus*[2]. Et præferimus *Veraculos*, cauſa eſt, quoniam de Agyrtis & Vatibus deceptoribus agitur, & vero Vernaculi in hoc negocio prorſus non habent locum, uti diximus *ſupra*[3]. Fiebant Servi captivitate ex hoſtibus, *ſupra*[4], aut venumdatione. Pater egenus vendebat Filium ſuum, ut precium aliquod acquireret in ſumma caritate annonæ. Ut hoc liceret, lege ſancivit Romulus, *Dionyſius Halicarnaſſæus*[5], eſtque in lege Moſis, *Exodi*[6], (de qua vide Rabbinum *Menaſſeh*[7]) & permiſit Conſtantinus Magnus *in Codice*[8], ubi confer *Jacobum Cujacium*[9].

III. Servi evidens ſignum erat, quod perfoſſis auribus eſſet. Non tantum Hebræi ita faciebant Servis, quos ad Jubilæum magnum ſubjectos retinebant, *Exodi*[10], *Deut.*[11] *Sulpicius Severus*[12], ubi vide *Georgium Hornium*[13]. Verum etiam Romani Servis ſuis notam illam imprimebant. Juvenalis[14]:

Natus ad Euphratem, molles quod in aure feneſtræ
Arguerint, licet ipſe negem. ———

Aurium feneſtras vocat, quod eorum aures ſubula pertundebantur, ut *vetus Scholiaſtes* notat. Ita illi domi, & cum Romam venirent, perinde Servi, demum aſſentatione provecti apud Heros, libertatem capiebant, ſed pertuſa auris admonebat eos priſtinæ conditionis. Porro notis ſtigmaticis in manibus, fronte, genis, dorſo notabantur, uti docent *Cœlius Rhodiginus*[15], *Juſtus Lipſius*[16], *Johan. Brodæus*[17], *Jacobus Cujacius*[18], *Jacobus Pontanus*[19], *Elias Vinetus*[20]. Itaque *Servos literatos* per jocum vocat

(1) *lib.* XI. *Variarum lectionum cap.* 13. (2) *Notatis ad b. l. pag.* 713. (3) *lib.* I. *cap.* 12. *diſt.* 14. (4) *lib.* III. *cap.* VI. *diſt.* I. (5) *lib.* X. (6) XXI. 7. (7) *Conciliatore ad Exodum quæſt.* 39. *num.* 5. (8) *lib.* IV. *Tit.* 43. (9) *in Paratitlis pag.* 160. (10) XXI. 6. (11) XV. 17. (12) *lib.* I. *Hiſtor. ſacr. cap.* 31. (13) *in Annotatis pag.* 95. (14) *Sat.* I. (15) *lib.* VIII. *Antiq. Lect. cap.* 11. (16) *lib.* II. *Elect. cap.* 15. (17) *lib.* IV. *Miſcellan. cap.* 24. (18) *lib.* VII. *Obſervationum cap.* 13. (19) *in Bellariis Atticis pag.* 315. (20) *Commentariis ad Auſonii Epigram.* 15.

vocat *Plautus*[1], id eſt, qui in fronte notas literarum habebant cauterio impreſſas. Locus eſt Zachar.[2]: *Et dicet, plagæ ſunt, quibus notatus ſum in domo eorum, qui amant me.* Ad ſtigmata pertinet, quibus Servi notabantur, ut Herus eos recognoſcere poſſet in loco quocunque & tempore. *Apulejus*[3], ubi deſcribit homines in piſtrino laborantes, notat in eis *frontes literatas, capillos ſemiraſos, & pedes annulatos. Pedum annulos* intellige compedes, quos ubique ferebant. Juvenalis[4]:

——— ——— *Inſcripta ergaſtula.*

id eſt, Servi in ergaſtulis, qui frontes notis inſcriptas gerunt. Ergaſtula vero erant velut privati carceres ſubterranei & ſedibus quibuſdam diſtincti, ut deſcribit *Columella*[5]. His Servi concludebantur ruri, poſtquam ab opere ceſſaverant, ne fugam noctu arriperent, ut produnt *Marcellus Donatus*[6], & *Salmaſius*[7]. *Stellantem frontem* de eodem negocio commemorat *Martialis*[8], ut exponunt *Scriverius*[9], *Schrevelius*[10], *Franciſcus Juretus*[11], quanquam *ſtillantem frontem* legere mavelit *Ramireſius*[12], unde alius ſenſus emergit, qui tamen non eſt ita commodus. *Servos inſcriptos* idem vocat[13]. *Famulus fronte notatus* eſt apud eundem[14]. *Vincti pedes, damnatæ manus, inſcripti vultus* ſunt apud *Plinium*[15]. Tibullus[16]:

Spes etiam dura ſolatur compede vinctum,
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.

Et rurſum[17]:

Bacchus & afflictis requiem mortalibus adfert,
Crura licet dura compede victa ſonent.

IV. Servi perveniebant ad libertatem manumiſſione, erantque Liberti, id eſt, liberati. Dicebantur *manumitti*, cum Dominus caput Servi vel aliud membrum

(1) *in Caſina Act.* 2. *ſc.* 6. (2) XIII. 6. (3) *lib.* IX. *Mileſiarum.* (4) *Sat.* 14 (5) *lib.* 1. *cap.* 5. (6) *Dilucidationibus ad Suetonium pag.* 567. (7) *Notis ad Hiſtoriam Auguſtam pag.* 82. (8) *lib.* 11. *Epigr.* 29. (9) *Animadverſis ad h. l.* (10) *in Notatis pag.* 122. (11) *Notis ad Symmachi Epiſtolas pag.* 91. (12) *Notis ad Martialem pag.* 17[illegible]. (13) *lib.* VIII. *Epigr.* 75. (14) *lib.* III. *Epig.* 21. (15) *lib.* XVIII. *cap.* 8. (16) *lib.* II. *Eleg.* 7. (17) *lib.* I. *Eleg.* 8.

tenens, Prætore & teſtibus aliis præſentibus, ita pronunciabat: *Hunc hominem liberum eſſe volo*, ait *Feſtus Pompejus*[1]. Simulque alapa ſtringebat & circumactum eum dimittebat è manu. Scribæ referebant nomen in acta publica, ipſe vero manumiſſus ab Hero accipiebat codicillos ſcriptos, ac capite raſo pileum geſtabat veſtemque albam, unde palam conſtabat, liberum eſſe. Prætor vero etiam accepto de lictoris manu baculo, (quem *vindictam* appellabant) dorſum Liberti verberabat. *Plutarchus*[2]: Ῥωμαῖοι δς ἂν εἰς ἐλευθερίαν ἀφαιρῶνται, ῥάβδῳ λεπτὸν αὐτῶν ὑπιβάλλουσι τοῖς σώμασι. Vindicta ῥάβδῳ eſt, ſive feſtuca aut virgula. Pertinet huc *lib.* XL. *Digeſtorum de Manumiſſionibus*, ubi vide *Weſenbecium*[3]. Cœterum teſtimonia Poëtarum nota ſunt. Perſius[4]:

—— Heu ſteriles veri, quibus una Quiritem
Vertigo facit, hic Dama eſt non treſſis agaſo,
Vappa, & lippus & in tenui farragine mendax,
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit,
Marcus Dama. —— ——

Et mox ſequitur:

Vindicta poſtquam meus a prætore receſſit.

Vertigo, id eſt, circumactum, atque idem eſt, *momentum turbinis*, ſcilicet de more eodem dictum. Alibi dicit[5]:

— Hic, hic, quem quærimus, hic eſt,
Non in feſtuca lictor quem quærit ineptus.

Feſtuca eſt, quæ alias *vindicta* appellatur, eamque de manu Lictoris capiebat Prætor, coram quo fiebat manumiſſio. Soſia apud Plautum[6]:

Ut ego hodie raſo capite calvus capiam pileum.

Serviſque ad pileum (id eſt, libertatem ſpondendo) *fruſtra vocatis*, ait *Suetonius*[7]. Pileus libertatis inſigne eſt in Bruti Nummis apud *Antonium Auguſtinum*[8], conſimili-

(1) *lib.* XII. *de Verborum ſignificat. pag.* 313. (2) *de Sera Numinis Vindicta.* (3) *in Paratitlis pag.* 1042. (4) *Satyra* 5. (5) *Satyra* 6. (6) *in Amphitruone Act.* 1. *ſc.* 1. (7) *lib.* III. *cap.* 4. (8) *Tab.* 5. *num.* 2.

militer in Nummis Galbæ & Nervæ Cæſarum [1]. Demum convivio, quod Patronus ejus dabat teſtibus, adhibebatur, *Jacobus Cujacius* [2], *Hadrianus Junius* [3], *Antonius Auguſtinus* [4].

CAP. II.

De Jure Connubiorum.

I. DE Connubialibus ſcripſerunt *Antonius Gubertus Coſtanus*, *Briſſonius*, *Hottomannus*, *Tiraquellus*, *Arniſæus*, *Albericus Gentilis*, *Valentinus Wilhelmus Forſterus*. Solennia depingunt *Jacobus Laurus* [5], *Jacobus Meurſius* [6]. Qui uxorem ducere volebat, ab eo, in cujus poteſtate hactenus erat, eam matrimonio datum iri ſtipulabatur, iſque, qui nuptum daturus erat, reſpondebat. *Qui contractus ſtipulandi & reſpondendi vocabatur ſponſalia*, ut ait *Gellius* [7]. Ad conſtituenda illa conſenſus nudus ſufficiebat, major ſolennitas inerat, cum in tabulas conventiones ſponſalitiæ referebantur. Juvenalis [8]:

Signatæ tabulæ, dictum feliciter. ———

Eæ annulis ſignatoriis illorum, qui teſtes rerum aderant, obſignabantur. Rurſum Juvenalis [9]:

——— *Veniet cum Signatoribus Auſpex.*

Signatoribus, id eſt, Notariis, qui ſcribebant & obſignabant tabulas contractus matrimonialis. De quo vide etiam *Marcum Vertranium Maurum* [10].

II. Ut ratus eſſet contractus, Sponſa faciebat ſumptibus ſuis cœnam aliquam invitatis ad eam Sponſo, ejuſque propinquis: & vero Sponſus dabat Sponſæ arrham, quæ erat *annulus pronubus*, uti vocat *Tertullianus* [11]. Juvenalis [12]:

— *Et*

(1) *ibidem Tab.* 22. *num.* 9. *Tab.* 33. *num.* 19. (2) *lib.* V. *Obſervation. cap.* 13. (3) *de Coma cap.* 2. (4) *Dialog.* 2. *Antiquitat. Romanar. pag.* 36. (5) *part.* 3. *Antiquit. Roman num.* 89. (6) *in Iconibus veris Romæ pag.* 49. (7) *lib.* IV. *cap.* 4. (8) *Sat.* 2. (9) *Sat.* 10. (10) *Notis ad Tacitum pag.* 127. (11) *de Cultu Feminarum.* (12) *Sat.* 6.

—— *Et digito pignus fortaſſe dediſti.*

Quod vero *A. Gentilis* [1] ſcribit, *Sponſi patrem dediſſe Sponſæ annulum iſtum*, neſcio unde probari poſſit. Expreſſe Tertullianus [2]. *Sponſum* dicit *oppignoraſſe*, & annulum *aureum* nominat pro ævi illius more, nam olim quidem *ferreus annulus* erat, teſte *Plinio* [3]. Demum diem nuptiis dicebant, quem boni ominis eligebant rogati propterea Auſpices, ut narrant *Valerius Maximus* [4], *Tacitus* [5]. Itaque Lucanus [6]:

Junguntur taciti contentique Auſpice Brute.

Communis opinio erat, menſibus Januario & Majo nullas debere fieri nuptias, quas cum ſucceſſu aliquo beatas eſſe cuperent, quod illo quidem fierent Lemuria, hoc vero Feralia, utraque erant mali ominis, quia pro Manibus. *Ovidius* deſcribit prolixe [7], ubi inter alia occurrunt:

Nec viduæ tædis eadem nec virginis apta
Tempora, quæ nupſit, non diuturna fuit.
Hac quoque de cauſa, ſi te proverbia tangunt,
Menſe malum Majo nubere vulgus ait.

Aptiſſimum tempus erat, quod Idus Junias ſequebatur. Ovidius [8]:

Hanc ego cum vellem genero dare, tempora tædis
Apta requirebam, quæque cavenda forent.
Tunc mihi poſt ſacras monſtratur Junius Idus,
Utilis & nuptis, utilis eſſe viris.

Bonum erat auſpicium, quando cornix aut volatu aut voce aſpirabat propoſito. Tibullus [9]:

Huc veniat natalis avis, prolemque miniſtret.

Avis illa cornix eſt, quam Concordiæ ſymbolum in nuptiis veteres invocabant, de quo eſt *ſupra* [10], & adde *Dionyſ. Gothofredum* [11], *Antonium Auguſtinum* [12]. Auſpiciis

(1) *lib.* 11. *cap.* 16. (2) *in Apologetico cap.* 6. (3) *lib.* XXXIII. *cap.* 1. (4) *lib.* 11. *cap.* 1. (5) *lib.* XV. *Annal.* (6) *lib.* 11. (7) *lib.* V. *Faſtor.* (8) *lib.* VI. *Faſtor.* (9) *lib.* 11. *Eleg.* 2. (10) *lib.* 1. *cap.* 1. *diſt.* 10. (11) *Notis ad Feſtum pag.* 1720. (12) *in Numiſmatis Tab.* 32. *num.* 20.

tiis peractis sacra faciebant Jovi, Junoni, Veneri, quod omnes illi conciliandis matrimoniis præesse censerentur. Immolabant porcum, at fel cum extis reliquis non offerebant, sed revulsum citra aram dejiciebant, ita significare volebant, quod bilis & iracundia abesse deberet a nuptiis, cæteræ partes adolebantur, unde capiebantur signa futuræ inter eos tranquillitatis, autore *Plutarcho*.

III. Pro Sponsa ornanda adhibebatur cura accurata. Velo rubro aut flavo, quod Sponsus donaverat, obnubebatur, dicto alias *flammeum*, *Catullus*[1], *Plinius*[2], *Suetonius*[3], *Petronius Arbiter*[4]. Nec aliter Lucanus[5]:

Non timidum nuptæ leviter lectura pudorem,
Lutea demissos velarunt flammea vultus.

Locus est *Genes.*[6] de Rebecca: *Tollens cito pallium operuit sese*. Erat testimonium pudoris & verecundiæ. Virgilius[7]:

Ut tibi Corycio glomerarem flammea luto.

Corycium lutum est flavus color, ut explicat *Taubmannus*[8]. Martialis[9]:

Flammea texuntur sponsæ, jam virgo parata est.

Sponsus veniebat in ædes Sponsæ comitatus Paranympho, atque ibi nuptiæ peragebantur. Ad cœnam nuptialem (quam Sponsus parabat sumptibus suis) considebant, & laute excipiebant convivas. Aderant una Tibicines * & Hymenæum decantabant, pueri quoque ad amovendum fascinum recitabant carmina Fescennina, ut *Festus*[10] refert. Lucanus:

Non soliti lusere sales, nec more Sabino
Excepit tristis convicia festa maritus.

Sabini primi invenerunt Fescennina, & confer *Janum Guilhelmium*[11]. Fascinum amovebatur, quandoquidem pervulgatum, quod Sagæ crebro partem illam, qua vir erat,

* Ovidius *Ep. Medeæ* v. 139.

(1) *Epig.* 57. (2) *lib.* XXI. *cap.* 8. (3) *lib.* VI. *cap.* 28. (4) *in Satyrico pag.* 71. (5) *lib.* II. (6) XXIV. 65. (7) *in Ciri.* (8) *in Commentario h. l. pag.* 51. (9) *lib.* XI. *Epigramm.* 79. (10) *lib.* VI. *de Verborum significat. pag.* 288. (11) *lib.* I. *Verisimilium cap.* 14.

erat, Sponſi Magica arte læderent, ut officio ſuo fungi haud poſſet in concubitu. Tibullus[1]:

Ipſa Venus Magico religatum brachia nodo.

Magicus nodus eſt καταδεσμὸς ſive faſcinum, uti *ex Salmaſio* annotat *Simon Abbes*[2], ac prolixe *Antonius Gubertus Coſtanus*[3], *Johannes Fernelius*[4]. Hymenæus cumprimis Junoni ſacer erat, quam γνέθλιον καὶ γαμήλιον Θεὰν plurima nuptiarum ſolennia reſpiciebant, adeoque cum Sponſa ornabatur, coma ejus haſta parva diſcriminabatur, more a Sabinis petito, qui poſt concordata cum Romulo facta in civitatem immigraverant, cultores Junonis, eique arma conſecraverant, inter quæ haſta excellebat. Ovidius[5]:

Nec tibi quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas haſta recurva comas.

& adde *Boxhornium*[6], *Philippum Beroaldum*[7]. Convivæ liberalius invitati clamabant *Thalaſſionem*, qui vetuſtæ memoriæ Sponſus (tunc cum Romulus Sabinas mulieres rapiebat) cum Sponſa ſua invenerat conjugium per omne vitæ tempus placidiſſimum. Paris gloriæ matrimonium vovebant novis nuptis, cum Thalaſſionem vocabant, *Feſtus Pompejus*[8], *Plutarchus*[9], *Martialis*[10], *Janus Guilhelmus Laurembergius*[11], *Gerhardus Johan. Voſſius*[12]. Nuces ſpargebat Sponſus, & inter pueros præſentes projiciebat, quod puerilibus oblectamentis omiſſis, deinceps res ſerias agere vellet, uti maritum & civem deceret. Catullus[13]:

Non nuces pueris neget
Deſertum domini audient
Concubinus amorem.

Ubi tamen & alius ſenſus ſubeſt, quem exponunt *Scaliger*

(1) *lib.* 1. *Eleg.* 9. (2) *pag.* 278. (3) *de Matrimonio pag.* 98. (4) *lib.* 11. *de Abditis rerum Cauſis cap.* 19. (5) *lib.* 11. *Faſtor.* (6) *Commentar. ad Plutarchi Quæſtiones num.* 87. (7) *in Annotatis variis pag.* 191. (8) *lib.* XIX. *de Verborum ſignificat. pag.* 461. (9) *in Problematis Romanis quæſt.* 31. (10) *lib.* 1. *Epigram.* 36. *lib.* 111. *Epigr.* 93. (11) *in Antiquario pag.* 454. (12) *in Lexico Etymologico pag.* 256. (13) *Epigr.* 62.

liger[1], *Muretus*[2], *Simon Abbes Gabbema*[3]. Virgilius[4]:

Sparge marite nuces.

IV. Poſt epulas finitas Pronuba manu Sponſam apprehendebat, & in cubiculum ducebat, ut in lecto geniali accumberet veſtibus depoſitis, Catullus[5]:

Jam cubile adeat viri
Vos bonæ ſenibus viris
Cognitæ breve feminæ
Collocate puellulam.

Scilicet Pronubas deligebant eas, quæ uni marito nuptæ, ut conjugium novum eſſet auſpicatum. *Genialis* vero lectus proprie dictus eſt ille, qui ſternebatur puellis nubentibus, teſtibus *Servio*[6], *Lipſio*[7]. Accumbebat deinde Sponſus, & cum Deo Subigo ac Dea Pertunda coronidem imponebat actui. Arnobius[8]: *Pertunda quæ in cubiculis præſto eſt, virginalem ſcrobem effodientibus maritis?* Hoc erat, *cingulum ſolvere*. Catullus[9]:

Tibi virgines zonula ſolvunt ſinus.

Græcorum more, λύειν παρθενίην ζώνην apud *Homerum*, *Theocritum*, *Muſæum*, quorum teſtimonia adducit *Muretus*[10], & confer *Martinum de Roas*[11]. Poſtridie novus Maritus reverſus in domum ſuam, ibi parabat cœnam, & quia velut inſtauraretur potio, vocabant *Repotia*, ut *Feſtus*[12] dicit. Tunc etiam inter amicos diſtribuebant *ſportulas*, teſte *Apulejo*[13]. Erant Numiſmata cum imaginibus novorum Conjugum, ut nos docent *Symmachus*[14], & ibidem *Franciſcus Juretus*[15]. Adducebatur ad eum nova Marita cum peculiaribus ſolennibus. Abſtrahebatur velut per vim è gremio Matris, aut ſi illa obierat, Cognatæ proximæ, & ad Maritum trahebatur ad recolendam memoriam vetuſtiſſimi Matrimonii, cum jubente Romulo Sabinarum mulieres, quæ ad ſpectandos

(1) *in Notis pag.* 41. (2) *in Commentario pag* 82. (3) *in Notis variis pag.* 97. (4) *Bucolicor.* 8. (5) *l. d.* (6) *ad lib.* VI. *Æneid. pag.* 432. (7) *lib.* I. *Elect. c.* 17. (8) *lib.* IV. (9) *l. d.* (10) *Commentariis ad Catullum pag.* 116. (11) *part.* 2. *Singularium lib.* IV. *cap.* 6. (12) *lib.* XVI. (13) *lib.* II. *Apolog.* (14) *lib.* V. *Epiſt.* 55. *lib.* IX. *Epiſt.* 96. (15) *in Notis pag.* 121.

dos Ludos equeſtres, non vero ad matrimonium paciſcundum aderant, per impetum raperentur & obtinerentur. Ducebatur in Sponſi domum, velut domicilium ſuum, & quidem alta veſpera. Catullus [1]:

Veſper adeſt, juvenes conſurgite, veſper Olympo
Expectata diu vix tandem lumina tollit,
Surgere jam tempus, jam pingues linquere menſas,
Jam veniet Virgo, jam dicetur Hymenæus.

Virgilius [2]:

——— *Tibi deſerit Heſperus Oetam,*

id eſt, nox advenit, ut interpretatur *Servius* [3]. Comitabantur eam tres pueri Paranymphi, ac hi quidem patrimi & matrimi, hoc eſt ἀμφοτέρους τοὺς γονεῖς ἔχοντες παρόντας, ut interpretatur *Zoſimus* [4]. Eorum facem præferebat, & vocabatur *prælux*, teſte *Feſto*. Petronius [5]: *Embaſicœtas præferebat facem.* Sæpe etiam plures. *Inſcriptio* Patavina: COS. AUG. PUBL. CLAUD. QUÆST. ÆR. ANTONINIAN. VOLUMIAM. VIRGINEM. VOLENT. AUSP. E. PARENT. SUO. IS. COEMIT. ET. IV. FAC. IN. DO. DUXIT. *Gruterus* [6]. Virgilius [7]:

Mopſe novas incide faces, tibi ducitur uxor.

E ſpina alba nuptiales tædas fieri ſolitas, *Feſtus* teſtatur, concinitque Catullus [8]:

Manu ſpineam quate tædam.

& confer *Muretum* [9], *Franciſcum Robertellum* [10]. Nam *Scaliger* legit:

Manu pineam quate tædam,

& defendit [11], adductis verbis Senecæ [12]:

Multifidam jam tempus erat ſuccendere pinum.

Accedit ratio iſta, quod tæda non ſit in ſpina, quæ eſt propria reſiniferarum arborum. Ovidius [13]:

Exoptat puras pinea tæda faces.

Virgilius [14]:

Pro-

(1) *Epig.* 63. (2) *Bucol.* 8. (3) *Commentario ad h. l. pag.* 41. (4) *lib.* 11. *Hiſtor.* (5) *in Satyrico pag.* 71. (6) *in Volumine.* (7) *l. d.* (8) *Epig.* 62. (9) *Commentar. h. l. pag.* 77. (10) *in Miſcellaneis pag.* 1425. (11) *Caſtigationibus ad h. l. pag.* 43. (12) *in Medea.* (13) *lib.* V. *Faſtorum.* (14) *in Ciri.*

Pronuba nec caſtos accendet pinus honores.

Et adde *Barnabam Briſſonium*[1], *Franciſcum Hottomannum*[2], *Jacobum Nicolaum Loënſem*[3], *Johannem Livineum*[4], *Simonem Abbes Gabbema*[5]. † Duo Pueri tangebant Sponſam erantque Conſanguinei ejus. Sequebantur ancillæ & ferebant colum, fuſum, ſtamen, quod Tanaquilla Regina primum ordinaverat, *eoque fine lanam cum colo & fuſo in æde Sanci appenderat*, uti refert *Plinius*[6]. Erat hoc argumentum laboris, quo deinde occupatæ eſſe debebant. Ovidius[7]:

Inde cito paſſu petitur Lucretia, cujus
Ante thorum calathi, lanaque mollis erat.

Aderant vicini, noti, cognati, familiares in frequentia magna. Hoc ipſum *per ſolenne nuptiarum in celeberrimo officio deducere Sponſam*, vocat *Suetonius*[8]. Hi longo ordine incedentes quiſque ferebat ſecum utenſilia novæ Nuptæ, veſtimenta, aurum, gemmas, vaſa, pelves, urceos, ollas, ſandalia. Aderat quoque Puer *Camillus* dictus, qui in vaſe operto, (quod *Cumerum* appellabant) ferebat crepundia pro liberis, ſi qui naſcerentur, *Varro*[9], *Scaliger*[10], *Feſtus*[11].

V. Domus fores ornabantur floribus & frondibus. Apulejus[12]: *Domus tota lauris obſita, tædiſque lucida obſtrepebat Hymenæum.* Lucanus[13]:

Feſta coronato non pendent limine ſerta.

Juvenalis[14]:

Ornentur poſtes & grandi janua lauro.

Ubi prope limen venerat Sponſa, rogabant Sponſi propinqui: *Quæ eſſet?* Reſpondebat: *Ubi tu Cajus es, ego ſim Caja.* Plutarchus[15]. Poſtes vero januæ lana coronabantur a nubentibus & adipe lupino ungebantur, inde

† De la Cerda *in* 7. *Æn.* 397.

(1) *de Ritu Nuptiarum pag.* 65. (2) *de Ritu Nuptiarum cap.* 16. (3) *lib.* VIII. *Miſcellan. cap.* 27. (4) *in Notatis p.* 17. (5) *Notatis ibidem p.* 89. (6) *lib.* VIII. *c.* 48. (7) *lib.* II. *Faſtor.* (8) *lib.* VI. *c.* 27. (9) *lib.* VI. *de LL. pag.* 72. (10) *in Conjectaneis pag.* 120. (11) *lib.* III. *de Verborum ſignificat. pag.* 275. (12) *lib.* IV. *Mileſiar.* (13) *lib.* II. (14) *Sat.* 6. (15) *in Quæſt. Roman. num.* 30.

unxores, dictæ, quasi uxores, *Servius*[1]. Factum ideo, ne veneficiorum artes quicquam mali inferrent, *Plinius*[2]. Peracta unctione Sponsa limen, quod calcare nefas erat, transiliebat. Lucanus[3]:

Turritaque premens frontem matrona corona
Tralata metuit contingere limina planta.

Pro illo, quod vulgo legitur *vetuit*, emendat Rutgersius[4], *metuit*. Res eodem recidit, adeoque *vitat* corrigit *Johan. Brodæus*[5], quam lectionem in *Puteanorum Fratrum codicibus* inventam præfert quoque *Grotius* apud *Schrevelium*[6]. Hoc ideo, ne pharmacis Magicis lædi posset, quæ sub limine ad destruendam Conjugum vel concordiam vel virtutem generativam, defodi solebant veneficis. Plautus[7]:

Sensim superattolle pedes nova nupta, Sospes
Iter incipe hoc, ut viro tuo semper sis superstes.

Et statim dabantur ei claves, † ut admoneretur, quod de rebus domesticis omnibus fidelem curam deinceps gerere vellet.


VI. Si quod Conjugium non placebat Marito evidentes ob causas & in judicio approbatas, Divortium ab Uxore faciebat. Judicium erat consessus Amicorum & Propinquorum, ut docet *Valerius Maximus*[8], ubi de Lucio Antonio Senatore meminit. Res porro ad Censores deferebatur, & Amicorum testimonio fides facta est, quod Divortii causæ legitimæ essent, *Gellius*[9]. Causæ descriptæ in libello & a septem testibus subscriptæ dabantur Mulieri, ut posset illis uti in procurando matrimonio alio. Reddebatur dos, adimebantur claves, ac ut domo exesset, clara voce jubebat maritus: *Res tuas tibi habeto.* Juvenalis[10]:

Collige sarcinulas, dixit libertus, & exi.

Abi-

† Quarum præstantissimus conspectus apud Joh. Bapt. Casalium *de Insignib. &c. c.* 3. exponitur, qui ideo hic placuit.

(1) *Commentario ad lib.* IV. *Æneid. pag.* 341. (2) *lib.* XXVIII. *c.* 9. (3) *l. d.* (4) *lib.* I. *Var. lect. cap.* 12. (5) *in Miscellaneis.* (6) *Notis variis ad h. l. pag.* 77. (7) *in Casina Act.* 4. *sc.* 4. (8) *lib.* II. *c.* 4. (9) *lib.* XVII. *c.* 21. (10) *Sat.* 6.



Abibat illa & nubebat iterum, quando vellet. Tabulæ ſponſalitiæ ſcindebantur. Juvenalis[1]:

— *Tabulas quoque fregerat.* ——

Plura vide *in Auctariis noſtris ad Pappum*[2], & adde *Johannem Buxtorfium*[3], *Johannem Coraſium*[4].

CAP. III.

De apparatu Conviviorum.

I. SCRIPSERUNT de rebus ad Convivia pertinentibus *Johannes Wilhelmus Stuckius*, *Robertellus*, *Bernegerus*, *Bulengerus*, *Petrus Ciacconius*, *Fulvius Urſinus*, & breviter *Alexander Neapolitanus*[5], *Juſtus Lipſius*[6], *Johan. Roſinus*[7], *Hieronymus Mercurialis*[8]. Erant apud Romanos *Jentaculum*, *Prandium*, *Merenda*, *Cœna*, *Comeſſatio*. Nimirum quinque vicibus edebant, juſtæ vero menſæ erant tantum duæ, *Prandium* ac *Cœna*. Reliqua pro pueris nondum adultis, & pro agricolis valido labore occupatis. Jentabant mane, *panis portionem vino intinctam ſumendo*, ut ait *Plutarchus*[9]. Quidam etiam omittebant vinum. Tacitus apud Vopiſcum[10]: *Panem niſi ſiccum, nunquam comedit, eundemque ſale atque aliis rebus conditum.* De ſeipſo Seneca[11]: *Non multum mihi ad balneum ſupereſt, panis deinde ſiccus, & ſine menſa prandium, poſt quod non ſunt lavandæ manus. Panem comedere & jentare* ſunt eadem res, uti prolixe hic annotat *Salmaſius*[12]. † Hinc dicit Martialis[13]:

Surgite, jam vendit pueris jentacula piſtor,
Criſtataque ſonant undique lucis aves.

Et alibi[14]:

Ca-

† V. Salmaſius *ad Capitolini Anton. Pium p.* 284, *& ad Vopiſc. p.* 616.

(1) *Sat.* 9. (2) *pag.* 226. (3) *de Sponſalibus & Divortiis pag.* 79. (4) *lib.* v. *Miſcellaneorum Juris civilis c.* 10. (5) *lib.* v. *cap.* 21. (6) *lib.* III. *Antiquarum Lectionum cap.* 1. (7) *lib.* v. *Antiquitatum Roman. cap.* 26, 27. 28. 29. 30. (8) *lib.* II. *de arte Gymnaſtica.* (9) *lib.* VIII. *Convivial. quæſt.* 6. (10) *cap.* II. (11) *Epiſtol.* 83. (12) *in Excerptis Schrevelii pag.* 910. (13) *lib.* XIV. *Epig.* 223. (14) *lib.* XIII. *Epigr.* 27.

Caſeus Hetruſcæ ſignatus imagine Lunæ,
Præſtabit pueris prandia † mille tuis.

Prandia, id eſt jentacula, ἀντιστομαχικῶς. Prandebant meridie, tribus inde horis merendam capiebant, veſperi cœnabant, lectum ingreſſuri commeſſabantur. Sed nec prandia quidem civium omnium fuerunt: ditiores forte prandebant, & qui domi ocio abundabant, aut qui nuptiarum ſolennia agitabant, ut nos docent *Plutarchus*[1], *Servius*[2], *Hieronymus Mercurialis*[3], *Philippus Beroaldus*[4], *Lambinus*[5]. Horatius[6]:

Pranſus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domeſticus otior. ——

Bis die ventrem onerare, in vitio ponit *Saluſtius*[7], & *Cicero*[8] ait, *nullo modo mihi placuit bis in die ſaturum fieri.* Cœnas vero ſive veſpernas, eaſque prolixas adornabant omnes, plerique comeſſationem adjungebant, ſi fortunæ lautioris eſſent. *Suetonius* de Vitellio[9]: *Præcipue luxuriæ ſævitiæque deditus, epulas trifariam ſemper, interdum quadrifariam diſpertiebat, in jentacula, prandia, cœnas & comeſſationes, facile omnibus ſufficiens, vomitandi conſuetudine.* Idem de Domitiano[10]: *Convivabatur frequenter & large, ſed pœne raptim: certe non ultra ſolis occaſum, nec ut poſtea comeſſaretur.* Cæterum ab ovis auſpicabantur, deſinebant pomis, itaque proverbio apud *Ciceronem*[11], & *Horatium*[12] dicitur: *Ab ovo uſque ad mala*, id eſt, ab initio cœnæ ad ejus finem uſque. Ovis addebant lactucam, ut appetitum in ſtomacho excitarent. Martialis[13]:

Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat avorum,
Dic mihi, cur noſtras inchoat illa dapes?

† Prandia puerorum ſobria erant, quæ illi ſumebant paulo poſt meridiem. Lucianus *Amor.* 905.

(1) *in Quæſtionibus Convivialibus l. d.* (2) *Commentar. ad lib.* IV. *Æneid. pag.* 321. (3) *lib.* II. *Variarum Lectionum c.* 21. *& lib.* IV. *cap.* 17. (4) *in Annotatis variis pag.* 269. (5) *Commentario ad Satyras Horatii pag.* 88. (6) *lib.* I. *Sat.* 6. (7) *Orat.* I. *ad Cæſarem.* (8) *Tuſculan.* 5. (9) *lib.* IX. *c.* 13. (10) *lib.* XII. *cap.* 21. (11) *lib.* IX. *Epiſt.* 20. (12) *lib.* I. *Sat.* 3. (13) *lib.* XIII. *Epigram.* 14.

Indicat, quod paulo ante illa tempora lactucæ fuerint cœnarum ultimum condimentum. Autor Moreti:

Grataque nobilium requies lactuca ciborum.

Nimirum *requies*, id eſt, coronis, qua abſolvebatur cœna. Et confer *Cœlium Rhodiginum*[1], *Levinum Lemnium*[2], *Johan. Bruerinum*[3].

II. Non ſedebant ad menſam, verum accumbebant,† idque more frequentato Orientis populis, ut bene diſſerunt *Caſaubonus*[4], *Thomas Bartholinus*[5], *Johan. Wilhelm. Stuckius*[6], *Menochius*[7]. Nec tamen ut Turci & Scythæ, qui ἀνάκλαξ, id eſt, genibus implexis vel per crucem dispoſitis humi aſſident, itaque *Flavius Blondus* Forolivienſis[8], non debuiſſet Turcorum accumbendi morem inſigniter diſſimilem, cum priſco Romanorum accubitu ſimilem facere, a quo diſcrepat multum. Quanquam eodem errore lapſus fuerit *Johannes Coraſius*[9]. In Cœnaculo menſa ponebatur, olim quadrata (ut monet *Varro*[10]) ſed poſteri adſciverunt rotundam. Quod menſæ rotundæ fuerint, teſtis eſt Juvenalis[11]:

Nam de tot pulchris & latis orbibus, & tam
Antiquis, una comedunt patrimonia menſa.

Orbes vocat menſas. Nec vero erant perfecte rotundæ, ſed ἡμικύκλια, uti deſcribit *Julius Pollux*[12], id eſt, lunæ dimidiatæ inſtar. *Semirotundum* appellat *Apulejus*[13], & ſenſu eodem *Sigma* dictæ ſunt. Martialis[14]:

Accipe lunatâ ſcriptum teſtudine Sigma,
Octo capit, veniat quiſquis amicus erit,

ex correctione *Scriverii* & *Farnabii*, quos ſequitur *Janus*

† Quæ antiqua conſuetudo ſemper placuit, ut liquet ex antiquo marmore apud J. Phil. Tomaſinum *de Teſſer. Hoſpit. c.* 18.

[1] *lib.* XIV. *Antiq. Lect. c.* 61. [2] *lib.* IV. *de occultis Nat. Miracul. c.* 42. [3] *lib.* VIII. *de re Cibaria c.* 4. [4] *Exercit.* 16. *ſect.* 22. *contra Baron.* [5] *Commentario Philologico de Paralyticis pag.* 39. 43. [6] *lib.* I. *Antiquit. Convivial. cap.* 33. *lib.* II. *c.* 34. [7] *lib.* III. *de Republica Ebræorum c.* 3. *quæſt.* 3. [8] *de Roma triumphante lib.* II. *fol.* 34. [9] *lib.* VI. *Miſcellaneorum c.* 10. *num.* 5. [10] *lib.* IV. *de LL.* [11] *Satyr.* I. [12] *lib.* VI. *Onomaſt. c.* I. [13] *lib.* V. *Mileſiar. pag.* 160. [14] *lib.* XIV. *Epig.* 87.





nus Guilhelmus Laurembergius [1], *Rulengerus* [2], *Gerhard. Johan. Voſſius* [3], & ante omnes illos ita refert *Petrus Crinitus* [4]. Nam Sigma Græcorum in vetuſtis Marmoribus eſt figuræ ejuſdem, ut Latinorum. C. Sidonius Apollinaris [5]:

Non tibi gemmatis ponentur prandia menſis,
Aſſyrius murex nec tibi Sigma dabit.

Rurſum Martialis [6]:

Stella, Nepos, Cani, Cerealis, Flacce venitis?
Septem Sigma capit, ſex ſumus, adde Lupum.

Et plebeji quidem tripedem menſam è vulgari ligno habebant, ditiores è ligno pretioſo, citrino imprimis, teſte *Plinio* [7]. Hoc ideo, ne cariem ſentirent. Perſius [8]:

——— *Non quicquid denique lectis*
Scribitur in citreis. ———

Martialis [9]:

Et citrum vetus, Indicoſque dentes.

Et [10]:

Gemmantes prima fulgent teſtudine lecti,
Et Mauruſiaci pondera rara citri.

Eandem ob cauſam vocat *Atlantica munera* [11], quod è Mauritania adferebantur. Lucanus [12]:

——— *Tantum Mauruſia genti*
Robora divitiæ, quarum non noverat uſum,
Sed citri contenta comis vivebat & umbra.

Vellejus [13], de Julii Cæſaris triumphis: *Gallici apparatus è citro.* Ubi *Torrentius* vult emendare, *è cedro*, adverſus quem recte diſputat *Voſſius* [14]. Erat lamina argentea obducta, quam pes eburneus fabrefactus in pardi aut leonis ſpeciem ſuſtinebat. Horatius [15]:

——— *Non ebur, neque aureum*
Mea renidet in domo lacunar.

[1] *in Antiquario pag.* 419. [2] *lib.* I. *de Conviviis c.* 33. [3] *in Lexico Etymologico pag.* 531. [4] *lib.* XIX. *de Honeſta Diſciplina c.* 10. [5] *Carm.* 17. [6] *lib.* X. *Epigr.* 48. [7] *lib.* XIII. *cap.* 15. [8] *Sat.* I. [9] *lib.* X. *Epig.* 98. [10] *lib.* XII. *Epig.* 67. [11] *lib.* XIV. *Epig.* 89. [12] *lib.* 9. *Pharſal.* [13] *lib.* II. [14] *Notis b. l. pag.* 184. *in Thyſii catalectis.* [15] *lib.* II. *Carm.* 18.

Lectos eboratos commemorat *Plautus* [1], & prolixius multo Juvenalis [2]:

——— *Putere videntur*
Unguenta atque roſæ, latos niſi ſuſtinet orbes
Grande ebur, & magno ſublimis pardus hiatu
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syënes.

Unguenta & roſæ pertinent ad delicias illas, quas notabimus *infra* [3]. Et confer *Johannem Meurſium* [4]. Et porro *lati orbes* ſunt Menſæ rotundæ. *Ebur* diſerte nominat, & præterea deſcribit verbis iſtis, *dentibus ex illis*. Elefas frequens bellua apud Mauros, Abaſſinos, Indos.

III. Circa Menſam tres plerumque Lectuli erant diſpoſiti, unde *Triclinii* nomen eſt, (de qua re vide *Joachimum Camerarium* [5], & in quolibet Triclinio erant tres discubitus, itaque discubitus omnes erant novem, tot enim convivas, & non plures habere licebat. Interior discubitus, qui menſam contingebat, *ſponda* vocata eſt, exterior vero, qui parietem reſpiciebat, *plutei* nomen habuit, medius peculiari nomine caruit, eratque hic pro delicatulis. Præterea Lecti parte illa, in qua caput recumbebat, & ubi pulvinus deponebatur, eminentem pluteum ex aſſeribus compactum erigere ſolebant, atque hoc erat ἀνακλιντήριον, quod vocabulum in Latio uſurpat *Spartianus* [6], & confer ibidem *Notata Salmaſii* [7]. Martialis [8]:

Exciduntque ſenem, Sponda qui parte jacebat,
Namque puer Pluteo vindice tutus erat.

Inſternebantur aulæis, purpura, ſtragula qualicunque, pro dignitate & opibus patris familias. Non accumbebant, niſi ante mutaviſſent togas cum veſtibus, quas vocabant *cœnatorias*: *Syntheſin* vocat *Martialis* [9], de quo porro vide *Turnebum* [10], *Juſtum Lipſium* [11], *Johan. Brodaum*

[1] *in Sticho Act.* 2. *ſc.* 3. [2] *Sat.* 11. [3] *diſt.* 5. 6. [4] *de Luxu Romanorum c.* 3. 7. 9. 12. 13. [5] *in Quæſitis promiſcuis pag.* 70. [6] *in vitâ Ælii Veri cap.* 5. [7] *pag.* 117. [8] *lib.* III. *Epigr.* 90. [9] *lib.* II. *Epigr.* 46. *lib.* X. *Epigr.* 29. *& ſæpius alibi.* [10] *lib.* XXIII. *Adverſar. cap.* 19. *lib.* XXVII. *cap.* 18. [11] *lib.* I. *Saturnalior. cap.* 2.

dæum[1], χιτώνιον eſt apud *Xiphilinum*[2]. Erat læna de lino confecta. Locus eſt *Marci*[3], περιβεβλημένος σινδόνα ἐπὶ γυμνῷ. *Nam* σινδόνα *eſt de veſtibus accubitoriis, adeoque erat adoleſcens ille de contubernio Chriſti, apud quem cœnam Dominicam perceperat, & fortaſſe veſtimenta de more gentis cum cœnatoriis mutaverat*, ait *Octavius Ferrarius*[4]. Multa hic dubia ſunt. Neque enim facile probaverit quiſpiam, hunc curioſulum ſpectatorem fuiſſe de contubernio Chriſti. Sane *Baronius*[5], & cum illo *Spondanus*[6] putant, fuiſſe Johannem Euangeliſtam, ſecuti *Ambroſium*, *Gregorium*, *Bedam*, qui tale quid olim ſuſpicati fuerunt. Atqui non poterat ille eo tempore nudus eſſe, quando recens conviva Domini abeuntis veſtigia legebat, & inter eos demum fuit, de quibus ſcribitur, *tunc deſerebant eum omnes Diſcipuli & fugiebant*, Marci[7]. EXCIPIT Spondanus: *Cœnatoriam veſtem habebat pro amictu, de veſtibus aliis ſumendis, quia nox erat, non cogitabat.* RESPONDEO: De adoleſcente illo agitur, qui nihil veſtium habebat in corpore, & vero nudos accubuiſſe veteres, ſomnium eſt. Nam veſtes cœnatorias induebant, ut fatetur *Spondanus*, ita illi veſtitum eſſe & nudum eſſe, perinde eſt. Induebant vero ſyntheſes, ut illas tunicis ſuperinjicerent, togis ſolum depoſitis. Porro hoc etiam probare debebat Ferrarius, *eſſe geſta ſub finem cœna.* Quin potius ſub initio noctis contigerunt. Eſt deſcriptio amiculi alicujus, ſive potius linei pro amiculo aſſumpti è toralibus, quibus cubiculares lecti concinnabantur. De quo porro diſſerunt *Caſaubonus*[8], *Gerhardus*[9], *Balduinus Walæus*[10], *Daniel Claſenus*[11]. Ad rem facit illud Petronii[12]: *Cœnatoria repetimus & in proximam cellam ducti ſimus, in*

[1] *lib.* VI. *Miſcellan. cap.* 7. [2] *in Epitoma Dionis lib.* 63. [3] XIV. 51. [4] *lib.* 1. *de Re Veſtiaria cap.* 31. [5] *Tom.* 1. *Annal. A. C.* 34. *num.* 68. [6] *in Epitoma Annal. pag.* 31. [7] XIV. 50. [8] *Exercit.* 16. *ſect.* 66. [9] *in Harmonia Paſſionis cap.* IV. *pag.* 46. [10] *Commentario perpetuo ad Euangelia pag.* 476. [11] *Exercitationibus ſacris ad Paſſionem Dominicam lib.* 11. *cap.* 7. [12] *in Satyrico pag.* 67.

qua tres lecti ſtrati erant. Calceos detrahebant pedibus, ne toralia ſive lectos macularent. Martialis[1]:

Depoſui ſoleas. ———

Eos aſſervabant ſervuli adſtantes, reddebantque alias ſoleas pro uſu illo una allatas, quæ citra obſtragulum erant & ligulis in parte ſuperiori pedis obſtringebantur. Terentius[2]:

Accurrunt ſervi, ſoccos detrahunt,
Video alios feſtinare, lectos ſternere,
Cœnam apparare. ———

Horatius[3]:

Et ſoleas poſcit. ———

& vide eundem[4], *Martialem*[5], *Turnebum*[6]. Subjungebant preces, & commendabant Deo menſas. Quintilianus[7]: *Adiſti menſam, ad quam cum venire cœpimus, Deos invocamus.* Deorum ſimulacra coram adducta ſtabant. Arnobius[8]: *Sacras facitis menſas ſalinorum appoſitu & ſimulacris Deorum*, & *Stewechius*[9], *Deſiderius Heraldus*[10], *Jacobus Pontanus*[11]. Itaque Sal etiam erat religionis domeſticæ particula, ut docet *Euſtathius*[12]. Horatius[13]:

Ante Larem proprium veſcor, venaſque procaces
Paſco libatis dapibus. ———

Libatæ dapes ſunt, quarum portio miſſa ad focum erat, ut combureretur in honorem Larium, *ſupra*[14].

IV. Modus accumbendi erat ille: Accumbebant reclinata ſuperiore parte corporis in cubitum ſiniſtrum, ut liberam & exſertam habere poſſent dexteram: inferiore ad longum porrecta ac jacente, capite leviter arrecto, dorſo a pulvillis ſubſtratis modice ſublevato, uti monſtrant *Inſcriptio* Auguſtana apud *Petrum Appianum*[15], &

(1) *lib.* III. *Epigr.* 49. (2) *in Heautontimor. Act.* I. *ſc.* I. (3) *lib.* II. *Sat.* 8. (4) *lib.* I. *Epiſt.* 13. (5) *lib.* XIV. *Epigr.* 65. (6) *lib.* XXIV. *cap.* 17. *lib.* XXX. *cap.* 38. (7) *Declamat.* 301. (8) *lib.* II. *pag.* 91. (9) *Notatis ad h. l. pag.* 82. (10) *Annotatis ibid. pag.* 118. (11) *in Atticis Bellariis* 328. (12) *Commentar. ad lib.* I. *Iliad.* (13) *lib.* II. *Sat.* 6. (14) *lib.* I. *cap.* IV. *diſt.* 3. (15) *in Collectaneis pag.* 435. 458.

& alia Romana in ædibus Cæſii, quam exhibet *Joh. Jac. Boiſſardus*[1]. Martialis[2]:

Cubitis trudit hinc & inde convivus,
Effultus oſtro, ſericiſque pulvinis.

Horatius[3]:

Et cubito remanete preſſo.

Et[4]:

Languidus in cubitum jam ſe conviva reponet.

Is, qui primus & ad caput lectuli in quocunque triclinio accumbebat, ſummus erat. Apulejus[5]: *Accumbebat ſummum thorum maritus.* Proximus ad ſinum recumbebat, & qui recumbebat ad pedes, infimus erat. *Suetonius* de Caligula[6]: *Sorores ſuas pleno convivio ſingulas infra ſe collocabat, uxore ſupra cubante.* De quo loco videris *Juſtum Lipſium*[7]. Nimirum uxori ſupra ſe cubanti digniorem locum aſſignabat: ſorores ſuas, quas familiarius, ac fratrem decebat, amabat, infra ſe ponebat: ipſe vero inter eas loco medio accubuit, molliſſimo illo & pro ſuaviſſimis amicis reſervato. Locus eſt *Johan.*[8] (ubi prolixe annotat *B. Walæus*[9]) ἦν ἀνέπεσεν ἐν τῷ δείπνῳ ὅπου τὸ στῆθος αὐτοῦ. Sonat de medio diſcubitu. Catullus[10]:

Aſpice imus ut accubans,
Vir tuus Tyrio in toro,
Totus immineat tibi.

Sic enim legi vult *Scaliger*, & defendit *Livinejus*[11], ubi explicat, *imus id eſt extimus, in ſponda exteriori.* Quæ prorſus incongrua ſunt, imus enim accubabat ille, qui ad pedes accubabat: nunquam vero factum eſt, ut maritus imus accubuerit, id eſt, infra uxorem, nec enim in ſinu ſubjectam eam fovere potuiſſet. Itaque *Gerhardus* legit, *aſpice unus ut accubans.* Juvenalis[12]:

Signatæ tabulæ, dictum feliciter, ingens

Cœna

(1) *part.* 3. *Antiquitat. Rom. fol.* 81. (2) *lib.* III. *Epigr.* 81. (3) *lib.* I. *Carm.* 27. (4) *lib.* II. *Sat.* 4. (5) *lib.* VI. *Mileſiar. pag.* 183. (6) *lib.* IV. *cap.* 24. (7) *in Annotatis ad Tacitum lib.* II. *Annal. num.* 10. (8) XXI. 20. (9) *Commentario perpetuo ad Euangelia pag.* 949. (10) *Epig.* 62. (11) *Notis ad h. l. pag.* 18. (12) *Sat.* 2.

Cœna ſedet, gremio jacuit nova nupta mariti,

Et Ovidius[1]:

Ne premat ille ſuis ſinito tua colla lacertis,
Mite nec in rigido pectore pone caput.

Certiſſima lectio eſt, quam *Salmaſius* perſuadet, cumque illo Simon Abbes:

Aſpice intus & accubans,
Vir tuus Tyrio ut toro,
Totus immineat tibi.

Intus, id eſt, in ſinu mariti, cui totus imminet maritus utpote ſupra accumbens. Antequam accumberent, lavabant manus, ſæpe etiam pedes, ut ſqualores & illuvies demerentur, ac ſpiritus vitales refocillarentur. *Virgilius* in convivio Didonis[2]:

Dant manibus famuli lymphas. ——

Exempla ſunt in *Literis Sacris*, *Geneſ.*[3], *Judic.*[4], 2. *Sam.*[5], *Luc.*[6], 1. *Timoth.*[7]. Locus eſt *Marci*[8]: ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας οὐκ ἐσθίουσι, de quo vide laborantem *Scaligerum*[9]. Plautus[10]: *Locus hic tuus eſt, hic accumbe, ferte aquam pedibus.* Nam quod hic *Lambinus* annotat, *ridet lenonem, itaque dicit pedibus, non manibus*, non pertinet ad rem. Veteres accubituri manus pedeſque lavabant, ne pulveroſis pedibus inquinarent ſtrata. Petronius[11]: *Diſcubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus, aliiſque inſequentibus, ad pedes.* Ποδονιπτὴς eſt in convivio Phoci, quod deſcribit *Athenæus*[12], & confer *Balduinum Walæum*[13].

V. Nec lavabant tantum, ſed quoque caput ungebant, more petito ab Oriente, *Pſalm.*[14]. Propertius[15]:

Terque lavet noſtras ſpica Ciliſſa comas.

Spica Ciliſſa eſt Nardum Syriacum, ut exponit *Hieron. Mercurialis*[16]. Locus eſt *Marci*[17]: ἀλάβαστρον μύρου Νάρδου

(1) *lib.* 1. *Amorum Eleg.* 4. (2) *lib.* 1. *Æneid.* (3) XVIII. 4. *cap.* XIX. 2. *cap.* XLIII. 24. (4) XIX. 21. (5) XI. 8. (6) VII. 44. (7) V. 10. (8) VII. 3. (9) *in Elencho Tribæreſii cap.* 7. (10) *in Perſa Act.* 5. *ſc.* 2. (11) *in Satyrico pag.* 50. (12) *lib.* XIV. (13) *Commentario perpetuo ad Euangelia pag.* 945. (14) XXIII. 5. CIV. 15. (15) *lib.* IV. *Eleg.* 6. (16) *lib.* VI. *Variar. Lect. cap.* 7. (17) XIV. 4.

δι πιστικῆς πλυπελῶς. Valde hic deſudant Viri docti. *Scultetus* ſcribit [1] : *Grammaticorum alii* πιστικὸν *derivant a* πίειν, *ut Nardus potabilis intelligatur: Alii* πιστικῆς *pro* ἀμικάτης *ſcriptum, Latinamque vocem ſpicati pro Græca ab Euangeliſta poſitam eſſe ſuſpicantur, cum nihil de piſtica Nardo in claſſicorum Autorum libris reperiatur. Alii a* πιστὸς *deducunt* πιστικὸν. *Omnia fruſtra. Nam a* πεῖν *quomodo veniat* πιστικὴ ? *quod ſi a fide ſit dicta,* πιστὸς *ſive* πιστὴ *fuerit, non vero* πιστικὴ. Ordine educemus ſententias illas. Quod ſit a πεῖν dicta contendunt *Beza* [2], *Caſaubonus* [3], *Maldonatus* [4], & teſtimonia *Plinii*, *Horatii*, *Æſchyli*, *Athenæi* proferunt, ubi ſit Νάρδῳ ὡρῷς πότον. Verum quia de potu non agitur, manifeſta ratio eſt, quod de potulenta Nardo haut poſſit ſermo eſſe. Ad metatheſin recipiunt ſeſe *Camerarius* [5], *Caſtalio* [6], *Gerhard. Johann. Voſſius* [7], *Grotius* [8], ut ſit precioſum unguentum de ſpicis Nardi confectum פיסתקא pro ספיקטא. Durius aliquanto, & præter conſuetudinem divinorum Scriptorum. A verbo πίστις derivant *Salmaſius* [9], *Caſaubonus* [10], *Valla*, *Vatablus*, *Strigelius* [11], *Toletus* [12], *Daniel. Heinſius* [13], *Jacobus Stoer* [14], *Chriſt. Becmannus* [15], *Balduinus Walæus* [16], & omnibus illis prior *Theophylactus*, ut πιστικῆς dictum paragogice pro πιστῆς, id eſt, bonæ fidei ἀδόλῳ καὶ μὴ πίστεως κατασκευαζθείσα. Quærit Sculetus, *an* πιστικὴ *deduci poſſit a* πίστις, *& non potius* πιστὴ *ſit?* RESPONDEO: non diſſimulant Autores optimi quod derivatio illa bona ſit. Πιστικὸν οἴκουρον fidelem matremfamilias, dicit *Artemidorus Daldianus* [17], πιστικοὶ ſunt gubernatores, quorum fidei cura totius navis committitur [18]. Ma-

(1) *in Exercitat. Euang pag.* 121. (2) *in Notis ad h. l. pag.* 205. (3) *in Notis ibid. pag.* 399. (4) *Commentario h. l.* (5) *in Notis ad Marcum pag.* 135. (6) *Notis ibid. pag.* 436. (7) *in Harmonia Euangelica lib.* 1. *pag.* 28. (8) *in Notis pag.* 581. (9) *in Exercitationibus Plinianis pag.* 165. (10) *Exercitat.* 24. *adv. Baron. num.* 13. (11) *Notis ad h. l.* (12) *Commentario ad Johannem cap.* XII. *pag.* 978. (13) *Ariſtarcho ad Nonnum pag.* 449. (14) *in Lexico Juris pag.* 641. & 746. (15) *de Originibus LL. pag.* 720. (16) *Commentario perpetuo ad Euangelia p.* 933. (17) *lib.* 11. *cap.* 33 *Oniorocrit.* (18) *lib.* 111. *Cod. de Naufrag.*

Mavult *Scultetus*, ut πιστικὴ ſit per aphæreſin velut ὀπιστικὴ, id eſt, Nardum allatum ex Opi vico Babyloniæ, præſtantiſſimum illud, de quo teſtentur *Strabo* [1], *Athenæus* [2], *Julius Pollux* [3]. Accepit ab *Johanne Hartungo* [4], & retinet *Quisdorpius* [5]. Sed non congruit ad leges Grammaticorum. Eſt enim ὀπιωδὸν ab ὄπι non etiam ὀπιστικὸν. *Nardum purum* vocat *Tibullus* [6]. † *Nardum ſincerum* Plinius [7]. Huc pertinet locus Eccleſiaſt. [8]: *Omni tempore ſunto veſtimenta tua candida, & oleum infuſum capiti tuo ne deficito.* Hortatur ad lætitiam, quæ per convivia regnare ſolet. Oleum eo ſenſu, quo dictum eſt, & veſtimenta alba pertinent ad ferias, *infra* [9]. Denique Horatius [10]:

——— *Funde capacibus*
Unguenta de conchis. ———

Et [11]:

Cur non ſub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes ſic temere, & roſa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Aſſyriaque Nardo,
Potamus uncti? ———

Catullus eodem ſenſu [12]:

Nam unguentum dabo, quod meæ puellæ
Donarunt Veneres, Cupidineſque.

Convivatorem, qui ſolum unguentum ex more præbebat, cæterum convivas famelicos dimittebat, ridet Martialis [13]:

Unguentum fateor bonum dediſti
Convivis here, ſed nihil ſcidiſti,
Res ſalſa bene olere & eſurire.

Scidiſti eſt verbum conviviale. Scindebantur obſonia, ut convivis dividerentur, qui ergo nihil ſcindebat, is nihil dividebat. VI. Per-

† Ulpianus *l.* 21. §. 1. *de Aur. arg. leg.*

(1) *lib.* XVI. *Geograph.* (2) *lib.* XV. *cap.* 24. (3) *lib.* XVI. *cap.* 19. (4) *in Locis memorabilibus pag.* 718. (5) *Notis ad Matth. pag.* 98. (6) *lib.* II. *Eleg.* 2. (7) *lib.* XIII. *c.* 1. (8) IX. 8. (9) *cap.* V. *diſt.* 8. (10) *lib.* II. *Carm.* 7. (11) *Carm.* 11. (12) *Epig.* 13. (13) *lib.* III. *Epig.* 12

VI. Pergit Horatius [1]:

——— *Qui udo*
Deproperare apio coronas,
Curatve myrto?

Unde patet, quod etiam coronas impoſuerint, nimirum ut ſe adverſus vini vires præſervarent, quas odoramentorum virtus diminuere poſſet. Virgilius [2]:

Serta procul capiti tantum delapſa jacebant.

Deſcribit Silenum ebrium, qui capite excuſſa ſerta abjecerat. Utrumque conjungit Lucanus [3]:

Accipiunt ſertas nardo florente coronas,
Et nunquam fugiente roſa, multumque madenti
Infudere comæ, quod nondum evanuit aura
Cinnamon, externa nec perdidit aëra terra.

Rurſum Horatius [4]:

Quis multa gracilis te puer in roſa
Perfuſus liquidis urget odoribus?

Et [5]:

I pete unguentum puer, & coronas.

Et [6]:

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore, terræ quem ferunt ſolutæ.

Caput impedire myrto eſt ſerta myrtea imponere capiti, & nitidum eſt λιπαρὸν ſive unguentis delibutum, quomodo *Plautus* [7] dicit: *ut oleo nitide nitet.* Anacreon [8]:

Ἐμοὶ μέλῃ μύροισι
Καταβρέχειν ὑπήνην,
Ἐμοὶ μέλῃ ῥόδοισι
Καταστέφειν καρηνα.

Tibullus [9]:

Jamdudum Tyrio madefactus tempora nardo,
Debueram ſertis implicuiſſe comas.

Ubi *Douſa* legit, *Syrio*. Odores enim laudatiſſimi è Syria afferebantur, itaque *Aſſyria nardus* eſt apud *Horatium*

(1) *lib.* II. *Carm.* 7. (2) *Bucolic.* 6. (3) *lib.* X. *Pharſal.* (4) *lib.* I. *Carm.* 5. (5) *lib.* III. *Carm.* 14. (6) *lib.* I. *Carm.* 4. (7) *in Trinummo.* (8) *in Hymnis.* (9) *lib.* V. *Eleg.* 6.

tium [1], & apud eundem *malobathro Syrio* [2]. Aſſyrium amomum laudant *Virgilius* [3], *Martialis* [4]. Ab iiſdem locis eſt Balſamus, de quo nobiliſſimo unguento multa profert *Juſtinus* [5], ubi inter alia hæc verba ſunt: *Spacium loci ducenta jugera, nomine Arcus dicitur.* Debet legi, *Iericus dicitur*, ut bene monent *Bongarſius* [6], & *Salmaſius* [7]. De Hiericunte odorum fertili diſtrictu vide etiam *Plinium* [8], *Solinum* [9], *Strabonem* [10]. Suetonius [11]: *Indicebat & familiaribus cœnas, quorum uni mitellita quadragies ſeſtertio conſtitit, alteri pluris aliquanto roſaria. Roſaria* ſunt corollæ roſaceæ, quas precioſis unguentis adſpergebant. Alias de Nardi foliis quoque erant, ut teſtantur *Martialis* [12], *Plinius* [13], & confer *Salmaſium* [14]. Nec ipſi tantum ſeſe, verum pocula quoque coronabant, tum hilaritatis convivialis, tum libationis cauſa. Virgilius [15]:

Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant.

Et [16]:

Tum pater Anchiſes magnum cratera corona
Induit, implevitque mero. ——

Et [17]:

Crateras læti ſtatuunt, & viva coronant.

Tibullus [18]:

—— *Coronatus ſtabat & ipſe calix.*

Lucretius [19]:

Hoc etiam faciunt, ubi diſcubuere, tenentque
Pocula ſæpe homines, & inumbrant ora coronis.

& confer *Johan. Baptiſtam Portam* [20].

VII. Sequitur apud Horatium [21]:

—— *Quem Venus arbitrum*
Dicet bibendi. —— Eli-

(1) *lib. Carm.* II. (2) *lib.* II. *Carm.* 7. (3) *Bucolicor.* 4. (4) *lib.* VIII. *Epigr.* 77. (5) *lib.* XXXVI. (6) *Notis h. l. pag.* 68. (7) *in Exercitationibus Plinianis pag.* 583. (8) *lib.* XII. *cap.* 25. (9) *in Polyhiſtore cap.* 38. (10) *in Geographia lib.* XVI. (11) *lib.* VI. *cap.* 28. (12) *lib.* III. *Epig* 65. (13) *lib.* XXI. *cap.* 3. (14) *Notis ad h. l. Suetonii in variis Collectaneis Schildii pag.* 592. (15) *lib.* I. *Æneid.* (16) *lib.* III. *Æneid.* (17) *lib.* VII. *Æneid.* (18) *lib.* II. *Eleg.* 5. (19) *lib.* III. (20) *in Villa lib.* IX. *cap.* 44. *lib.* X. *cap.* 30. (21) *l. d.*

Eligebatur συμποσιάρχος vel Modimperator, (ut vocant *Nonius Marcellus*[1], *Plinius*[2]) qui prout Convivæ cupiebant, vel ad ſummum vel eo minus infundi curaret, præcaveretque ne quis ultra vires a proximo invitatus poculis obrueretur, *Aulus Gellius*[3]. Huc pertinet illud Ciceronis[4]: *Me vero & magiſteria delectant, a majoribus inſtituta, & is ſermo, qui more majorum a ſummo adhiberetur Magiſtro in poculo.* Sic ille. Hic quoque mos a Græcis eſt, ut teſtantur *Plutarchus*[5], *Athenæus*[6], *Salmaſius*[7]. Rurſum Horatius[8]:

Nec Regna vini ſortiere talis.

Itaque vel ſortito obveniebat magiſterium iſtud, vel convivarum rogato voto accipiebatur. Nam *talis* hic eſt pro *teſſeris*, adeoque impingit *Franciſcus Luiſinus*[9], ubi hoc negat, & mavult, *vini talis*, id eſt, *tam ſuavis & grati.* Quod prorſus rejiciendum eſt, nam de teſſeris confirmatio alio loco Horatius[10]:

— *Quem Venus arbitrum Dicet bibendi?* —

Venus, id eſt, Veneris jactus, ut exponitur *infra*[11], & confer *Theodorum Pulmannum*[12]. Sorte eligebatur, ut invidia careret ille poculorum diribitor, ac dabatur ei ſignum rei bene gerendæ Corolla. Plautus[13]: *Do hanc tibi florentem florenti, tu hic eris dictatrix nobis.* Annotat Janus Gruterus: *Ut in conviviis Magiſter aliquis crearetur, Hebræis quoque uſitatum fuiſſe colligo ex Syrachide cap.* XXXII. 1. *Si ſummus convivii es conſtitutus, ne te ſupra alios efferas.* Laudant *Taubmannus*[14], *Urſinus*[15], *Julius C. Bulengerus*[16]. Sed vero fuiſſe hunc morem Judæorum, nuſpiam legitur. Græca ita ſonant, ἡγεμόνα σε κατέστησαν, *magiſtratum conſtituerunt te*, nempe cives

(1) *de Proprietate Sermonum cap.* 2. *num.* 565. (2) *lib.* XIV. *cap.* 22. (3) *lib.* XV. *cap.* 2. (4) *de Senectute.* (5) *lib.* 1. *Convivial. quæſt.* (6) *lib.* X. *Dipnoſophiſt.* (7) *Obſervationibus ad Jus Atticum & Romanum pag.* 74. (8) *lib.* 1. *Carm.* 4. (9) *lib.* III. *Paregor. cap.* 38. (10) *lib.* II. *Carm.* 7. (11) *cap.* IV. *diſt.* 3. (12) *Notis ad Horatium pag.* 10. (13) *in Perſa Act.* V. *ſc.* 1. (14) *Commentar. ad h. l. pag.* 1001. (15) *in Analectis lib.* VI. *q.* 40. (16) *lib.* 1. *de Conviviis pag.* 104.

tui, non in convivio, ſed in rebus civilibus gerendis. Nam quid illud, *ne effertor?* Scilicet Modimperator efferre ſe poterit adverſus convivas! Mox *coronæ* meminit, quæ bene meritis de Republica olim dari ſolebat pro conſuetudine Græcorum, ut porro adverſus *Maldonatum* diſſerit *Caſaubonus* [1]. Potabant ſolenniter, & ſæpe quidem bibebant ordine pocula tria, in honorem Gratiarum: alias quoque pocula novem, ob totidem Muſas. Horatius [2]:

Da Lunæ propere nova,
Da noctis mediæ: da puer Auguris,
Murenæ, tribus aut novem
Miſcentur cyathis pocula commodis,
Qui Muſas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates, tres prohibet ſupra
Rixarum metuens tangere Gratia
Nudis juncta ſororibus.

Erantque illa pocula honoraria, & *bibere ſalutaria* vocat *Apulejus* [3]. Nam præterea bibebant in honorem Deorum, Principum, Amicorum, & quas deperibant, Muliercularum. Tot vero cyathos evacuabant, quos literæ in nomine illo erant. Martialis [4]:

Nævia ſex cyathis, ſeptem Juſtina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.
Omnis ab infuſo numeretur amica falerno,
Et quia nulla venit, tu mihi ſomne veni

Adde eundem alibi [5], & *Commentarios Ramireſii* [6] Idque fiebat plurimum in menſis ſecundis. Duæ enim menſæ erant, una epularum altera poculorum. Virgilius [7]:

Non ego te menſis & Dis accepta ſecundis.

Diis ſecundis, id eſt, in quorum honorem veteres in menſis ſecundis propinabant, ut bene exponit *Franciſcus Lui-*

(1) *Exercit.* 13. *num* 29. (2) *lib.* III. *Carm.* 19. (3) *lib.* II. *Miletiarum pag.* 128. (4) *lib.* I. *Epig.* 62. (5) *lib.* VIII. *Epigr.* 51. *lib.* XI. *Epigr.* 37. 95. (6) *ad h. l. pag.* 105. (7) *Georg.* 2.

Luiſinus [1]. Græci dudum ante illos in honorem Principum bibebant, nec non Deorum & amicorum, ut teſtatur *Aſconius Pedianus* [2]. Κρατῆρα φιλοτήσιον vocat *Plutarchus* [3]. Jovis Olympii poculum celebrant *Pindarus* [4], & *Athenæus* [5]. ἔρωτ & ἀκρήτῳ θυμῷ *Theocritus* [6]. Et neſcio, an huc pertineat Joſephi poculum, unde is Regis ſui honoratam memoriam convivis propinaret, *Geneſ.* [7]. Multas expoſitiones convectavit *Johan. Gerhardus* [8]. Certe verba illa unice recte explicat Aben Esdras: *In eo divinat herus meus, quod fures ſitis.* Sequitur *Tremellius* in verſione, & retinent *Dilherrus* [9], *Michaël Chriſtianus Thirhoff.* [10]. De Romanis ita *Silius Italicus*, ubi Fabium Dictatorem, qui rem Romanam ſervaverat, deſcribit [11]:

Nec prius aut epulas aut munera grata Lyæi
Fas cuiquam tetigiſſe fuit, quam multa precatus
In menſam Fabio laticum libavit honorem.

Et rurſum [12]:

——— *Ante omnes ductor honori*
Nominis auguſto libat carcheſia ritu.

Auguſtum ritum vocat τὸν φιλοτησίαν & convivii Dominus faciebat initium poculi honorarii, προέπινε inquam. Ut Dido [13]:

Hic Regina gravem gemmis auroque poposcit,
Implevitque mero pateram, &c.
Dixit, & in menſa laticum libavit honorem,
Primaque libato ſummo tenus attigit ore.

Attigit ore, id eſt, προέπινε. Nimirum quando hoſpitem liberalius invitare vellent, poculum vini ζωρότερον & bibebant ipſi & convivæ dabant ut ebiberet, amicitiæ teſſeram aut ſubjectionis teſtimonium. φιλοτησίαν πίνειν eſt apud *Dionem Caſſium*. De Auguſto refert Horatius [14]:

(1) *lib.* 1. *Parergor. cap.* 7. (2) *ad Verrin.* 3. (3) *de Fortuna Alexandri.* (4) *Olympiis.* (5) *lib.* 11. *Dipnoſophiſtar.* (6) *Idyll.* 2. (7) XLIV. 5. (8) *Commentario ad h. l. pag.* 759. (9) *Tom.* 2. *Diſputat. Philolog. pag.* 33. (10) *Diſputatione Jenenſi de ſacris Judæorum vinculis ſect.* 2. *diſt.* 11. (11) *lib.* VII. (12) *lib.* XI. (13) *lib.* 1. *Æneid.* (14) *lib.* IV. *Carm.* 5.

—— Et alteris
Te menſis adhibet Deum.
Te multa prece, te proſequitur mero
Defuſo pateris, & Laribus tuum
Miſcet numen. ——

De Meſſala amico ſuo Tibullus [1]:

Et bene Meſſalam ſua quiſque ad pocula dicat,
Nomen & abſentis ſingula verba ſonent.

Derivatus eſt mos hauriendi pocula ſoteria plena & ζώγονες in Septentrionem. Ovenus Britannus [2]:

Una ſalus ſanis nullam potare ſalutem,
Non eſt in pota vera ſalute ſalus.

& confer *Danielem Heinſium* [3].

VIII. Peculiare erat quod in Deorum honorem portiones ciborum adolerent, & pariter libarent. De portionibus ciborum, quas ad Lares oblatas in foco adolebant, dictum eſt *ſupra* [4]. De libatione eſt in allatis è Virgilio:

—— In menſa laticum libavit honorem.

Vinum ita vocat, cumque libabant, ex patera leviter vini aliquid defundebant vel in menſam vel in terram. Virgilius [5]:

Duo rite mero fundens carcheſia Baccho
Fundit humi. ——

Exprimit hunc ritum libandi Plautus [6]:

Venus de paulo paululum hoc tibi dabo,
Haut lubenter, nam tibi amantes propinantes,
Vinum potantes dant omnes.

Et de tota re copioſe diſſerit *Scaliger* [7].

IX. Bibebant poculis aureis, cryſtallinis, murrhinis, ut ait *Capitolinus* [8]. De cryſtallinis & murrhinis ſunt teſtimonia Poëtarum, quod magni precii & æſtimationis ſummæ vulgo eſſent. Juvenalis [9]:

Gran-

(1) *lib.* 1. *Eleg.* 1. (2) *lib.* 11. *Epigramm. ad Mariam Neville num.* 42. (3) *Notis ad Silium Italicum pag.* 103. (4) *lib.* 1. *cap.* 4. *ſect.* 3. (5) *lib.* v. *Æneid.* (6) *in Curculione Act.* 1. *ſc.* 2. (7) *Commentario ad Feſtum*, vocabulo *Menſa.* (8) *in Vita Antonini Pii.* (9) *Sat.* 6.

Grandia tolluntur cryſtallina, maxima rurſus
Myrrhina. ——.

Et Martialis [1]:

Opimia num morionibus nectar
Cryſtalliniſque murrhiniſque propinat.

Et [2]:

Et turbata brevi queſtus cryſtallina vitro
Myrrhina ſignavit, ſepoſuitque decem.

Scribit hac occaſione Bayfius [3]: *Cryſtallum fieri ajunt gelu vehementiore concreto, argumento eſſe, non reperiri alibi, quam ubi nives hybernæ maxime regnant, glaciemque eſſe.* Nos de re illa prolixius dicemus *in Phyſicis Inſtitutionibus*, adeoque ſententiam eam, quam *Bayfius* profert, tuentur *Conimbricenſes* [4], *Joh. Velcurion* [5], *Julius Scaliger* [6], *Fortunius Licetus* [7], *Johann. Camers* [8], *Chriſt. Becmannus* [9], *Bulengerus* [10]. Atqui negamus cum *Hieronymo Cardano* [11], *Athanaſio Kirchero* [12], *Salmaſio* [13], *Gerh. Johan. Voſſio* [14], quod Cryſtallus ſit aqua conglaciata, & probat effectus, quia aquis injecta mergitur ſtatim, ſecus ac glacies duriſſima, quæ ſemper innatat aquis. Murrhina ab Oriente primus attulerat Pompejus, victor Orientis, inque triumpho dedicaverat Jovi Capitolino, inde protinus ad uſum communem tranſiverunt, dicente *Plinio* [15]. Hodie Murrhina prorſus ignorari, contendunt *Bulengerus* [16], *Pancirollus* [17], *Raderus* [18], *Marcellus Donatus* [19]. Veruntamen *Scaliger* [20], *Salmaſius* [21], *Janus Guilhelmus Laurenbergius* [22], *Gerh. Johan.*

(1) *lib.* III. *Epigr.* 81. (2) *lib.* IX. *Epigr.* 60. (3) *libro de Vaſculis pag.* 125. (4) *Tract.* 7. *de Meteoris cap.* 5. (5) *lib.* III. *Phyſic. cap.* 15. (6) *Exercit.* 119. (7) *de Spontaneo Viventium ortu lib.* IV. *cap.* 68. (8) *Commentariis ad Solinum pag.* 144. (9) *de Originibus Linguæ Latinæ pag.* 382. (10) *lib.* IV. *de Conviviis pag.* 370. (11) *lib.* VII. *de Subtilitate pag.* 204. (12) *lib.* I. *de Magnete p.* 6. (13) *Exercitat. ad Solinum pag.* 204. (14) *in Lexico Etymologico pag.* 366. (15) *lib.* XXXVII. *c.* 2. (16) *lib.* IV. *de Conviviis cap.* 13. (17) *in Opuſculo de veteribus Amiſſis cap.* 7. (18) *Commentario ad Martialem lib.* III. *Epigr.* 82. (19) *in Dilucidationibus ad Suetonium pag.* 483. (20) *Exercit.* 92. (21) *in Exercitationibus Plinianis p.* 940. (22) *Antiquario p.* 287.

Voſſius [1], *Hieron. Cardanus* [2] cenſent, Porcellana noſtra eſſe, quæ Veteres appellaverint *Murrhina*, quocunque modo ea confici illi referant. Propertius [3]:

Murrheaque in Parthis pocula cocta focis.

ubi confer *Gabbema* [4]. Forte quod Parthi cum Seribus commercia habuerunt, ac Murrheam terram inde petitam, ad poculorum juſtum uſum redegerint. Seres hodie vocamus Chinæ incolas, & de vaſorum Porcellanorum confectione vide *Johan. Hugonem Linſchoten* [5], *Petrum Bertium* [6], *Jacobum Gretſerum* [7], ubi refellit *Ludovicum Mercatum* [8], qui docet, poculorum horum materiam fuiſſe ex Myrrha arbore inciſa fluentem, inque maſſam coagmentatam, coloribus ad ſpeciem inductis per artificem vaſorum illorum fictorem: Myrrham vero eſſe, quæ hodie ab Indis Orientalibus vocatur *Benſui*, & deſcribitur a *Carolo Cluſio* [9]. *Plinii* verba ſunt: *Oriens Myrrhina mittit. Inveniuntur enim ibi in pluribus locis, nec inſignibus, maxime Parthici regni, præcipue tamen in Carmania. Humorem eſſe putant, ſub terra denſatum a calore. Amplitudine nuſquam parvos excedunt abacos, craſſitudine raro quanta dictum eſt neceſſaria vaſi potorio: ſplendor his ſine viribus, nitorque verius quam ſplendor. Sed in precio varietas colorum, ſubinde circumagentibus ſe maculis in purpuram candoremque & tertium ex utroque igneſcentem, velut per tranſitum coloris purpura rubeſcente, aut lacte candeſcente. Sunt qui maxime in his laudent extremitates, & quoſdam colorum repercuſſus, quales in cœleſti arcu ſpectantur. His maculæ pingues placent. Tranſlucere quicquam aut pallere, vitium eſt. Idem ſales verrucaque non eminentes, ſed ut in corpore etiam plerumque ſeſſiles. Aliqua & in odore commendatio eſt.* Hæc ille. Annotat Cardanus: *Ergo quis non videt, figulina hæc eſſe, & ejus generis, quod ut dixi ho-*

(1) *in Lexico Etymologico pag.* 333. (2) *lib.* v. *de Subtilitate fol.* 143. (3) *lib.* IV. *Eleg.* 5. (4) *in Notis pag.* 803. (5) *Navigat. in Indiam Orientalem pag.* 26. (6) *in Tabulis Contractis lib.* VI. *pag.* 741. (7) *de Vino myrrhato cap.* VI. (8) *de Foſſilibus.* (9) *in Hiſtoria Plantarum Exoticarum pag.* 117.

hodie Porcellanas *ſolemus appellare. Conſtant enim & hæ ex ſucco quodam ſub terra denſato, & ex Oriente vehuntur. At noſtra pallidiora ſunt & odore carent, & quæ ex his etiam tra-ſlucent, magis probantur, ſoliſque ac imaginibus placent, nullumque purpuræ veſtigium, quæ omnia videntur ab antiqua Myrrhina diſſidere. Verum temporum varietas & opificum, tum uſus hoc pepererunt. Nam precium fecit copiam, dum multitudinem augere ſtudent, cum vero materia deeſſet nobilior, aliam ſuppoſuerunt, inde excogitata pictura reſarciendæ vilitatis cauſa, ita honos ac ſinceritas vaſis deceſſit. Aut enim vilior materia, aut non adeo elaborata, aut vaſa ipſa ante tempus eruta, ob lucri cupiditatem moræ impatientibus, utcunque ſe res habeat, & precium, & locus, & materia, & modus, quo fiunt, eadem eſſe docent hæc Murrhinis. Nunc longo Indiæ tractu fiunt ex conchyliorum atque ovorum corticibus, ſepeliunturque conſtanti famæ in octoginta vel centum annos, quaſi hæreditarium loco. Inde eruta obducuntur vitro ne combibant. Succi autem, quibus cortices excipiuntur, non ſatis noti ſunt. Pinguntur etiam, antequam vitrum ſuperaddatur. Incertum eſt, an excoquantur, ob nitorem ac duritiem. Majore in precio ſunt, ſed multum ab antiquis degenerant.* Hæc ille [1]. De aureis & argenteis poculis ſunt omnia vulgata. Neque illa tantum adhibita, gemmas addiderunt. *Pocula gemmata* ſunt apud *Juvenalem* [2], & *potare gemma*, dicit *Martialis* [3]. Similiter Propertius [4]:

Nec tamen inviſo pectus mihi carpitur auro,
Nec bibit è gemma divite noſtra ſitis.

Chryſendeta vocantur. Martialis [5]:

Innumeri tibi flava regunt Chryſendeta mulli.

Nimirum quod cruſtis aureis illigata ac cælata eſſent. Picturam Chryſendetorum habet *Lazarus Bayfius* [6].

X. Vina recondebantur in multos annos, cadis fictilibus probe concluſa, & repoſita in *apothecis* (ut vocant

(1) *l. d.* (2) *Sat.* 10. (3) *lib.* 1. *Epig.* 12. (4) *lib.* III. *Eleg.* 3. (5) *lib.* 11. *Epig.* 43. (6) *de Vaſculis pag.* 110.

Horatius[1], *Plinius*, *Columella*, *Cicero*, locis plurimis) vel horreis, non procul a vaporario, ut caloris vim percipere ſecum poſſent. Horatius[2]:

Parcis deripere horreo
Ceſſantem Bibuli Conſulis amphoram.

Et[3]:

Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpiciis accubat horreis.

Hoc ideo factum eſt, ut vina requieta velut intra ſe duplicarent ſoporem. Tibullus[4]:

Nunc mihi fumoſum veteris proferte Falernum
Conſulis, & Chio ſolvite vincla cado.

Fumoſum Falernum, id eſt, vina quæ fumum bibere ſunt inſtituta, uti exponit *Scaliger*[5], & verba ſunt *Horatii*[6], ubi confer *Lambinum*[7]. Rurſum Horatius[8]:

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Græca quod ego ipſe teſta
Conditum levi. ———

De re eadem ſunt teſtimonia *Martialis*[9], & porro vide *Marſilium Cagnatum Veronenſem*[10], *Joh. Brodæum*[11], *Turnebum*[12], *Ivonem Villiomarum*[13]. Vinum Falernum (quod optimum ſemper æſtimatum fuit) temperabant aqua fontium, glaciei, nivium ſolutarum, ut eſſet ὑδαρὲς vel κεκερασμένον. Horatius[14]:

——— *Diſſipat Euius*
Curas edaces, quis puer ocyus
Reſtinguet ardentis Falerni
Pocula prætereunte lympha.

Tibullus[15]:

Temperet annoſum Martia lymfa merum.

Mar-

(1) *lib.* II. *Sat.* 5. (2) *lib.* III. *Carm.* 28. (3) *lib.* IV. *Carm.* 12. (4) *lib.* II. *Eleg.* 1. (5) *in Notis pag.* 129. (6) *lib.* III. *Carm.* 8. (7) *in Commentariis pag.* 210. (8) *lib.* I. *Carm.* 20. (9) *lib.* III. *Ep.* 82. *lib.* X. *Ep.* 36. *lib.* XII. *Ep.* 83. *lib.* XIII. *Ep.* 183. *lib.* XIV. *Ep.* 118. (10) *lib.* II. *Variar. Obſervat. cap.* 1. (11) *lib.* I. *Miſcellan. cap.* 13. (12) *lib.* XXX. *Adverſarior. cap.* 6. (13) *Animadverſis ad Titium pag.* 120. (14) *lib.* II. *Carm.* 11. (15) *lib.* III. *Eleg.* 6.

Martialis [1] :

Sextantes, Caliſte, duos infunde falerni,
Tu ſuper æſtivas Alcime funde nives.

Et [2] :

Ebria Setino fit ſæpe & ſæpe falerno,
Nec niſi poſt niviam Cæcuba potat aquam.

Rurſum Horatius [3] : *Vina liques. Liques*, id eſt, in cadis obdurata emollias, affuſa aqua. Et vinum purum nulla aqua permixtum vocat [4] :

——— *Chium maris expers,*

id eſt, marinæ aquæ. Θεθαλαττωμένον οἶνον adhibebant veteres, uti ſcribit *Athenæus* [5], ideo quod ad cibum concoquendum juvaret, συναπεργάζονται τὴν τροφήν. Et confer *Senecam* [6].

XI. Ut læta omnia in convivio eſſent, ſermonibus vel doctis vel jocoſis, invicem experiebantur, aderant pueri qui cantillarent, quando hoc viſum convivis oportunum. *Varro* apud Nonium : *In conviviis pueri modeſte ut cantillarent carmina antiqua, in quibus erant laudes majorum & aſſa voce & cum tibicene.* Horatius [7]:

Tuque teſtudo reſonare ſeptem
Callida nervis.
Nec loquax olim, neque grata, nunc &
Divitum menſis & amica templis.

Et multis ante annis in convivio Didonis [8] :

—— *Cithara crinitus Iopas*
Perſonat. ———

& adde *Quintilianum* [9]. Bellaria vel menſarum ſecundarum acceſſio erant poma, pira, nuces, ficus, caſtaneæ, uvæ & ſimilia hortorum proventa. Martialis [10] :

Menſæ munera ſi voles ſecundæ,
Marcentes tibi porrigentur uvæ,
Et nomen pira quæ ferunt Syrorum,

(1) *lib.* v. *Epig.* 65. (2) *lib.* XII. *Epig.* 17. (3) *lib.* I. *Carm.* II. (4) *lib.* II. *Sat.* 8. (5) *lib.* I. (6) *Epiſt.* 78. 96. (7) *lib.* III. *Carm.* II. (8) *lib.* I. *Æneid.* (9) *lib.* I. *cap.* 14. (10) *lib.* V. *Epig.* 79.

Et quas docta Neapolis creavit,
Lento caſtaneæ vapore toſtæ.

XII. Abituri ad ſomnum conciliandum poſcebant ultimum poculum, Mercurio conſecratum, qui ſomni Præſes erat. Teſtantur *Homerus*[1], *Plutarchus*[2], *Athenæus*[3], & conſentit *Julius Pollux*[4], ubi ποτήριον Ἑρμοῦ deſcribit. Erat Mercurius ὀνειροπομπὸς ἢ ὑπνοδότης dicente *Euſtathio*[5], idque conſtat ex *Ovidio*[6], ubi Argi fabulam deſcribit:

——— *Firmatque ſoporem*
Languida permulcens medicatâ lumina virgâ.

Et Virgilio[7]:

Dat ſomnos adimitque. ———

Eidemque libabant, ut jucunda ſomnia immitteret, dicente *Heliodoro*[8]. Nimirum, ut ait Martialis[9]:

Et quia nulla venit, tu mihi ſomne veni.

Confer *Lilium Gyraldum*[10], *Jacobum Pontanum*[11], *Daniel. Heinſium*[12]. Xenia mittebant convivis, poſtquam domum abierant, vel dabant, cum præſentes erant. Martialis[13]:

Divitis alternas & pauperis accipe ſortes,
Præmia convivæ det ſua quiſque ſuo.

& adde *Plinium*[14].

CAP. IV.

De Ludis privatis.

I. LUDOS privatos deſcripſit libro ſingulari *Julius Cæſar Bulengerus*. Eos recenſet Horatius[15]:

Indoctuſque pilæ diſcive trochive quieſcat.

Et Ovidius[16]:

Nunc

(1) *lib.* VII. *Odyſſ.* (2) *lib.* VII. *Quæſt. convivial.* (3) *lib.* I. *Dipnoſophiſt.* (4) *lib.* VI. *Onomaſt. cap.* 16. (5) *Scholiis ad l. d. Homeri.* (6) *lib.* I. *Metamorph.* (7) *lib.* IV. *Æneid.* (8) *lib.* III. *Æthiopic.* (9) *lib.* I. *Epig.* 72. (10) *in Hiſtoriâ Deorum ſyntagm.* 9. *pag.* 299. (11) *in Bellariis Atticis pag.* 361. (12) *Notis ad Silium Italicum pag.* 41. (13) *lib.* XIV. *Epigramm.* I. (14) *lib.* VI. *Epiſtol.* 31. (15) *lib.* III. *de arte Poët.* (16) *lib.* III. *de Arte Amandi.*

Nunc pila, nunc celeri vertitur orbe trochus.

Et quidem pila (*ſphæram* vocat *Plinius* [1]) in frequentiſſimo uſu erat, non ſolum apud juvenes, ſed quoque viros & Principes. *Galenus* ſcripſit librum *de Ludo Pilæ*, notatque *Valerius Maximus* [2] de Scævola, *eum optime luſiſſe pila.* & idem refert *Suetonius* [3] de Auguſto. Quatuor pilarum genera nominantur: *Pila vulgaris*, *Follis*, *Trigonalis*, *Harpaſtum.* Et in ludo ipſo notari debent tria: *raptim ludere*, *datatim ludere*, *expulſim ludere*, quæ exponunt *Joſephus Quercetanus* [4], *Ramireſius* [5], *Georgius Erhardus* [6], *Simon Abbes Gabbema* [7]. *Raptim ludere* dicebant, cum pilæ cadentes è pulvere capiebantur illo ipſo impetu, quod ad terram alliſæ aſſurgebant ſaltu. *Lucanus* [8] vocat:

——— *Pilam revocare cadentem.*

Datatim ludere erat, cum inter multos in corona ita ludebatur, ut alius alii pilam intentaret, nec tamen illi, quem videbatur velle petere, ſed alii infligeret per dolum. Id *Lucanus* vocat:

——— *Non ſperato fugientem reddere geſtu.*

Expulſim ludebant, cum pilam, ut nemo eam apprehendere poſſet, alter alteri præriperet, inque ſublime pelleret, ut non decideret ſtatim. Id *Lucanus* vocat:

——— *Pilam geminare volantem*,

id eſt, propellere dum volat, nec permittere, ut illico decidat. Confer *Turnebum* [9], *Hieronymum Mercurialem* [10], & *Inſcriptionem* Romanam apud *Janum Gruterum* [11].

II. Quod Diſcum attinet, egimus de ludo illo *ſupra* [12]. Trochus (Græcis ῥόμβος, uti eſt apud *Antonium Cæſarem* [13], & *Scholiaſtem Apollonii* [14]) erat circulus æneus, grandis, per quem involuti ferebantur annuli æneī

(1) *lib.* II. *Epiſt.* 17. *lib.* V. *Epiſt.* 6. (2) *lib.* VIII. *cap.* 8. *diſt.* 2. (3) *lib.* II *cap.* 83. (4) *in Diætetico polyhiſtor. ſect.* 2. *c.* II. *pag.* 319. (5) *Notis ad Martialem pag.* 314. (6) *Symbolis ad Petronium Arbitrum pag.* 592. (7) *in Notis Variis ad Petronium pag.* 41. (8) *Panegyrico ad Calpurniam Piſonem.* (9) *lib.* VII. *Adverſar. cap.* 4. (10) *lib.* II. *Gymnaſt. c.* 5. (11) *in Volumine pag.* 637. (12) *lib.* II. *cap.* VI. *diſt.* 6. (13) *lib.* II. (14) *lib.* I. *verſ.* 1130.

ænei multi, & hujuſmodi trochos pueri certatim per vicos in longum agitabant, donec motus per ſe quieſceret, vel ad lapidem & obicem offenſus inflecteretur ac caderet. Martialis [1]:

Quam celer arguto qui ſonat ære Trochus.

Rurſum [2]:

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur?
Cedat ut argutis obvia turba Trochis.

Propertius [3]:

Cum pila veloci fallit per brachia jactu,
Increpat & verſi clavis adunca Trochi.

Clavem aduncam vocat, qua Trochus compactilis aperiebatur immittendis annulis & claudebatur, ut *Paſſeratius* exponit. Perinde uti Bremenſes noſtri pueri, circulo ligneo, quo, victores dolia ſirpant, multos annulos æneos inducunt, luduntque.

III. Ludebant præterea Talis ſive Teſſeris, de quibus vide *Cœlium Calcagninum* [4]. Ovidius [5]:

Seu ludet, numeroſque manu jactabit eburnos
Tu male jactato: tu male jacta dato.
Seu jacies Talos, victam ne pœna ſequatur,
Damnoſi facito ſtent tibi ſæpe Canes.

Propertius [6]:

Me quoque per Talos Venerem quærente ſecundos,
Semper damnoſi ſubſiluêre Canes.

Veneris ergo jactus erat ſecundus, & jactus Canis erat adverſus. *Horatii* locus de Modimperatore per Veneris jactum creando, eſt *ſupra* [7]. Martialis [8]:

Non mea magnanimo depugnat Teſſera Talo,
Senio nec noſtrum cum Cane quaſſat ebur.

& porro *ibidem* [9]. Suetonius [10]: *Talis enim jactatis, ut quiſque Canem aut Senionem miſerat, in ſingulos Talos ſingulos denarios in medium conferebat, quos tollebat univerſos,*

(1) *lib.* XI. *Epigramm.* 22. (2) *lib.* XIV. *Epig.* 154. (3) *lib.* III. *Eleg.* 12. (4) *peculiari Commentario pag.* 286. (5) *lib.* II. *de Arte amandi.* (6) *lib.* IV. *Eleg.* 9. (7) *cap.* III. *diſt.* 7. (8) *lib.* XIII. *Epig.* 1. (9) *Epig.* 15. 17. *lib.* XIV. *Epig.* 14. (10) *lib.* II. *cap.* 71.

ſos, qui Venerem jecerat. Et[1]: *Monebatur*, ait, *ut de conſultationibus in Aponi fontem Talos aureos jaceret, evenit, ut ſummum numerum jacti ab eo oſtenderent, hodieque ſub aqua viſuntur ii tali. Summus numerus* hic eſt Veneris jactus, ut notat *Beroaldus*[2], & confer *Julium Bulengerum*[3]. Non quidem libera manu projiciebant miſſiles Talos, ut faciunt Germani, ſed in tabulam quadratam decidebant illi, miſſi deſuper ex inverſa turricula ad baculum erectum affixa, & reſiliendo definiebant jactum. Turriculam illam *Fritillum* vocabant. Juvenalis[4]:

—— *Parvoque eadem movet arma Fritillo.*

Martialis[5]:

Dum blanda vagus alea December
Intortis ſonat hinc & Fritillis.

Aut *pyrgum*. Horatius[6]:

Mitteret in Pyrgum talos. ——

& *Lambinus*[7].

IV. Alea, id eſt, chartulis pictis ludere vetitum erat, & deprehenſi aleatores mulctabantur. Horatius[8]:

Seu Græco jubeas Trocho,
Seu malis vetita legibus Alea.

& confer *Joban. Baptiſtam Pium*[9], *Weſenbecium*[10]. Viris principibus licebat tamen, adeoque Catonem ludo iſti diligenter inhæſiſſe, refert *Plutarchus*[11]. De Auguſto idem teſtatur *Suetonius*[12], & de Claudio & Domitiano[13]. Porro *Jacobus Magnæ Britanniæ Rex*[14], ſuadet filio ſuo Walliæ Principi, ut Scacchiorum luſu abſtineat, qui accuratam intentionem depoſcat, id quod contra luſus naturam ſit, qui curarum relaxatio eſſe debeat, adeoque chartulas pictas commendat, ubi caſus obtinet, artis vero & diligentiæ parum ineſt. Quod vero

(1) *lib.* III. *cap.* 14. (2) *Commentar. h. l.* (3) *dicto libro cap.* 58. 59. 60. (4) *Sat.* 14. (5) *lib.* IV. *Epig.* 14. (6) *lib.* II. *Sat.* 7. (7) *Commentario ibid. pag.* 218. (8) *lib.* III. *Carm.* 24. (9) *in Annotatis poſterioribus cap.* 72. (10) *Paratitlis ad Digeſta lib.* XI. *pag.* 507. (11) *in Vitis illuſtribus.* (12) *lib.* II. *cap.* 71. (13) *lib.* V. *cap.* 33. *lib.* XII. *cap.* 21. (14) *lib.* III. *Doni regii pag.* 162.

vero *Leonhardus a Rijſen* Heuſdanus [1], adverſus *Gatackerum* Anglum contendit, Aleæ ludum eſſe omnino peſſimum & nefarium, de eo cenſemus, Puritanicam, id eſt, rigidam cenſuram eſſe. Honeſta refectio animorum cum probitate vera non pugnat. Nec debet permitti luſus iſte niſi illis, qui abundant ocio, & parvam nummorum jacturam facere amant, ut a converſationis jucunditate majus lucrum ſibi acquirant.

CAP. V.

De Veſtimentorum habitu.

I. DESCRIPSERUNT *Lazarus Bayſius*, *Octavius Ferrarius*, & adde *Juſtum Lipſium* [2], *Carolum Sigonium* [3], *Claudium Salmaſium* [4], *Johan. Roſinum* [5]. Antiquiſſimæ veſtes pelles † ſunt, eaſque ovibus pro ſacrificio oblatis detractas geſtavit Adamus de Paradiſo ejectus, ut præſidio illo tempeſtates aëriſque injuriam prohiberet, tegeretque pudorem corporis honore priſtino ſpoliati, *Geneſ.* [6]. Similiter Lucretius [7]:

Tunc igitur pelles, nunc aurum & purpura curis
Exercent hominum vitam. ——

De Scythis Juſtinus [8]: *Lana eis uſus & veſtium ignotus & quanquam continuis frigoribus urantur, pellibus tamen ferinis & murinis utuntur.* ubi vide *Notas Franciſci Modii* [9], & *Berneggerum* [10], *Turnebum* [11]. Nam qui hic legere volunt, *ferinis aut marinis*, ut *Lipſius* [12], illi ſenſum accuratum elidunt. Lapponos deſcribit & Samojedas, feroſque Tartaros, & remotiſſimos Moſcovitarum populos, quorum pars maxima Hunni, geſtabant olim veſti-

† Quarum uſus apud Parthos placuit, ut liquet ex illius gentis Regis ſtatua, quam præbet Oct. Ferrarius *p.* 11. *de re Veſtiar. l.* 1. *c.* 8.

(1) *peculiari libello de luſu Aleæ.* (2) *lib.* 1. *Electorum cap.* 15. (3) *lib.* III. *de Judiciis.* (4) *Annotatis ad Pallium Tertulliani.* (5) *lib.* V. *Antiquitat. cap.* 31. (6) III. 21. (7) *lib.* V. (8) *lib.* II. *cap.* 2. (9) *pag.* 11. (10) *in Commentario pag.* 32. (11) *lib.* XV. *Adverſar. cap.* 23. (12) *Notis ad Germaniam Taciti num.* 53.



veſtimenta ex pellibus ſilveſtrium murium (quos Mardos, Hermelinas, Sibeticos feles hodie vocant) conſarcinata, ut de illis refert *Ammianus Marcellinus*[1], & adde *Edonem Neuhuſium*[2], *Hieronymum Magium*[3]. Nec non veteres Germanos. *Pellitos* eos vocat *Rutilius Numantianus*[4]. *Germani intecti corpus Rhenonibus tegunt*, eſt in Fragmentis *Saluſtii*, & inde citat *Servius*[5]. Rhenones ſunt veſtes de pellibus. De iiſdem Cæſar[6]: *Pellibus aut parvis Rhenonum tegumentis utuntur, magna corporis parte nuda.* Sollicitat lectionem unice rectam Hottomannus[7]: *Quale animal ſit Rheno*, inquit, *nemo explicat, ego Renum reſtituendum eſſe pridem exiſtimavi.* Quale animal ſit, dicemus in ſequentibus. Et Tacitus: *Gerunt ferarum pelles.* Hoc autem nomen Gallos pellibus ferinis indidiſſe putant *Scaliger*[8], *Henricus Stephanus*[9], *Gerh. Joh. Voſſius*[10], ob converſationem peregrinorum, quandoquidem *Græci* Ῥῆναι τὰ μῆλα nominent. Sane veteres Gallos per immigrationem Phocæorum vocabula Græca plurima recepiſſe conſtat: Suedi vero nunc etiam *Rhendir* appellant cervos Lapponicos, unde victum, veſtimenta, opera domeſtica exigunt Lapponeſ feri. Ut proinde non ſit cauſa ulla, quare Hottomannus *Renum* velit ſubſtituere ac ſenſum pervertere: neque ratio aliqua fingi poteſt, quamobrem pro hoc ſignificatu, *unde Rheno animalis nomen eſſe conſtet*, authoritatem requirat *Ludovicus Carrio*[11]. Suedi, Lapponi, Roſſi, Samojedæ pro nomine illo teſtimonium dicent. Denique illud a *Johanne Calvino*[12] prolatum, *Rhenones appellatæ ſunt pelles ferinæ, quia Rhenani populi hiſce peculiariter utebantur*, falſum eſt. *Cervos jugales* appellat *Saxo Grammaticus*[13], & confer *Johan. Loccenium*[14], *Philipp.*

(1) *lib.* XXXI. *c.* 3. (2) *in Theatro Ingenii humanii lib.* II. *cap.* 3. 4. (3) *lib.* III. *Miſcell. cap.* 7. (4) *lib.* II. *Itinerarii num.* 49. (5) *Commentario ad lib.* III. *Georg.* (6) *lib.* VI. *de Bello Gall.* (7) *in Notis pag.* 34. (8) *Conjectaneis ad Varronem.* 68. (9) *de Latinitate ſuſpecta cap.* 8. (10) *in Lexico Etymologico pag.* 434. (11) *lib* III. *Antiquar. Lect. cap.* 2. (12) *in Lexico Juris pag.* 784. (13) *lib.* III. *hiſtor. Danicæ pag.* 40. (14) *in Antiquit. Suedicis lib.* II. *c.* 20.

Lipp. Cluverium [1]. Nec aliter Romani Priſci. Sic enim Propertius [2]:

Curia prætexto quæ nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit ruſtica corda Patres.

Et Juvenalis [3]:

——— *Qui ſummovet euros*
Pellibus inverſis. ———

Aliter deinde fuit, cum Orbis opes ad ſe bello derivaſſent.

II. Scribit Philippus Caroli [4]: *Pueri apud Romanos uſque ad annum ætatis decimum tertium geſtabant palliolum, quod aliculam chlamydem vocabant, teſte Ulpiano l. Veſtis* 23. §. 1. *D. de Auro & argent. leg.* Deſcripſit a *Pancirollo*, ſed vera non ſunt. *Aliculæ chlamydes* ab *Ulpiano* recenſentur, non quod eſſent ordinariæ puerorum veſtes, ſed quod infantum amicula aliqua eſſent, pro tegendis illis, cum forte domi eſſent, aut non procul domo abeſſent. *Jacobus Cujacius* [5], *Dionyſius Gothofredus* [6], *Michael Watſonus* [7], *Aliculas* interpretantur de togis brevibus. Neque hoc verum eſt. Adferunt Martialem [8]:

Brumæ diebus, feriiſque Saturni,
Mittebat Umber Aliculam mihi pauper,
Nunc mittit Alicam, factus eſt enim dives.

Quod alibi idem exponat:

Brevis gelidæ miſſa eſt toga tempore brumæ.

RESPONDEO: Aliculæ & breves Togæ differunt multum. Patroni mittebant Saturni diebus ad Clientes ſuos, non Alicas tantum, ſed etiam breves Togas, ut ſumptibus parcerent: Togas, quas geſtarent majores natu, Aliculas pro veſtiendis puellis, unde ſemitecti eſſe poſſent. Nam humeris injiciebatur, cætera nudi erant. Apulejus [9]: *Adeſt luculentus puer nudus, niſi quod ephe-*

(1) *lib.* 1. *Germaniæ antiquæ c.* 13. (2) *lib.* IV. *Eleg.* 1. (3) *Sat.* 14. (4) *lib.* IV. *Antiquit. Rom. c.* 10. (5) *lib.* X. *Obſervat. cap.* 18. (6) *Notis ad lib.* XXXIV. *Pandectarum Tit.* 2. *ſect.* 23. *pag.* 118. (7) *part.* 1. *Notationum ad Pancirollum pag.* 45. (8) *lib.* XII. *Epig.* 83. (9) *lib.* X.

bica chlamyde ſiniſtrum tegebat humerum. Mercurius ephebica chlamyde ſiniſtrum tegens humerum, caduceo & marſupio inſtructus, pingitur in Nummis apud *Antonium Auguſtinum*[1]. Apollinis ſimulachrum marmoreum conſimili habitu è Belvedere Romano depingit *Joh. Baptiſta de Cavalleriis*[2]. Adeoque veriſimile non eſt, majores pueros ita inceſſiſſe ætate illa, qua decenter velari corpora oportebat maxime. Infantes, ut dixi, & puſiones geſtabant. Ad *Martialis* verba prolata ſic notat Farnabius[3]: *Cum vero Alica craſſior ſit & vilior quam Aliacula, Poëta dum laudare videtur, Umbrum carpit, ut ſordidiorem factum, quam olim ubi pauper fuit.* Quod me non ſatis fateor intelligere. Senſus vero, quem Poëta vult, ille eſt: Alica notat πόσιον, id eſt, potum de zea, Alicula eſt levidenſe veſtimentum. Ergo Umber, cum pauper erat, mittebat Aliculam, id eſt, veſtem, at dives factus mittebat Alicam, id eſt, potionem ex zea decorticata. Quod pauperes mitterent Alicam, docet Martialis[4]:

Nos Alicam, mulſum poterit tibi mittere dives.

Alica nunquam eſt veſtimenti genus, quomodo Alicula non eſt potus, & confer *Gerhardum Johann. Voſſium*[5].

III. Geſtabant pueri Prætextam, quæ Toga candida erat, περιπόρφυρος χιτὼν ajunt *Plutarchus*[6], & *Athenæus*[7]. Ora & limbus per circuitum purpura prætexebatur. Catullus[8]:

His corpus tremulum complectens undique veſtis
Candida purpurea Tyrios prætexerat ora.

Perſius[9]:

Cum primum pavido cuſtos mihi purpura ceſſit,
Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit.

Purpuræ decus eſt apud *Horatium*[10]. In latere dextro recincta, ut homini libertatem movendi ſeſe permitteret, ſupra humerum dextrum fibula conſtringebatur, latus ſiniſtrum humerumque illum decore involvebat.

IV. Cum

(1) *Tab.* 59. *num.* 10. (2) *lib.* 1. *Antiquitat. Romanar. Tab.* 4. (3) *pag.* 399. (4) *lib.* XIII. *Epig.* 6. (5) *in Lexico Etymologico pag.* 18. (6) *in Publicola.* (7) *lib.* VI. *Dipnoſophiſt.* (8) *Epig.* 65. (9) *Sat.* 5. (10) *lib.* V. *Carm.* 5.

IV. Cum perveniſſent ad annum decimum quintum, Prætexta depoſita virilem ſumebant Togam, cum pompa magna deducti in forum, invitatis ad actum illum amicis & cognatis. Recitabatur oratio inauguralis, & dies ille *tyrocinium* vocabatur, *Plinius* [1]. Lares mutatæ veſtis dabantur teſtes. Propertius [2]:

Mox ubi bulla rudi demiſſa eſt aurea collo,
Matris & ante Deos libera ſumpta toga.

Et pro felici incremento ſolvebatur nummus argenteus Divæ Juventæ, in æde ejus, *Dionyſius Halicarnaſſ.* [3]. *Togam puram* & *Togam liberam* appellant *Cicero* [4]. Et Catullus [5]:

Tempore quo primum veſtis mihi tradita pura eſt,
Jucundum cum ætas florida ver ageret.

De Toga vide prolixe *Aldum Manutium* [6], & *Guilhelmum Budæum* [7]. Toga pura dicta eſt, quia nihil purpuræ attextum haberet. Attamen illi, qui Magiſtratum gerebant, quique Sacerdotes erant, prætexebant purpura viriles Togas ſuas. Germanicus apud Tacitum [8]: *Vidit ſe operatum & ſanguine ſacro reſperſa Prætexta pulchriorem aliam manibus aviæ Auguſtæ accepiſſe.* Annotat Lipſius [9]: *Germanicum fuiſſe prætextatum, utpote Augurem.* Et addit, *Sacerdotes tantum uſos prætexta.* Atqui Germanicus erat prætextatus, non tantum quia Augur, ſed quia exercitus Imperator, & cum poteſtate proconſulari erat. Livius [10]: *Purpura viri utemur in Magiſtratibus prætextati, in Sacerdotiis, liberi noſtri prætextis Purpura Togis utentur.* Appianus [11] de Conſule Dolabella, τὸν μὲν ὕπατον ἐσθῆτα ἠμφιέσατο, id eſt, Prætextam induit. Propertius [12]:

Curia prætexto quæ nunc nitet alta Senatu.

De Tribunis idem certum eſt, quoniam apud *Appianum* [13], dicit Caſſius oratione ad milites, Tribunis a

(1) *lib.* VIII. *cap.* 48. (2) *lib.* IV. *Eleg.* 1. (3) *lib.* IV. (4) *lib.* IX. *ad Atticum Epiſt.* 4. 20. 22. (5) *Epigram.* 69. (6) *Quæſitis per Epiſtolam pag.* 276. (7) *Annotatis poſterioribus ad Pandectas pag.* 350. (8) *lib.* II. *Annal.* (9) *Notis ad h. l. num.* 26. (10) *lib.* XXXIV. (11) *lib.* II. *Belli Civilis.* (12) *lib.* IV. *Eleg.* 1. (13) *lib.* IV. *Civil.*

Cæſare ſacrum Magiſtratum & τὴν ἐσθῆτα τὴν ἱερὰν *ſacram veſtem* ademptam fuiſſe. Hic *veſtis ſacra* eſt prætexta Toga. De Julio Cæſare tunc cum prætor eſſet, Suetonius[1]: *Ut comperit paratos qui vi ac per arma prohiberent, dimiſſis lictoribus abjectaque Pratexta, domum clam refugit pro conditione temporum quieturus.* Prætor deponebat primum, ac deinde invertebat Prætextam, cum dicturus ſententiam erat. Seneca[2]: *Et ſi perverſa induenda magiſtratui veſtis. Perverſa*, id eſt, inverſa, ut pars ejus floridior introrſum verteretur, notante *Mureto*[3].

V. Toga ab humeris ad talos uſque pertingebat, ut refert *Cicero*[4]. Erat rotunda & undequaque conſtricta, itaque immiſſa ſupra caput injectu uno corpus totum veſtiebat, laxe patentibus in ſummo faucibus, ut non caput modo, ſed etiam brachium humerufque dexter, eum luberet, commode exſeri poſſet, ac particula illa ad cervicem arrecta vel in caput attrahi vice pilei, tempore æſtus aut pluviæ, vel ab eo removeri poſſet in occurſu viri honeſti, coram quo debebat aperiri caput. Περισπάσαι τὴν τήβεννον ἐξ ὤμου. ait *Plutarchus*[5]. Et tunc fiebat, ut lacinia Togæ ſub dextra ala promiſſæ ad humerum lævum decurreret, faceretque ſinum aliquem obliquum, deſinendo per rugas non perinde æqualiter vel breves vel longas. Cæterum ad partes inferiores erat clauſa, ut corpus velaretur, quod tunc temporis non haberent femoralia vel braccas. Cæſar cum infeſtis conjuratorum pugionibus appeteretur, *Togæ ſinum ſiniſtra manu ad ima crura detraxit, quo honeſtius caderet*, ait *Suetonius*[6]. Id *Appianus*[7], τὸ ἱμάτιον περικαλύψασθαι τῇ πτώσει διεσχημόνησε. Nimirum lævam Togæ partem brachio ſubductam demiſit ad pedes, ne dum moribundus prolabitur; tunica, quæ tunc fere ad medium crus pertingebat, denudaret partes illas, quas naturæ honeſtas vult opertas eſſe. Togatorum Icones † adferunt *Joh. Bap-*

† Unam nos præbemus ex Laz. Bayfio *de re Veſtiar. c. 9.*

(1) *lib. 1. cap. 16.* (2) *lib. 1. de Ira cap. 16.* (3) *ad h. l.* (4) *Orat. pro Cluentio.* (5) *in Gracchis.* (6) *lib. 1. cap. 82.* (7) *lib. 2. de Bello Civili.*



Baptiſta de Cavalleriis [1], *Octavius Ferrarius* [2]. Cæſar Galba togatus eſt in Numiſmatis *Antonii Auguſtini* [3]. Antoninus Imperator togatus eſt *ibidem* [4]. Orientis populi hab bant Togas, & ſub eis proxime ſubuculam, unde facile poterant diſcooperiri corporis partes infimæ. exemplo Noachi. *Geneſ.* [5]. Atque hi cingulo colligabant eas, quoniam erant manuleatæ: Romani vero non cingebant ſuas, quia rotundæ & manicis deſtitutæ erant, itaque ſuturam in pectoris ſuperiori parte faciebant, unde poſſet exſeri dextera, quando vellent: ſiniſtra vero intus concluſa, non poterat cingulo comprimi, ut non valde obeſſet homini ſeſe moventi, & negocia ſua prompte abire volenti. Quod ergo *Sigonius* contendit, *Togam fuiſſe cinctam*, de eo viderit ille, quomodo Togæ cinctura non impediviſſet omnem corporis motionem? quomodo manus ſub Toga extendi potuerint & cinctum pati? quomodo Togæ fimbria in caput attrahi, ut vice pilei eſſet? Horatius [6]:

Videſne ſacram te metiente viam
Cum bis ter ulnarum Toga.

Tibullus [7]:

Effluit effuſo cui Toga laxa ſinu.

VI. Toga erat in converſatione civili, uti erant Paludamentum & Sagum in caſtrenſi vita. Paludamentum * quidem Imperatoris, Sagum vero Lictorum & Centurionum, *Nonius Marcellus* [8]. Silius Italicus [9]:

Iſque ut Varronem procul inter prælia vidit,
Et juxta Sagulo circumvolitare rubenti
Lictorem, noſco pompam atque inſignia noſco.

Suetonius [10]: *Urbem denique ad claſſicum introiit Paludatus ferroque ſuccinctus, inter ſigna & vexilla, Sagulatis comitibus ac detectis commilitonum armis.* Utrumque vero differebat a Toga, quod eſſet apertum a dextro late-

* Ejus figuram, ut hic appoſita eſt, dedit L. Bayfius *de re Veſtiar. c.* 11.

[1] *lib.* 1. *Antiquitat. Romanar. Tab.* 23. [2] *lib.* 1. *de Re Veſtiaria pag.* 4. [3] *Tab* 22. *num.* 5. 6. [4] *Tab.* 47. *num.* 6. [5] IX. 21. [6] *lib.* V. *Carm.* 4. [7] *lib.* 1. *Eleg.* 7. [8] *de Proprietate Sermonum cap.* 14. *num.* 10. 11. 12. [9] *lib.* IX. [10] *lib.* IX. *cap.* 11.



latere toto, & fibula aurea ſuper humero dextro connecteretur. περπόρπημαι χρυσῷ ait *Appianus*[1]. Centurionem Sagatum depingit *Jacobus Boiſſardus*[2]. Ovidius[3]:

Purpureum chlamydis pennæ traxere colorem,
Fibula quod fuerat, veſtemque momorderat aurum,
Pluma fit, & fulvo cervix præcingitur auro.

Chlamys idem eſt quod Sagum. Statius:

Emicat & torto Chlamydem diffibulat auro.

Notat *Valturius*[4], quod *Paludamentum in ſiniſtro humero fuerit nodo colligatum.* Verum quod in dextro humero alligata fibula ſit, veteres Statuæ omnes atteſtantur, ait *Octavius Ferrarius*[5]. Galba Cæſar Paludatus cum nodo in humero dextero, eſt in Numiſmatis *Antonii Auguſtini*[6], perinde uti Antoninus Cæſar Paludatus in humero dextero cum nodo eſt *ibidem*[7]. Adrianus Cæſar Paludatus cum nodo in dextro humero è Marmoribus Farneſianis pingitur apud *Joh. Baptiſtam de Cavalleriis*[8] Octavii Auguſti ſimulachrum eleganter depictum è Marmoribus Capitolinis, ut nodus ſit in humero dextero, eſt apud eundem *Baptiſtam*[9]. Nec non ſimulachrum Julii Cæſaris cum dextero nodo eſt *ibidem*[10]. Qualia ergo fuerint Marmora illa apud *Lazarum Bayfium*[11], *Jacobum Boiſſardum*[12], ubi in ſiniſtro humero, (ut ſcribit *Valturius*) nodum oſtendit? Purpureum, id eſt, coccineum erat, quod color iſte acuat fortitudinem, & quod fuſus de vulnere ſanguis ruber non ita facile notetur in veſtimento rubro. Hoc erat a Lacedæmoniis, de quorum ſtatutis ita referunt *Valerius Maximus*[13], *Ælianus*[14], & ex illis *Nicolaus Cragius*[15]. Locus eſt Eſaiæ[16]: *Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum?*

[1] *de rebus Punicis.* [2] *part. 3. Antiquit. Rom. fol.* 94. [3] *lib. XIV. Metamorph.* [4] *lib. X. de re Militari cap.* 1. [5] *lib. VI. de re Veſtiaria pag.* 109. [6] *Tab.* 21. *num.* 22. [7] *Tab.* 46. *num.* 15. 18. [8] *lib.* 1. *Antiquitat. Romanar. Tab.* 41. 68. [9] *libro dicto, Tab.* 71. [10] *Tab.* 72. [11] *de Veſtibus pag.* 55. [12] *part.* 3. *Antiquitat. Roman. fol.* 59. [13] *lib.* 11. *cap.* 6. [14] *lib. VI. Variæ Hiſtoriæ cap.* 6. [15] *lib.* 11. *de Republ. Lacedæmon. pag.* 153. [16] LXIII. 2.

tuum? Notatur Paludamentum, quo Judas Maccabæus indutus per viſionem obtulit ſeſe Prophetæ, defenſor populi ſui adverſus vicinos hoſtes. Nam de illo exponit *Grotius*[1], & tolerari poteſt literali ſenſu, ut ſublimior referatur ad Chriſtum Servatorem, cui omnes veterum Heroum victoriæ dictis factiſque ſuis præluſerunt. *Paludatos duces* vocat Juvenalis[2]. *Conſules Paludati* ſunt apud *Livium*[3], *Ciceronem*[4]. Ἐναγώνιον ἢ ϛρατηγικὴν ἐσθῆτα vocat *Plutarchus*[5], ubi de Pompejo victo & poſt abjectum Paludamentum fugiente è campis Pharſalicis, refert. Atque idem *Plutarchus*[6] φοινικίδα pro imperatorio Paludamento dixerunt. Paludati Imperatoris effigiem è Marmoribus columnæ Trajanæ delineant *Bayfius*[7], *Juſtus Lipſius*[8], *Octav. Ferrarius*[9], & adde *Salmaſium*[10].

VII. Locus eſt *Matth.*[11], περιέθηκαν αὐτῷ χλαμύδα κοκκίνην, quod *Johannes*[12], ἱμάτιον πορφυροῦν περιέβαλον αὐτόν. Explicant illa ſeſe mutuo. Porphyra color ille eſt, quem Ebræi שנים vocant & Græcis κόκκινον vertitur, aut ſane illi proximus, itaque *Rabbini* interpretantur ſemper de illo, quod eſt *Cramoſinum*, Eſai.[13], ubi in Græco eſt ὡς φοινικοῦν. & *Hieronymus* reddit. *ut coccinum*. πορφυρὶς φοινικὶς pro eodem ponuntur a *Julio Polluce*[14]. Nec aliter apud Latinos, quibus *Phœnicium* idem eſt cum *Puniceo*. Horatius[15]:

Terra marique victus hoſtis, Punico
Lugubre mutavit ſagum.

Loquitur de Marco Antonio Triumviro, qui victus ab Auguſto & imperatoria poteſtate ſpoliatus, lugubrem habitum ſtatumque aſſumſit. Purpureum paludamentum eſt apud *Valerium Maximum*[16]. *Beza* & *Caſtalion* vertunt, *circumdederunt ei chlamydem coccineam*. Namque Chlamys eſt idem, uti Sagum, veſtimentum militare

[1] *in Notis.* [2] *Sat.* 6. [3] *lib.* III. XXXI. XLII. *Hiſtor.* [4] *in Piſoniana.* [5] *in Cæſare.* [6] *in Parthicis.* [7] *l. d. pag.* 55. [8] *lib.* II. *de Militia Rom. Dialog.* 12. [9] *lib.* VI. *de re Veſtiaria pag.* 110. [10] *in Exercitat. Plinianis pag.* 1329. [11] VII. 28. [12] *cap.* XIX. 2. [13] I. 18. [14] *in Onomaſtico.* [15] *lib.* V. *Carm.* 9. [16] *lib.* I. *c.* 6.

tare & coccinum. Diſſerit *Bayſius* [1], fuiſſe Togam purpuream, quæ & *picta* dicebatur, in Servatoris ludibrium velut a S. P. Q. R. miſſam illi, qui ſe Regem Judæorum appellaret. Neque ab illo diſſentiunt *Dilherrus* [2], *Cl. Watſonus* [3]. Verum unde Copreæ ſumerent Togam hujuſmodi, quæ Ducum triumphalium ornatus erat, aut ſi forte alias Togæ pictæ donarentur, Regibus ſociis pro munere ſummo dabantur ſolum? uti referunt *Plutarchus* [4], *Livius* [5], *Tacitus* [6], & exempla ſunt 1. *Maccab.* [7]. Dicimus ergo cum *Caſaubono* [8], & *Johanne Gerhardo* [9], fuiſſe Sagum aliquod Centurionis aut ordinum Ductoris obſoletum, quod præ manibus erat, & vero ἱμάτιον obiter valet *amiculum*, quod per occaſionem ſuperinjicitur veſtimentis aliis. Quæ vero *Ludovicus de Dieu* [10], & ex illo *Balduinus Walæus* [11] referunt, non ſufficiunt difficultati ſolvendæ. Ἁλουργὰ ἱμάτια, id eſt, veſtes purpureas vocat *Dion Caſſius* [12], ubi Cæſarem per Nilum enatantem in Paludamento ipſo deſcribit.

VIII. Ut Sagum coloris rubri, ita erat Toga candida. Hunc colorem amabant, (luctus vero tempore atrati erant in Togis pullis) & ſi quas ſordes veſtis contraheret, aderant Fullones, qui maculas eluebant, & quia ſenſim color veſtis deterebatur, addebant cretæ bene præparatæ aliquid, ita & ſplendor reſtituebatur & veſtes fiebant denſiores, *Plinius* [13]. Locus eſt *Marci* [14]: εἶτα γναφεὺς ἀπὸ τῆς γῆς ἐδώματι λευκᾶναι. De Fullonibus eſt multa mentio in *Jure Civili* [15]. Lampridius [16]: *Fullones nonniſi ſervos ſuos habuit.* Et confer *Turnebum* [17], *Hie-*

[1] *de re Veſtiaria pag.* 48. [2] *Tom* 1. *Diſputat. Philologicar. pag.* 504. [3] *part.* 1. *Notationum ad Pancirollum pag.* 2. [4] *in Antonio.* [5] *lib.* x. [6] *lib.* IV. *Hiſtor.* [7] x. 19. 62. 64. *c.* XI. 58. *c.* XIV. 44. [8] *Exercitat.* 16. *ſect.* 73. [9] *in Harmonia Paſſionis c.* II. [10] *Notis ad Joban.* XIX. 15. [11] *Commentario perpetuo ad Euangelia pag.* 984. [12] *lib.* XLII. *Hiſtor.* [13] *lib.* XXXV. *cap.* 15. 17. [14] IX. 3. [15] *l.* II. *D. de Condict. ſine cauſ. l.* III. §. *Si fullo. D. Locat. l.* XII. & LXXXII. *D. de Furt. l.* XIII. §. *finali D. de Uſufruct. l.* III. *D. de Aqua pluvia arcenda.* [16] *in Alexandro Severo.* [17] *lib.* XXIV. *cap.* 23.

Hieronymum Mercurialem[1], *Jacobum Pontanum*[2]. Diximus quædam *supra*[3]. Plautus[4]:

Qui veſtitu & creta occultant ſeſe.

Dictum adverſus homines tenuiores, qui cum mutare non poſſent Togam veterem cum nova, uti ditiores: ut tamen nitidi & melioris fortunæ viderentur eſſe, diebus feſtis incretabant Togas ſuas inquinatas vel ipſi, vel per Fullones. Horatius[5]:

Ille repotia, natales, alioſque dierum
Feſtos albatus celebrat.

Albatus, id eſt Toga candida amictus, ut *Eccleſiaſt.*[6], ibidem *Pineda*[7], *Martinus de Roa*[8]. Λευκαίνειν τὰς στολὰς eſt *Apocal.*[9], ubi multa adverſus *Petrum Fabrum* (qui de hoc loco quædam non ſatis recte[10] diſſerit) annotat *Ludovicus Alcaſar*[11].

IX. Sub Toga communiter geſtabant Tunicam abbreviatam, ita ut paulo infra genua caderet, eamque fluxam cingebant, ut corpori aptior eſſet. ἀζωνίας χιτῶνας habere, erat probrum, uti narrant *Seneca*[12], *Dion Caſſius*[13]. Sæpe etiam loco pœnæ. Suetonius[14]: *Pro cæteris delictorum generibus variis ignominiis affecit, ut ſtare per totum diem juberet ante prætorium, interdum tunicatos diſcinctoſque. Diſcinctos*, id eſt, ἀζωνίας. Huc pertinet illud Ovidii[15]:

Nec coma vos fallat liquida nitidiſſima nardo,
Nec brevis in rugas cingula preſſa ſuas.

Senatores vero & Equites præterea in pectore habebant latos Clavos aut Clavos anguſtos, ut eſſent inſigne aliquod & ornamentum. Namque Clavi erant purpurei vel aurei, & vero de Clavis illis non recte ſcribit Joſephus Scaliger[16]: *Clavus erat plagula, quæ ab humeris in*

[1] *lib.* III. *Variarum Lectionum c.* 21. [2] *in Bellariis Atticis pag.* 351. [3] *lib.* II. *cap.* V. *diſtinct.* 2. [4] *in Autular. Act.* 5. *ſc.* 9. [5] *lib.* II. *Sermon. Sat.* 2. [6] IX. 8. [7] *in Commentario.* [8] *part.* 2. *Singularium lib.* II. *cap.* 2. [9] VII. 13. 14. [10] *lib.* II. *Agoniſticorum cap.* 12. [11] *Commentariis num.* 9. [12] *Epiſt.* 93. [13] *lib.* LXIII. *Hiſtor.* [14] *lib.* II. *c.* 24. [15] *lib.* III. *de Arte Amandi.* [16] *Conjectan. ad Varron. pag.* 192.

in pectus demittebatur, ut erat ἐπωμὶς Græcorum, ea clavis quibuſdam conſita erat. Nec aliter *Simon Abbes Gabbema*[1]. Verum ita erant tunicæ pars ut illi aſſuerentur, (uti recte monet *Gerhard. Joh. Voſſius*[2]) non etiam ut deſuper ſolum velut obiter injicerentur. Et licet inſuti eſſent, a veſte tamen ſeparari poterant atque eximi inde, ut in veſtem aliam transferrentur & de novo conſuerentur. Quod vero etiam *Johannes Samozcius*[3], & *Antonius Auguſtinus*[4] ſcribant, *Clavos eos velut flores intertextos fuiſſe veſtibus*, perinde falſum eſt, uti conſtat ex illis, quæ jam diximus. Intertextum haut erat, quod exterius annexum poterat quavis occaſione ſeparari. Erant fila aurea vel purpurea ſegmenta, quomodo ſunt capita clavorum, vel rotunda vel quadrata, *plagulas* dicit *Varro*[5]. Nimirum tunica illis, ut rete plagis diſtinguebatur. Suetonius[6]: *Sumenti virilem togam tunica lati Clavi reſuta ex utraque parte ad pedes decidit. Reſuta*, id eſt, refibulata, nodo ſcilicet ſublato vel ſoluto, quo continebatur in humero dextro, ut Toga prætexta. Et vero, quomodo Octavius tyrocinii die latum Clavum ſumſit, cum nondum Senator eſſet? *Caſaubonus* divinat, quod hoc illi Julius Cæſar peculiariter indulſerit, & vide plura apud *Octavium Ferrarium*[7]. Nam quod idem *Caſaubonus*[8] notat, *reſutam, id eſt, refibulatam, nodis ſcilicet ſolutis, quibus tenebatur in humeris ex utraque parte*, id non poſſum approbare. Statuæ omnes togatæ monſtrant unam in dextro humeros fibulam, duæ fibulæ nuſquam apparent, neque opus illis erat, ut Tunica jungeretur. Atque inde eſt *Tunica laticlavia*, Senatoribus proprium veſtimentum, ut referunt *Suetonius*[9], *Plinius*[10]. χιτῶνας πλατυσήμους vocat *Strabo*[11]. Itaque *Ovidius* cum ſe *laticlavium*, id eſt, Senato-

[1] *Notis ad Petronium pag.* 54. [2] *in Lexico Etymologico pag.* 281. [3] *lib.* 1. *de Senatu Romano pag.* 76. [4] *Dialogo* 2. *Antiquitat. Romanar. pag.* 35. [5] *lib.* VIII. *de LL. pag.* 117. [6] *lib.* II. *c.* 94. [7] *lib.* III. *de re Veſtiaria c.* 13. [8] *ad h. l. pag.* 258. [9] *lib.* I. *cap.* 45. *lib.* II. *cap.* 38 94. *lib.* III. *cap.* 35. *lib.* IV. *cap.* 45. *lib.* VIII. *cap.* 10. *lib.* IX. *cap.* 2. [10] *lib.* IX. *c.* 36. [11] *lib.* III. *Geograph.*

natoriam dignitatem aſſecutum eſſe refert, verba illa uſurpat [1]:

Interea tacito paſſu labentibus annis
Liberior fratri ſumpta mihique Toga eſt;
Induiturque humeris cum lato purpura Clavo,
Et ſtudium nobis, quod fuit ante, manet.

Vellejus Paterculus de Mecænate [2]: *Quippe vixit anguſto Clavo contentus pene, nec majora conſequi non potuit, ſed non tam optavit.* Nimirum erat Clavus anguſtus Equitum inſigne, uti Clavus latus Magiſtratuum ſuperiorum & Senatorum promiſcue. Statius [3]:

——— *Non te ſeries inhonora parentum*
Obſcurum proavis, & priſcæ lucis egentem
Plebeja de ſtirpe tulit, non ſanguine cretus
Turmali trabeaque Remi, nec paupere Clavo
Auguſtam ſedem, & Latii penetrale Senatus
Advena pulſaſti. ———

Paupere Clavo, id eſt, anguſto. Martialis [4]:

Dum proavos atavoſque refers, & nomina magna
Dum tibi noſter Eques ſordida conditio eſt:
Dum te poſſe negas niſi lato, Gellia, Clavo
Nubere, nupſiſti Gellia ciſtifero.

Gellia nobilis erat, negaveratque ſæpe, quod alii quam Senatori vellet nubere, at demum mendico nupſit: nam hoc eſt *ciſtifero*, id eſt, vili Sacrificulo Cybeles, qui ferebat ciſtulam, in qua religionis Iſiacæ arcana repoſita erant, ut exponit *Turnebus* [5]. Equeſtris ordo erat στενόσημος cum anguſto Clavo, Senatores erant πλατύσημοι cum lato Clavo. Senatores non cingebantur, ſed laticlaviam Tunicam erecto pectore demittebant, cinctura minime adſtrictam: Equites vero ſuper Tunicam anguſti clavi cingebantur. De lato Clavo multa vide apud *Marcellum Donatum* [6], & de Tunica adjunge *Aldum Manutium* [7].

X. Qui

(1) *lib.* IV. *Triſt. Eleg.* 10. (2) *lib.* II. (3) *lib.* V. *Silv.* 2. (4) *lib.* V. *Epigr.* 17. (5) *lib.* III. *Adverſar. cap.* 21. (6) *Dilucidationibus ad Suetonium pag.* 245. (7) *Quæſitis per Epiſtolam pag.* 289.

X. Qui delicatiores erant, geſtabant Tunicam χειριδωτὸν, *manicatam* ut vocat *Curtius* [1], ſive *manuleatam*, ut *Plautus* [2] appellat. Et de qua Rutulus ille ad Phryges per contemptum [3]:

Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ.

Suetonius de Caligula [4], *manuleatus & armillatus in publicum proceſſit.* Nimirum effœminatus ille & honeſtatis publicæ negligens. Quare ſtatim addit, *aliquando ſericatus & cycladatus.* Certe ne veſtem ſericam vir geſtaret, Tiberius edicto ſanciverat, ut *Tacitus* [5] refert. Fœminæ ita veſtitæ incedebant. Et porro Cyclas erat tunica muliebris, ut monet *Servius* [6]. Rurſum Suetonius, *nonnunquam ſocco muliebri.* De qua ſtoliditate Imperatoris hujus præterea narrant *Plinius* [7], *Seneca* [8], *Dion Caſſius* [9]. Iterum *Suetonius* de Julio [10]: *Etiam cultu notabilem ferunt, uſum enim lato clavo ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter quam ſuper eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura. Latus clavus* hoc loco eſt Tunica laticlavia, id eſt, ſenatoria, & notabile erat, quod cum alii haberent colobia, Julius tamen adhiberet Tunicam laticlaviam manuleatam, ita ut oræ manicarum fimbriatæ eſſent, quod mulierum proprium erat, notante *Caſaubono* [11], & ſequitur *Berneggerus* [12]. Deinde, hoc etiam novum erat, quod cum cæteri Proceres non cingerentur, ſed latis Clavis connecterent, ipſe tamen laticlaviam Tunicam more novo cingeret. Tunicæ manicis defectæ erant Colobia, ut *Servius* [13] docet. Non quod brachiis totis denudatis incederent, ſed quod manicæ tantum ad cubitum pertingerent, ut veteres Statuæ exprimunt. *Cicero* [14]. Catilinæ probri loco objicit, *quod manicatis & talaribus tunicis uteretur.* Et confer *Aulum Gellium* [15].

XI. Hæc

(1) *lib.* III. *cap.* 3. (2) *in Pſeudolo Act.* II. *ſc.* 4. (3) *lib.* IX. *Æneid.* (4) *lib.* IV. *cap.* 52. (5) *lib.* II. *Annal.* (6) *Commentariis ad lib.* I. *Æneid. pag.* 198. (7) *lib.* IX. *cap.* 35. *lib.* XXXVII. *cap.* 2. (8) *lib.* II. *de Beneficentia cap.* 12. (9) *lib.* LIX. *Hiſtor.* (10) *lib.* I. *cap.* 45. (11) *ad h. l.* (12) *Notis ad h. l. pag.* 108. (13) *Commentar. ad lib.* IX. *Æneid. pag.* 565. (14) *Oration.* 2. (15) *lib.* VII. *cap* 12.

XI. Hæc Tunica erat veſtis domeſtica, nam domi Togam abjiciebant, atque hanc ſolum forte geſtabant, cum amicos viſerent, vel patronos comitarentur aut alloquerentur, vel negocia publica exigerent. Martialis[1]:

Quos Fauſtine dies, qualem tibi Roma Ravennam
Abſtulit, o ſoles! o tunicata quies!

Nimirum illi qui procul negociis domi quietus ſe continebat & Patronorum favorem exambire negligebat, quod illis carere poſſet citra damnum rerum ſuarum. Atque idem *operam togatam* vocat[2]:

Exigis a nobis operam ſine fine togatam,
Non eo, libertum ſed tibi mitto meum.

Porro explicatius ait[3]:

Denariis tribus invitas & mane togatum
Obſervare jubes atria, Baſſe, tua.

Cives togati deducebant & reducebant Patronos, è Magiſtratibus & concivibus ditioribus, in domum, templa, forum. *Longi agminis officia* vocat *Juvenalis*[4]. Quare in vita beatiori *Togam raram* optat[5]:

Lis nunquam, Toga rara, mens quieta.

Domi enim adſidentes Togam exuebant, neque Patronorum anteambulones eſſe volebant.

XII. Sub Tunica habebant *Subuculam* (ut vocat *Suetonius*[6]) ex lana confectam: quæ cutem proxime attingebat. Hinc intelligas illud, quod ſæpe legitur de Tunicis duabus. Una erat interior, id eſt, Subucula, altera exterior, id eſt, Tunica vere dicta. Locus eſt *Lucæ*[7]. ὁ ἔχων δύο χιτῶνας μεταδότω τῷ μὴ ἔχοντι. Et conſimiliter Plautus[8]: *Nec inter tunicas habeas*. Nam quod ibi *Lambinus* & *Taubmannus*[9] notant, *pallium eſt veſtis Græcorum exterior, tunica eſt interior*, non eſt ad rem. *Tunicas* vero dicit multitudinis voce, ut ſupra expoſitum eſt. Locus alius eſt *Matth.*[10], *Marci*[11], *Lucæ*

(1) *lib.* x. *Epig.* 51. (2) *lib.* III. *Epig.* 49. (3) *lib.* IX. *Epig.* 103. (4) *Sat.* 10. (5) *lib.* X. *Epig.* 47. (6) *lib.* II. *cap.* 82. (7) III. 11. (8) *in Aulular. Act.* IV *ſc.* 4. (9) *in Commentario pag.* 184. (10) X. 10. (11) VI. 9.

σε [1]. μὴ ἐνδύσασθαι δύο χιτῶνας. Annotat Grotius [2]: *Ne modo hanc, modo illam tunicam induite, ut ſolent qui iter faciunt, aliis in itinere veſtibus uti, aliis ubi in urbem aliquam advenerunt.* Verum aliter eſt. Scilicet volebat Chriſtus, ne veſtium munimentis confiderent magis, quam par eſſet, adeoque ipſa interula amicti ſtatuerent vel ita non defore medium ſufficiens ad depellendas a corpore tempeſtates ſævas, *Interior tunica* eſt apud *Valerium Maximum* [3], χιτωνίσκον vocant *Appianus* [4], & *Dion.* [5]. Eadem hæc Subucula eſt. Et Subucula quidem virorum proprium erat, Induſium vero fœminarum, uti *Nonius* [6] prolatis a *Varrone* locis docet. E lana conficiebatur utraque Interula, ſerius vero & Cæſarum ævo demum moris fuit, ut de lino eſſet, quod monet *Salmaſius* [7] ad *Lampridii* verba. *Boni linteaminis appetitor fuit, & quidem puri.*

XIII. Locus alius eſt Johan. [8]: *Petrus cum audiviſſet Dominum eſſe,* τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο. Et quia ſtatim additur, ἦν γὰρ γυμνός, inde quidem *Caſtalio* voluit exprimere, *accipit induſium jacitque ſe in lacum.* Dixerat ante illum *Interpres Arabs* אאר קמיצה, ubi omnino aberrat *Fullerus* [9], quando קמיצה exponit de tunica laxa, ut cingulo poſſet includi, ne obeſſet natationi. Certe קמיצה *ſubucula* eſt, & vocabulum ad Hiſpanos, Gallos, Italos, eorum ſive incolæ ſive accolæ Mauri deportarunt, ut *camiſia* hodienum ſit populis illis, quam *ſubuculam* Latini appellant. *Eginhardi* [10] teſtimonio probat *Elias Vinetus* [11]. Veruntamen non placet verſio *Caſtalionis*, & porro non juvat eum, quod Petrus *nudus fuiſſe* dicatur. Γυμνὸν vocant Hebræi & Græcienſes eum, qui ſuperiori veſte exutus eſt, licet ſubuculam retineat,

1. *Sa-*

(1) IX. 3. (2) *pag.* 551. *ad Euangelium Marci.* (3) *lib.* VII. *cap.* 4. (4) *lib.* I. *de Bello. Civ.* (5) *lib.* LXXVII. (6) *de Proprietate Sermonis cap.* XIV. *diſt.* 18. & 36. (7) *Annotatis ad Alexandrum Severum cap.* 40. (8) XXI. 7. (9) *lib.* II. *Miſcellan. ſacror. cap.* II. (10) *è libro de Caroli Magni geſtis.* (11) *Commentariis ad Auſonium num. marg.* 84.

1. *Samuel.* [1], 2. [2], *Jobi* [3], *Eſai.* [4], *Actor.* [5], perinde ut *Mela* [6] dicit, *Germanos plerumque nudos egiſſe.* Interpretatur *Tacitus* de *rejecta veſte ſuperiore. Chryſoſtomus* [7], γυμνὸς μὲν ἦν χιτωνίσκον μόνον. Quid ſit χιτωνίσκον, diximus *in præcedentibus.* Recte iſta monet *Grotius* [8]. Verum non recte illa addit, quæ ſequuntur; Ἐπενδύτης *eſt veſtis genus honoratius*, ϛολὴ ποδήρης *tunica ſuperior, quam induit Petrus, quo honeſtior apud Chriſtum appareret, nihil veritus, ſi eam per aquas gradiendo nonnihil humectaret.* Qui ad natandum ſeſe accingebat, noluit omnino tunica lata gravique, unde natatio impediri poterat, veſtiri. Ut honoratus appareret, vix in illa animi correptione meditari poterat, ſatis eſſe arbitratus, quando pudori conſuleret. Subucula amictus venabatur more ſuo piſces, quoniam labori eo expeditius incumbere poterat, & ne veſtes aliæ macularentur. *Beza* vertit, *amiculum ſuccinxit*, & addit [9], *amiculum lineum pudoris cauſa, ut ſubligaculum eſſet.* Poterat didiciſſe ex Nonno [10]?

Καὶ λινέῳ πεπύκασϑο πολυτρήτῳ χρόα πέπλῳ.

Λίνεον πέπλον eſt amiculum lineum, & tolerari poteſt, quamvis ei refellendo diligenter incumbat *Daniel Heinſius* [11]. Dicit ἐπενδύτης *interula eſt.* Non eſt, uti vocis compoſitio illico arguit. Inſtat *nudum fuiſſe Euangeliſta refert.* Nudus quidem erat, ut tamen interula non careret. Cumque audiviſſet, Dominum eſſe, qui in littore ſtaret, circa induſium, quod propter futuras inferiores a leviori aura impulſum, membra pudori obnoxia revelare facile poſſet, conſtringit ſubligaculum lineum, ita natationi haudquaquam obeſſe poterat. Ἐπενδύτης ergo eſt, quia induſio ſuperinduebatur femorale, & comprimebat illud penes lumbos.

(1) XIX. 24. (2) VI. 20. (3) XXII. 6. *cap.* XXIV. 7. (4) XX. 7. (5) XIX. 16. (6) *lib.* III. *pag.* 155. (7) *ad Baptiſandos.* (8) *Notis ad h. l.* (9) *in Notis pag.* 448. (10) *Paraphraſi ad h. l. pag.* 218. (11) *Ariſtarcho ad Nonnum pag.* 527.

XIV. Pluvio tempore Penulam † (quam *Lacernam* vocant *Plinius*[1], *Suetonius*[2]) injiciebant ſuper Tunica. Martialis[3]:

Amphitheatrales nos commendamur ad uſus,
Cum tegit algentes noſtra Lacerna togas.

Juvenalis[4]:

—— *Fremeret, ſæva cum grandine vernus*
Jupiter, & multo ſtillaret Penula nimbo.

Et[5]:

——— *Pingues aliquando Lacernas*
Munimenta togæ. ———

Ex corio aut vili panno confectam habebant eoque nigro, cives promiſcui. Martialis[6]:

Ingrediare viam cœlo licet uſque ſereno,
Ad ſubitas nunquam ſcortea deſit aquas.

Scorta enim apud veteres ſunt idem quod pelles, ut *Feſtus*[7] docet. Rurſum Martialis[8]:

Spectabat modo ſolus inter omnes,
Nigris munus Horatius lacernis.

Pullatorum turba eſt apud *Suetonium*[9]. Nimirum Penulæ erant coloris pulli. Et[10]: *Niſi poſitis Lacernis togatum conſiſtere.* Lacerna eadem quæ Penula erat, ut diximus, & cum propria civium Romanorum veſtis forenſis Toga eſſet, eaque alba, contra hanc obſervationem majorum varie peccatum eſt per illa tempora, & magis deinceps. Tenuiores depoſita Toga in Tunicis prodibant, inde apud *Tacitum* eſt *populus tunicatus*, id eſt, turba viliſſima. Alii Penulam Togæ loco geſtabant, vel Togæ ſuperinjectam. Auguſtus vero Lacernarum uſum non prorſus abrogavit, voluit tantum, ne quotidianus amictus eſſet in Circo & Foro, ad quæ Urbis loca fere conveniebant cives Romani. Eſt φελόνη, quam

† Formam vide appoſitam ex B. Bartholino *de Pænula c.* 4.

(1) *lib.* XIX. *cap.* 25. (2) *lib.* ✠. *cap.* 6. (3) *lib.* XIV. *Epig.* 137. (4) *Sat.* 5. (5) *Sat.* 9. (6) *lib.* XIV. *Epig.* 150. (7) *lib.* XVIII. *de Verborum ſignificatione pag.* 428. (8) *lib.* IV. *Epigr.* 2. (9) *lib.* II. *cap.* 40. (10) *ibidem cap.* 41.



quam Paulus ſibi petit mitti Troade, 2. *Timoth.* [1], quanquam hoc de *Toga* exponat (quæ erat civium Romanorum honorarius amictus & libertatis ſignum) *Joachimus Stephani* [2]. Attamen magnam differentiam eſſe inter Togam & Penulam, recte probat *Jacobus Cujacius* [3]. Ditiores & militiæ Duces habebant Lacernas coccineas. *Tyrias lacernas* vocat *Martialis* [4], & confer *Johan. Baptiſtam Donium* Florentinum [5].

XV. Tibialia nulla habebant, tantum quod milites illa induerent, & vocabant *caligas*. Inde *caligati*, id eſt, milites, apud *Suetonium* [6]. Et vero qui militiæ gradum aliquem tenebant, ornatiore Caliga quam manipularii utebantur, ac clavis aureis argenteiſque effulgebant, ut monet *Torrentius* [7], & adde illi *Salmaſium* [8], *Berneggerum* [9], *Hieronymum Magium* [10], *Briſſonium* [11]. Nobiles & Equites induebantur Peronibus coriaceis infra genua conſiſtentibus, ac quod reſtabat, faſcia quadam precioſa obligabant proceres ſolum pro ornatu aliquo, ut de Pompejo Magno ſcribit *Valerius Maximus* [12]. De Auguſto Suetonius [13]: *Femoralibus & tibialibus muniebatur.* Notantur pedules & crurules faſciæ, φασπεζίδες ἢ φασκέλιδες, ut multis exponunt *Caſaubonus* [14], *Salmaſius* [15]. Juvenalis [16]:

Nil vetitum feciſſe volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi. ———

Calceo muniebant pedes, & viri quidem habebant Calceos nigros. Juvenalis [17]:

——— *Et nobilis & generoſus*
Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

Mu-

(1) IV. 13. (2) *lib.* I. *de Juriſdictione cap.* 7. *num.* 93. (3) *lib.* XII. *Obſervat. cap.* 39. (4) *lib.* II. *Epig.* 29. *lib.* VIII. *Epig.* 10. *lib.* XIV. *Epig.* 133. (5) *Diſſertatione de Pœnula.* (6) *lib.* II. *cap.* 25. *lib.* III. *cap.* 9. *lib.* VIII. *cap.* 7. (7) *lib.* II. *Sueton. c.* 25. (8) *in Catalectis Schildi ad Suetonium pag.* 395. (9) *Diatribis ad Suetonii Auguſtum pag.* 127. (10) *lib.* III. *Miſcellaneorum cap.* 2. (11) *lib.* II. *Antiquitatum ſelectarum.* (12) *lib.* VI. *cap.* 9. (13) *lib.* II. *cap.* 82. (14) *in Annotatis pag.* 235. (15) *Notis ad Hiſtoriam Auguſtam pag.* 561. (16) *Sat.* 14. (17) *Sat.* 7.

Mulieres vero habebant albos. Ovidius [1]:

Pes malus in nivea ſemper celetur aluta,
Arida nec vinclis crura reſolve tuis.

Itaque viri, qui Calceos albos geſtabant, molles & ſolidi eſſe cenſebantur. Martialis [2]:

Sordidior cœno cum ſit toga, calceus autem
Candidior prima ſit tibi, Cinna, nive.

Diſſentit *Lipſius* [3], & *Calceos fuiſſe albos communiter*, ait. Verum *Martialis* teſtimonium obſtat, quod ille adverſus eomptulum profert. Vopiſcus [4]: *Calceos albos mulieribus reliquit.* Emendat Lipſius, *galbos*, verum hoc repudiat *Salmaſius* [5], & lectionem vulgatam retinet. Nec meliore loco fuerunt illi, qui rubris Calceis utebantur. Ὑπόδημα ἐρυθροχρόον habebat Julius Cæſar, quod obtrectatores ejus traducebant gnaviter, ut refert *Dion Caſſius* [6]. Aut qui Soleas adhibebant, itaque *Cicero* [7] crimini vertit, quod Verres *ſoleatus* inceſſerit. Nam hæ in triclinio ſolum uſitatæ erant, ut diximus *ſupra* [8]. Locus eſt Marci [9]: *Cujus ego non ſum dignus ut ſolvam* τὰ ἱμάντια τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ. *Corrigiam ſolearum ejus*, vertit *Beza* [10], & exponit, *ſolearum*, *quibus plantæ pedis duntaxat obteguntur. Romanus Interpres* habet, *calceamentorum ejus*, melius certe, quandoquidem Soleas non induebant ſive Hebræi ſive Romani, quando foris prodibant, Calceos vero geſtabant, quibus tegebantur pedes crure tenus, ait *Juſtus Lipſius* [11], cum nolebant ἀνυποδητεῖν. *Bezam* redarguit *Daniel Heinſius* [12]. Itaque legitur Marci [13]: *Sed ut calcearentur ſandaliis.* Sandalia eadem ſunt quæ Soleæ, id eſt, calcei domeſtici, per convivia, per ludos, per ocium. Soleatos jubet Chriſtus, non Calceatos, Apoſtolos ſuos iter arripere, non minus adverſus itinerum incommoda, quam adverſus difficultates alias illis conſulturus, quamvis me-

(1) *lib.* III. *de Arte amandi.* (2) *lib.* VII. *Epig.* 32. (3) *lib.* I. *Elect. cap.* 13. (4) *in Aureliano cap.* 49. (5) *Notis ad h. l.* 896. (6) *lib.* XLVII. *Hiſtor.* (7) *lib.* IV. (8) *cap.* III. *diſt.* 3. (9) I. 7. (10) *in Notis ad Matth.* III. 11. *pag.* 12. (11) *Notis ad Tacitum lib.* II. *Annal. num.* 132. (12) *lib.* II. *Exercitat. ſacrar. cap.* I. (13) VI. 9.

dia ordinaria non adeſſent, perinde uti de Tunicis duabus *ſupra*[1] diximus. Id *Tacitus*[2] vocat, *pedibus intectis incedere*, & exponit Lipſius, *incedere ſoleatum, crepidatum, ut plantarum calces tantum imæ tegantur, cæteris fere nudis.*

——— *Nexas ſine tegmine plantas,*

dixit *Manilius*[3], quomodo locum hunc emendavit *Scaliger* in prioribus curis, nam in poſterioribus mutavit, uti patet *ex Annotatis*[4], & confer *Balduinum Walæum*[5], *Hieronymum Magium*[6], *Benedictum Balduinum* Ambianum[7], *Gerhardum Joh. Voſſium*[8].

XVI. Puellæ hactenus, uti Pueri, geſtabant Togam prætextam, eamque die nuptiarum deponebant. Cæterum muliebria veſtimenta erant Stolæ. *Inſcriptio* Lugdunenſis: MEMORIÆ. PERENNI. QUIÆTI. ÆTERNÆ. TERTINIÆ. VICTORINÆ. FEMINÆ. RARISSIMÆ. STOLATÆ. QUONDAM. CONJUGI*. INCOMPARABILI. TERTINIUS. SEVERIANUS. *Gruterus*[9]. Videlicet Tunicæ purpureæ, demiſſæ ad pedes uſque, inſtitam aſſutam habentes, manuleatæ & ſegmentis aureis ornatæ. Ovidius[10]:

Quæque tegis medios inſtita longa pedes.

Juvenalis:

Segmenta & longos habitus & flammea ſumit.

Erant *ſegmenta* faſciæ purpureæ auro intertextæ, quæ veſti pro ornamento inſuebantur. *Longos habitus* dicit, quia Stola ad pedes erat demiſſa. Flammea ſunt nupturientis, uti id eſt *ſupra*[11]. In plicas multas contrahebatur, itaque vocatæ ſunt *tunicæ ſtriatæ*. Ovidius[12]:

Scripſimus hoc illis, quarum nec vitta pudicos
Contingit crines, nec ſtola longa pedes.

Et idem[13]:

Aut tunicam ſumma deducere turpiter ora.

Iconem habes apud *Lazarum Bayfium*[14], † *Jacobum Boiſ-*

* Apud Gruterum legitur SPIRITO.

† Unde hanc figuram tranſtulimus.

(1) *diſt.* 12. (2) *lib.* 11. *Annal.* (3) *lib.* v. *Aſtron.* (4) *pag.* 263. (5) *Commentario perpetuo ad Euangelia pag.* 393. (6) *lib.* 111. *Miſcellaneorum cap.* 3. (7) *de Calceo Antiquo & Myſtico.* (8) *in Lexico Etymologico pag.* 478. (9) *in Volumine pag.* 563. (10) *lib.* 111. *de Arte amandi.* (11) *cap.* 11. *diſt.* 3. (12) *lib.* 111. *de Ponto Eleg.* 3. (13) *lib.* 1. *Amorum Eleg.* 7. (14) *de re Veſtiaria cap.* 1.



Boissardum [1], *Johan. Baptistam de Cavalleriis* [2]. Super Stolis adhibebant *Pallas*, uti vocat *Nonius Marcellus* [3]. Velut operimentum pro ornatu. Horatius [4]:

Ad talos Toga demissa & circumdata Palla.

Ovidius [5]:

Virginei crines auro gemmaque premuntur,
Et tegit auratos Palla superba pedes.

Martialis [6]:

Fascia te tunicæque tegunt, obscuraque Palla,
At mihi nuda satis nulla puella patet.

XVII. Supparos præcingebant, id est, lineum succinctorium ad femora alligatum, ut *Nonius* [7] interpretatur. Virgines delicatiores Strophiis & Fasciis constringebantur, ut papillarum tumor cohiberentur, atque corporis aliqua agilitas esset. Terentius [8]: *Quas matres student, demissis humeris, vincto pectore esse, ut gracilæ sient.* Catullus [9]:

Nec tereti Strophio luctantes vincta papillas.

Sic enim cum *Dousa* legere malumus, quam *cincta*, uti vulgo. Martialis [10]:

Fascia crescentes dominæ compesce papillas.

Zona circumligabant tunicam † mediam. Martialis [11]:

Longa satis nunc sum, dulci sed pondere venter
Si tumeat, fiam tunc tibi Zona brevis.

Cæterum Tunica ipsa fibulis duabus in humero utroque constringebatur, alæ infra brachia demissæ erant consutæ. Quod enim Bayfius [12] contendit, *alas fuisse apertas*, errat ille & frustra adducit. Ovidium:

Pallia si nimium terræ demissa jacebunt,
Collige & immunda sedulus effer humo,

Pro-

† Id optime demonstrat adjecta pictura ex O. Ferrario *l.* III, *de re Vestiar. c.* 17.

(1) *part.* 3. *fol.* 53. 63. & *part.* 5. *Antiquitatum Romanarum fol.* 8. 11. 62. 63. (2) *lib.* 1. *Antiquitat. Romanar. Tab.* 11. 15. 17. 18. 25. 54. 55. (3) *de Proprietate sermonum cap.* XIV. *num.* 7. (4) *lib.* 1. *Sat.* 2. (5) *lib.* III. *Amor. Eleg.* 13. (6) *lib.* XI. *Epigr.* 105. (7) *de Proprietate sermonum c.* 14. *num.* 20. (8) *in Eunucho Act.* III. *sc.* 3. (9) *Epig.* 65. (10) *lib.* XIV. *Epig.* 234. (11) *lib.* XIV. *Epigr.* 151. (12) *de re Vestiaria pag.* 63.



Protinus officii precium patiente puella,
Contingent oculis crura videnda tuis.

Neque enim efferendo pallio aperirentur crura, ſi alæ utrinque conſutæ eſſent, ait *Bayſius*[1]. RESPONDEO. Sunt hæc dicta eo ſenſu, amantem cum lapſam pallii oram tollit, poſſe etiam permittente puella Stolæ aliquantum ſubducere & aſpectu crurum beari. Et porro matronæ ita erant veſtitæ in Stolis, ut nihil præter faciem appareret. Horatius:

Matrona præter faciem nil cernere poſſis,
Cætera, in Catia eſt, demiſſâ veſte tegentur.

Libertinæ & quæ ſtupri licentiam vulgaverant, fibulam in humero dextero ita laxam faciebant, ut non cervice modo, ſed humeris quoque & lacertis conſpicuis eſſent. Ovidius[2]:

Pars humeri tamen ima tui, pars ſumma lacerti
Nuda ſit, a læva conſpicienda manu.

Nimirum, ut procorum oculos in ſe converterent. Zona vero erat precioſa & ſuperba, quam tamen precioſiorem multo habebant Sponſæ, eamque cum Sponſo accubituræ Sponſi ipſius manibus recinctam ponebant, virginitatis perituræ teſſeram. Hinc illud: *Zonam ſolvere*, λύειν ζώνην ait *Homerus*[3], λύειν μίτρην, dixit *Theocritus*[4]. Confer *ſupra*[5].

XVIII. In capite habebant Mitras. *In Catalectis* Virgilii:

Copa Syriſca caput Graja redimita Mitella.

Copa (quod vocabulum etiam *Suetonius*[6] uſurpat) eſt κάπηλις, quæ cauponarias artes exercet, ac cum illi Mitram imponit, docet anum eſſe, uti multis probant *Salmaſius*[7], *Johan. Weizius*[8], *Gerhard. Johan. Voſſius*[9]. Nam propria vetularum erat Mitra. Propertius[10]:

Exſequiæ fuerant rari furtiva capilli

Vin-

(1) *l. d.* (2) *lib.* III. *de Arte amandi.* (3) *lib.* XI. *Odyſſ.* (4) *Idyll.* 20. (5) *cap.* 11. *diſt.* 4. (6) *lib.* VI. *cap.* 28. (7) *in Exercitationibus ad Solinum pag.* 555. (8) *Notis ad Copam pag.* 18. (9) *in Lexico Etymologico pag.* 120. (10) *lib.* IV. *cap.* 5.

Vincula & immundo pallida Mitra ſitu.

Ovidius:

Illa modo Mitra canos incincta capillos,
Fingebat tremula ruſtica liba manu.

Vocabant alio nomine *Calanticas*, ut notat *Servius*[1], * & Iconem matronæ gerentis in capite Mitram rotundam exhibent *Jacobus Boiſſardus*[2], *Joh. Baptiſta de Cavalleriis*[3]. Et ſuberat Reticulum ex optimo lino confectum, quo capilli continebantur, ne diffluerent:

Cui flavam religas comam?

ait *Horatius*[4]. Dictum alias *vitta* & *tænia*. Tibullus[5]:

Sit modo caſta doce, quamvis non Vitta ligatos
Impediat crines, nec ſtola longa pedes,

id eſt, quamvis nondum ſit conjugio elocata. Ovidius[6]:

Scripſimus hæc illis, quarum nec Vitta pudicos
Contingit crines, nec ſtola longa pedes.

Verbis fere iiſdem virgines deſcribit.

XIX. An viri perinde geſtaverint capitis vel ornamentum vel integumentum aliquod, videlicet *Pileum*, non leviter dubium eſt. Caput apertum & ſine Pileo habere, non Romanis ſolum quondam, ſed & Græcis veteribus uſitatum erat, ut *Euſtathii*[7], & aliorum fide cenſent *Turnebus*[8], *Marcellus Donatus*[9], *Johan. Henr. Meibomius*[10]. In veteribus Nummis omnes capite nudo ſcalptos videre eſt. Nec aliter Statuæ veteres, quibus proſtant cæteræ veſtes virorum, nullus vero Pileus invenitur, ut teſtis eſt *Guido Pancirollus*[11]. Et ſi quis Pileo tectus incederet, palam eum Scriptores vel ſervum manumiſſum (unde *Libertas* pingebatur cum Pileo ad cervicem, ut docent Nummi apud *Gorlæum*[12], *Antonium*

* *l.* 25. §. 10. *ff. de Aur. arg. leg.*

(1) *Commentar. ad lib.* IX. *Æneid. pag.* 565. (2) *part.* 3. *fol.* 147. & *part.* 5. *Antiquitat. Romanar. fol.* 57. 62. (3) *lib.* 1. *Antiquitat. Romanar. Tab.* 34. (4) *lib.* 1. *Carm.* 5. (5) *lib.* 1. *Eleg.* 7. (6) *lib.* III. *de Ponto Eleg.* 3. (7) *ad lib.* 1. *Odyſſ.* (8) *lib.* VIII. *Adverſar. cap.* 4. (9) *Elucidationibus ad Spartianum pag.* 1078. (10) *Commentario ad Jusjurandum Hippocratis pag.* 50. (11) *de Veteribus perditis Tit.* 44. (12) *in Theſauro Numiſmatum Tab.* 17. *num.* 7. 8.

nium Auguſtinum[1]) vel ægrum aliquem, vel alia occaſione inductum ita feciſſe, liquido monent De habitu communi eſt nihil tale. *Suetonius* de Claudio[2]: *Ob hanc eandem valetudinem & gladiatorio munere palliolatus novo more præſedit.* Nam quibus Pilei non erant, illi Palliola injiciebant capiti, valetudinarii puta, cinædi & molles. Trimalcion ille apud Petronium: *adraſum pallio incluſerat caput.* Molles inquam: erant enim hæc Pallia velut Mitræ, quibus fœminæ utebantur, ut eſt *ſupra*[3]. Narrat *Suetonius*[4], quod Julio Cæſari Senatus velut honorem extraordinarium decreverit, *ut pro calvitio diſſimulando lauream perpetuo in capite geſtaret.* Quorſum honos ille peculiaris, ſi Pileum ex more geſtaviſſet Julius? Et porro[5] ſcribit, quod poſt Tyranni obitum ad teſtandum lætitiam publicam, *plebs pileata urbe tota diſcurrerit.* Novi nihil, ſi Pileos communiter adhibuiſſent. Erat hoc tempore ſignum libertatis, in quam poſt Tyranni obitum reſtituti gaudebant admodum, uti olim quoque Cæſaris percuſſores circumtulerant totâ urbe Pileum haſtæ impoſitum, teſte *Appiano*[6]. De Adriano Cæſare prodit Spartianus[7], *quod frigora & tempeſtates ita patienter tulerit, ut nunquam caput tegeret.* Si non fecit hoc cœlo pluvio, nec ſane fecerit ſereno cœlo. Res certa eſt, quod cum domi eſſent, Pileo non uterentur, ſed cum iter facerent, *petaſum adhibebant adverſus æſtum & procellas*, Suetonius[8], *Petaſum* vocat, qui alias *Umbella* eſt, de qua Martialis[9]:

Accipe qui nimios vincunt Umbracula ſoles,
Sit licet & ventus, te tua vela tegent.

Et hic quidem de publicis ludis in Circo & Amphitheatro loquitur, ubi ſolebant ſpectatores aut velis obductis æſtum arcere, aut Petaſis ad tempus acceptis. Itaque ejuſdem Poëtæ Epigramma ſequitur:

In Pompejano tectus ſpectabo theatro,

Nam

(1) *Tab.* 5. *num.* 5. *Tab.* 33. *num.* 6. (2) *lib.* v. *cap.* 2. (3) *diſt.* 17. (4) *lib.* 1. *c.* 45. (5) *lib.* VI. *c.* 57. (6) *lib.* 1. *de Bello civili.* (7) *in Vita ejus.* (8) *lib.* 11. *cap.* 82. (9) *lib.* XIV. *Epig.* 28.

Nam ventus populo vela negare ſolet.

De Gauſapa loquitur, quomodo etiam alias *Umbellam* & *Petaſum* vocabant. Niſi quis malit cum *Petro Scriverio* [1], legere *Cauſia*. Græcis καύσων æſtus eſt, itaque Plautus [2]: *Tunicam atque zonam, chlamydem & Cauſiam afferto.* Et [3]: *Cauſiam habeas ferrugineam.* Juvenalis:

En cui tu viridem Umbellam, cui ſuccina mittas.

Viridem, id eſt, viridi colore ſuperlitam, ut eo firmior uſus ejus eſſet, perinde uti hodie Umbellas virides ejuſmodi per itinera ſecum ferunt Itali & Poloni Magnates ad baculos applicatas, ut vinculorum ope explicari & contrahi poſſint. Milites vero etiam Pileis coriaciis utebantur, ut docet *Vegetius* [4]. Cæteri arrectiorem partem togæ attractam in caput geſtabant, quam cum in occurſu dextra exſerta detrahebent coram viro honorato, caput aperuiſſe narrantur. *Plutarchus* de Sylla [5], *advenienti Pompejo aſſurgebat Sylla capite nudato.* Scilicet Togam a capite removendo, ut idem *Plutarchus* [6] ſcribit, τὸ κεφάπεδον ἀπὸ ἱματίου ἀφῆλω ἀπὸ τῆς κεφαλῆς. Prolixe diſſerunt *Alciatus* [7], *Lipſius* [8], *Jacobus Pontanus* [9], *Joh. Brodæus* [10], *Octavius Ferrarius* [11], *Philippus Caroli* [12]. Quod vero *Lipſius* (& hunc ſecutus *Caſaubonus* [13]) contendit, *Togæ laciniam fuiſſe capiti impoſitam, vel inde detractam*, procul a vero abeſt. Κεφάπεδον eſt ſumma Togæ ora, quæ ab dextero humero equidem defluebat, cum de Toga brachium exſerebatur, ſed facile tamen fuit, quum res poſceret, eam dejectæ Togæ partem, quatenus ambitu ſuo prope cervicem extendebatur magis, ut capitii vice eſſet, revocare & caput operire. Expreſſe, *Plutarchus* de Sylla, ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἀπάγοντα τὸ ἱμάτιον, qui locus non ſuccurrit *Lipſio*, quod miror.

Res

(1) *Animadverſ. h. l.* (2) *in Perſa.* (3) *in Militeglorioſo Act.* IV. *ſc.* 4. (4) *lib.* III. *cap.* 5. (5) *in Vitis illuſtribus pag.* 319. (6) *in Gracchis.* (7) *in Parergis lib.* VIII. *cap.* 10. (8) *in Electis lib.* I. *cap.* 23. & *de Amphitheatro cap.* 19. (9) *in Atticis Bellariis pag.* 327. (10) *lib.* VIII. *Miſcellan. cap.* 17. (11) *lib.* I. *de re Veſtiaria cap.* 10. (12) *Animadverſ. ad Curtium pag.* 480. (13) *Notis ad hiſtoriam Auguſtam pag.* 107.

Res ita ſe habet: Non quidem Togæ lacinia vel inferior limbus in caput rejici ſolebat, ſed pars Togæ ſuperior ad cervicem, quæ nempe humero ſiniſtro inſidebat & dextro dejiciebatur, illa attrahebatur in caput, cum ſacra fierent, & cum res alia poſceret. Marmora hoc oculis ingerunt, & ratio evincit. De Cæſare narrat *Sueto-nius*[1], quod *cum animadvertit, undique ſe ſtrictis pugionibus peti, Toga caput obvolvit, ſimul ſiniſtra manu ſinum ad ima crura deduxit, quo honeſtius caderet, etiam inferiore corporis parte velata.* Si infima pars ſive lacinia Togæ in caput rejiciebatur, ut *Lipſius* & *Caſaubonus* putant, non poterat ſinus ad crura inferiora detrahi, qui nihil aliud erat quam lacinia brachio ſubducta? Et quomodo inferior pars corporis velata eſſe potuit extrema ora in caput rejecta? Pars ergo Togæ ſuperior ad cervicem ſiniſtro humero incumbens trahebatur in caput, eaque obvelatio erat maxime in ſacrificiis, uti dictum eſt *ſupra*[2]. Σωσκαλύψατο de Cæſare infeſtis pugionibus circumdato, ait *Dion Caſſius*[3]. De Cæſare itidem *Plutarchus*, ἐφελκύσατο κατὰ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον, quod *Darius Tibertus* vertit, *obducta circum caput Toga.* Recte, illo, quem diximus, ſenſu.

CAP. VI.

De proceſſu Funerum.

I. DE Funeribus eorumque ritibus apud Romanos peculiares libros ſcripſerunt *Johannes Kirchmannus*, *Lilius Gyraldus*, *Johannes Andreæ Quenſted*, *Johannes Meurſius*, *Onuphrius Panvinius*, & confer *Dilherrum*[4], *Jacobum Gutherium*[5], *Franciſcum Peruccium*[6]. Summa hæc eſt: Poſtquam ægrotus efflaverat animam, qui propinqui ejus erant & præſentes, ſpiritum ore legebant. Cicero[7]: *Ut filiorum extremum halitum excipere ſibi*

(1) *cap.* 82. (2) *lib.* I. *c.* XII. *diſt.* 18. (3) *lib.* LIV. *Hiſtor.* (4) *Tom.* I. *Diſputationum Philologicarum pag.* 446. (5) *libris de Jure Manium.* (6) *de Pompa funebri.* (7) 5. *Verrin.*

ſibi liceret. Græcis eſt Ψυχορροφεῖν. Virgilius[1]:

—— *Et extremus ſi quis ſuper halitus errat,*
Ore legam. —— —— ——

Lucanus[2]:

—— *Tacito tantum petit oſcula vultu,*
Invitatque patris claudenda ad lumina dextram.

Digito ſuper palpebras impoſito claudebant oculos, (quod *ſugillare oculos* vocat *Nonius*[3]) ſed in rogo iterum aperiebant illos, *Plinius*[4]. Virgilius[5]:

—— *Nec te tua funera mater,*
Produxi, preſſive oculos. ——

Funera, id eſt funeſta, quod funus ad eam pertineret, ut *Servius*[6] exponit, ac ſequuntur *Gerhard. Johan. Voſſius*[7], *Janus Guilhelmus Laurembergius*[8]. Et quid *produxi* velit, dicetur *infra*[9]. *Martialis* in Epitaphio nobilis Matronæ[10]:

Quinque dedit pueros, totidem mihi Juno puellas,
Clauſerunt omnes lumina noſtra manus.

Propertius[11]:

At mihi non oculos quiſquam inclinavit euntes.

Euntes, id eſt, moribundos, οἰχομένους. Et porro[12]:

Condita ſunt veſtra lumina noſtra manu.

Ita enim emendat *Scaliger*[13], & fere conſentit *Joh. Livinejus*[14]. Ὄμμα συγκλείειν eſt apud *Euripidem*[15]. *Virgilius* ut ſupra:

—— *Preſſive oculos.* ——

Ovidius[16]:

Hic certe manibus fugientes preſſit ocellos
Mater, & in cineres ultima dona tulit.

Et alibi:

Di precor, hoc faciant euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Erat

(1) *lib.* IV. *Æneid.* (2) *lib.* III. *Pharſal.* (3) *de Proprietate Sermonum cap.* II. *diſt.* 785. (4) *lib.* XI. *cap.* 37. (5) *lib.* IX. *Æneid.* (6) *Commentar. h. l. pag.* 559. (7) *in Lexico Etymolog. pag.* 227. (8) *in Antiquario pag.* 189. (9) *diſt.* 3. (10) *lib.* X. *Epig.* 63. (11) *lib.* IV. *Eleg.* 7. (12) *lib.* IV. *Eleg.* 12. (13) *in Notis pag.* 239. (14) *in Notis pag.* 77. (15) *in Hecuba.* (16) *lib.* III. *Amor. Eleg.* 9.

Erat mos ille etiam apud Hebræos, ut monet Johannes *Druſius* [1], & exempla ſunt *Geneſ.* [2], *Tobiæ* [3]. Cæterum interea dum premebant oculos, conclamabant vice prima, experiri volentes, an ſpiritus vere emigraſſet, vel animi deliquium aliquod eſſet, uti è *Plinio* [4] referunt *Servius* [5], *Angelus Decembrius* [6], & confer *Deſiderium Heraldum* [7]. Ovidius [8]:

Nec mandata dabo, nec cum clamore ſupremo
Labentes oculos claudet amica manu.

II. Cadaver perluebatur aqua calida & ungebatur. Virgilius [9]:

Pars calidos latices & ahena undantia flammis
Expediunt, corpuſque lavant frigentis & ungunt.

Plautus [10]: *Ecquis currit pollinctorem accerſere?* Apulejus [11]: *Pollinctor ejus funeri dum parat unctionem.* Et alibi: *Eum lavacro ultimo procurant.* Suetonius [12]: *aquam ſimul ac ligna conferri curando mox cadaveri.* Lavabant & ungebant Libitinarii, quorum ſervi erant Pollinctores, Veſpillones, ut docet *Ulpianus* [13], & confer *Gerhard. Joh. Voſſium* [14]. Antiquiſſimum hoc eſt, exemplo Jacobi, *Geneſ.* [15], de quo ita factum eſt ſecundum mores Ægyptiorum, *præcepit Joſeph ſervis ſuis medicis, ut aromatibus condirent patrem ſuum.* Servis inquam, quia olim ſervi ad medicinam diſcendam adhibebantur, ut fuit *ſupra* [16]. De priſcis Ægyptiis idem teſtantur *Herodotus* [17], *Diodorus Siculus* [18], *Pomponius Mela* [19], & adde quæ de recentium Ægyptiorum conditura in cadaveribus uſitata referunt *Furerus* [20], *Sueiggerus* [21], *Franciſcus Peruccius* [22]. Hujuſmodi veterum Ægyptiorum cor-

(1) *Centur.* 2. *Miſcellan. cap.* 1. (2) XLVI. 4. (3) XIV. 14. (4) *lib.* VII. *Hiſtor. natur. c.* 52. (5) *Commentar. ad lib.* VI. *Æneid. pag.* 510. (6) *lib.* IV. *de re Literaria pag.* 315. (7) *Animadverſis ad lib.* V. *Arnobii pag.* 202. (8) *lib.* 1. *Triſt. Eleg.* 2. (9) *lib.* VI. *Æneid.* (10) *in Aſinaria.* (11) *lib.* IX. *Mileſiar.* (12) *lib.* VI. *cap.* 49. (13) *lib.* V. §. 8. *D. de Inſtitoria actione.* (14) *in Lexico Etymolog. pag.* 288. (15) LI. 2. (16) *lib.* 1. *cap.* 1. *ſect* 26. (17) *in Euterpe.* (18) *lib.* 1. (19) *in deſcript. Orbis lib.* 1. *cap.* 9. (20) *in Itinerario Orientali pag.* 25. (21) *in Itinerario lib.* III. *cap.* 20. (22) *lib.* IV. *pag.* 60.

corpora aromatis condita & ſiccata, *Mumiæ* vulgo vocantur, quod nomen eſt ab Arabico מום *cera*, uti derivat *Gerhard. Johan. Voſſius*[1]. Habent enim conſervandi vim etiam mel ac cera. Exempla alia *in Sacris Literis* ſunt, *Marci*[2], *Johan.*[3], *Actor.*[4], & confer *Galenum*[5]. Locus eſt 1. *Corinth.*[6], ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν? Putant *Beza*[7], *Daniel Chamierus*[8], *Wendelinus*[9], quod reſpiciat *Paulus* ad has mortuorum ablutiones. Sed loci ſenſus omnino alius eſt, quem breviter indicavimus *in Auctariis ad Pappi Epitomen*[10].

III. Poſtquam abluerant, toga honeſta & candida induebant. Livius[11]: *Purpura viri utemur, prætextati in Magiſtratibus, in Sacerdotiis, nec id ut vivi ſolum habeamus inſigne, ſed etiam ut cum eo crememur mortui.* Ea ipſa fere, quam ſibi in vita parari curaverant, ut in illa mortui efferrentur. Ita colligit *Franciſcus Luiſinus*[12], ex loco Virgilii[13]:

Veſte tegens tibi quam noctes feſtina dieſque
Urgebam, & tela curas ſolabar aniles.

Et lecto componebant. Tibullus[14]:

Sic ego componi verſus in oſſa velim.

Ad incinerati corporis reliquias in Urna componendas, refert *Simon Abbes Gabbema*[15], de quo eſt *infra*[16]. *Compoſiti* proprie dicebantur defuncti, & *componi* ſeu *collocari*, quando in ſtrato eorum brachia & pedes decore jacebant. Virgilius[17]:

——— *Tum membra thoro defleta reponunt.*

Thorus hic eſt lectus, qui deinde una cum corpore exurebatur in rogo. *Suetonius*[18] de Julio: *Lectum pro roſtris in forum Magiſtratus & honoribus functi detulerunt.*

(1) *lib.* II. *de Vitiis Latini ſermonis cap.* 12. (2) XVI. 1. (3) XIX. 39. 45. (4) IX. 37. (5) *de Methodo medendi lib.* XIII. *cap* 15. (6) XV. 29. (7) *in Annotatis pag.* 173. (8) *in Panſtratia Catholica Tom.* 3. *lib.* XXVI. *cap.* 19. *num.* 35. (9) *lib.* 1. *Theol. Chriſtianæ cap.* 27. (10) *pag.* 189. (11) *lib.* XXXIV. (12) *lib.* III. *Parergor. cap.* 36. (13) *lib.* IX. *Æneid.* (14) *lib.* III. *Eleg.* 2. (15) *in Notis pag.* 360. (16) *diſt.* 13. (17) *lib.* VI. *Æneid.* (18) *lib.* 1. *cap.* 94.

Quem cum pars in Jovis Capitolini cella cremare, pars in curia Pompeji deſtinaret, repente duo quidam ardentibus cereis ſuccenderunt. Tibullus [1]:

Flebis & arſuro poſitum me Delia lecto.

Compoſitum producebant, id eſt, in veſtibulo domus collocabant ita, ut prætereuntes admoneret exceſſus ſupremi, *Suetonius* [2], *Plutarchus* [3], & ex illis *Juſtus Lipſius* [4]. Hinc *Senecæ* jocus [5]: *Quis eſt iſte decrepitus & merito ad oſtium admotus? foras enim ſpectat.* Ludit & ait: merito ille janitor eſt, & ſervat oſtium, mox ita locandus & efferendus. Nimirum faciem pedeſque ad januam converſos habebat, abiturus & nunquam reverſurus. Perſius [6]:

——— *Tandemque beatulus alto*
Compoſitus lecto craſſiſque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit. ———

Cuſtodem ſandapilarem addebant honoris cauſa. Virgilius [7]:

——— *Recipitque ad limina greſſum,*
Corpus ubi exanimi poſitum Pallantis, Aceſtes
Servabat ſenior. ——— ———

IV. Mox Cupreſſus ad fores per libitinarios deponebatur, ſignum funeris. Virgilius [8]:

——— *Et ferales ante Cupreſſos*
Conſtituunt. ——— ———

Et [9]:

Ilicis & nigra ſpecies, lethæa Cupreſſus.

Sic enim *Giſanius* & *Scaliger* emendant, pro quo *Heinſius* edidit, *& læta Cupreſſus*, non ita bene. Horatius [10]:

Neque harum, quas colis, arborum,
Te, præter inviſas cupreſſos
Ulla brevem dominum ſequetur.

Nec tamen ad fores omnes funeſtas ponebatur. Lucanus [11]:

Et

(1) *lib.* 1. *Eleg.* 1. (2) *lib.* 11. *cap.* 100. (3) *in Quæſtionibus Romanis diſt.* 26. (4) *lib.* 1. *Elector. cap.* 6. (5) *Epiſt.* 12. (6) *Sat.* 3. (7) *lib.* XI. *Æneid.* (8) *lib.* VI. *Æneid.* (9) *in Culice.* (10) *lib.* 11. *Carm.* 14. (11) *lib.* III.

Et non plebejos luctus teſtata Cupreſſus.

Sed tantum, ubi Nobiles & Patricii exſequias parabant. Eoque arbor iſta cumprimis inſerviebat, quod ſemel exciſa nunquam renaſcatur, *Plinius*[1], *Servius*[2], *Feſtus Pompejus*[3], *Flavius Blondus*[4], *Joh. Meurſius*[5], *Philipp. Carolus*[6], *Natalis Comes*[7], *Joh. Kirchmannus*[8]. De quo tamen dubitant *Joh. Baptiſta Porta*[9], *Nicol. Fullerus*[10], quandoquidem apud Candiotas reciſa naſcatur. Septem diebus cadaver domi aſſervabatur, frequentantibus eo quotidie ad luctum cognatis, vicinis, amicis: octavo indicebatur funus Præconis ope in Urbe tota, verbis illis: EXSEQUIAS TITO, SEJO, CAJO, QUIBUS EST COMMODUM IRE, JAM TEMPUS EST, OLLUS EX ÆDIBUS EFFERTUR. Ad ordinandam pompam funebrem Deſignatores aderant, qui hoc cumprimis agebant, ut defuncti cum honore efferrentur, adeoque catalogo inſcripta præſentium nomina recitarent, ac locum, quo quiſque funus proſequi deberet, aſſignaret. Meminerunt *Seneca*[11], *Cicero*[12], & porro Horatius[13]:

——— *Dum ficus prima, calorque*
Deſignatorem decorat lictoribus atris.

Hodie vocamus *Magiſtros cerimoniarum*, ut notat *Budæus*[14], & adde *Jacobum Nicolaum Loenſem*[15], *Johan. Calvinum*[16].

V. Cum exportandum eſſet cadaver, ſecunda vice conclamabatur: nummus æreus inſerebatur ori ejus, qui efferebatur pro funere, naulum Charonti perſolvendum pro Stygiæ paludis tranſmiſſione, quem deinde peracta uſtione una cum cineribus indebant loculo ſive urnulis, atque cum illis ſemper effoditur, ut teſtantur *Joh. Jac.*

(1) *lib.* XVI. *cap.* 33. (2) *Commentar. ad lib.* VI. *Æneid. pag.* 410. (3) *lib.* III. *de Verborum ſignificat. pag.* 275. (4) *de Roma triumphante lib.* II. *fol.* 32. (5) *in Arboreto ſacro lib.* I. *c.* 10. (6) *lib.* IV. *Antiquitat. Romanar. cap.* 12. (7) *lib.* I. *Mytolog. c.* 13. (8) *lib.* I. *de Funeribus Romanorum pag.* 110. (9) *in Villa lib.* II. *cap.* 9. (10) *lib.* IV. *Miſcellan. Sacror. c.* 5. (11) *lib.* VI. *de Beneficiis.* (12) *lib.* IV. *ad Atticum Epiſt.* 3. (13) *lib.* I. *Epiſt.* 7. (14) *ad l. Athletas.* (15) *lib.* III. *Miſcellan. cap.* 25. (16) *in Lexico Juris pag.* 269.

Chiffletius [1], *Melchior Goldaſtus* [2], Conteſtatur Apulejus [3]: *Cum ad flumen mortuum venies, cui præfectus Charon protinus expetens portorium, ſic ad ripam ulteriorem ſutili cymba deducit commeantes. Inſcriptio* Camerinenſis: INFERNO. PLOTONI. CHARÆ. OXORI. PROSERPINÆ. TRICIPITIQUE. CERBERO. MUNUS. MECUM. FERENS. DAMNATAM. DEDO. ANIMAM. VIVAMQUE. HOC. ME. CONDO. MONIMENTO. NE. OBRUTIS. DOMUS. LAPSU. FILIIS. SAX. QUOS. P. SCIPIO. PATRIIS. CAMERTIBIS. A. SALO. ET. LIBYA. INCOLUMES. RESTITUERAT. IN. DESOLATA. ORBITATE. SUPERSIM. MISERA. Refert *Simon Abbes Gabbema* [4]. Græci primi inſtituerunt, & vocaverunt δαναάκλω. *Heſychius* [5], δαναάκη ὁ τῆς νεκροῖς διδόμϗ & ἕδολ &. Meminerunt *Ariſtophanes* [6], & *Lucianus* [7]. Cæterum *Munus* in prolata *Inſcriptione* eſt τὸ ναῦλον. De Charonte Sibylla apud Virgilium [8]:

Portitor has horrendus aquas & flumina ſervat,
Terribili ſqualore Charon, cui plurima mento
Canicies inculta jacet. —— ——

Et Ovidius [9]:

Fata manent omnes, omnes exſpectat avarus
Portitor, & turbæ vix ſatis una ratis.

Avarum dicit, quia τὼ δαναάκλω exigere putabatur. Porro funus comitabantur viri atrati omnes, id eſt, in toga pulla, uti vocat *Cicero* [10]. Propertius [11]:

Denique quis noſtro curvum te funere vidit?
Atram quis lachrymis incaluiſſe togam?

Mulieres habebant vittas albas, crines ſolutos & expaſſos, *Plutarchus* [12]. Ovidius [13]:

Funere ſæpe viri vir quæritur, ire ſolutis
Crinibus, & fletus non tenuiſſe decet.

Tibullus [14]:

Ante

(1) *in Deſcriptione Veſontionis part.* I. *cap.* 26. (2) *Notatis ad Columbani Abbatis carmina pag.* 93. (3) *lib.* VI. *Mileſiar. pag.* 180. (4) *Notis variis ad Petronium pag.* 545. (5) *in Lexico.* (6) *in Ranis.* (7) περὶ πένθους. (8) *lib.* VI. *Æneid.* (9) *Conſolat. ad Liviam.* (10) *in Piſoniana.* (11) *lib.* IV. *Eleg.* 7. (12) *in Problematis Romanis quæſt.* 26. (13) *lib.* III. *de Arte amandi.* (14) *lib.* III. *Eleg.* 2.

Ante meum veniat longos incompta capillos,
Et fleat ante meum mœsta Neæra rogum.

Petronius [1]: *Hæc ergo cum virum extuliſſet, non contenta vulgari more, funus paſſis proſequi crinibus aut nudatum pectus in conſpectu frequentiæ plangere.* Et confer *Lipſium* [2]. Ditiores lectis impoſiti ferebantur. Propertius [3]:

Nec mihi tunc fulcro ſternatur lectus eburno,
Nec ſit in Attalico mors mea nixa thoro.

Superinjectis veſtimentis eorum aut armis, ſi militiæ operam navaſſent. Virgilius [4]:

—— Tum membra thoro defleta reponunt,
Purpureaſque ſuper veſtes, velamina nota
Conjiciunt. —— —— —— ——

Lucanus [5]:

Collegit veſtes miſerique inſignia Magni
Armaque & impreſſas auro, quas geſſerat olim,
Exuvias, pictaſque togas, velamina ſummo
Ter conſpecta Jovi, funeſtoque intulit igni.

Eæ deinde una exurebantur. Tibicen præcedebat, quem *ſiticinem* vocabant, teſtibus *Nonio* [6], *Gellio* [7], & vide *Lucianum* [8], nec non prolixe *Hieronymum Magium* [9], *Johannem Baptiſtam Pium* [10]. Locus eſt *Matth.* [11]: ἠχῇ ἰδὼν τοὺς αὐλητὰς, ubi *Theophylactus* rationem allaturus, cur puella defleretur πρὸς αὐλὸν, inquit, ἄγαμον· ἵνα μὴ τῶν γαμικῶν αὐλῶν αὐτὴν ἐθρήνησαν. *Obſervationem inanem eſſe*, merito dicit *Caſaubonus* [12]. Nam moris hoc erat, ſive innupta puella eſſet ſive marita, deflebatur utraque ad tibias. Scilicet Judæi acceperunt hoc a Romanis, poſtquam ſub eorum imperium redacti ſunt: fallitur vero *Grotius* [13], ubi ſcribit, *exſtare in antiquiſſimis Ebræorum ſcriptis moris ejus veſtigia.* Nulla tamen producit, adeoque veterum Ebræorum mos ille non erat, ut Siticines

(1) *in Satyrico pag.* 140. (2) *Notis ad Tacitum lib.* 11. *Annal.* 158. (3) *lib.* 11. *Eleg.* 10. (4) *lib.* VI. *Æneid.* (5) *lib.* IX. (6) *de Proprietate Sermonum cap.* 1. *diſt.* 268 (7) *lib.* XX. *c.* 2. (8) περὶ πάθους. (9) *lib.* 1. *Miſcellan. c.* 13. (10) *in Annotatis poſterioribus c.* 188. (11) IX. 23. (12) *Notis ad Euangeliſtas pag.* 347. (13) *Notis ad Euangelia pag.* 189.

adhiberent, quod recte monent *Abraham Scultetus*[1], *Menochius*[2], *Schickardus*[3]. Decantabat ille *neniam* (uti *Suetonius*[4], vocabulo Phrygum proprio, teſte *Julio Polluce*[5], & vide multis *Joſephum Scaligerum*[6], *Thomam Reineſium*[7]) ſive leſſum funebrem, quo defuncti laudes & præclara facta exponebantur. Comitabantur *Præficæ* (ita mulieres illas *Nonius*[8] vocat) & lugubriter concinebant verbis, addebant facta, ſic etiam, ut ad teſtandam luctus acerbitatem manibus lacerarent genas & elicerent ſanguinem. Quod deinde fieri vetuit Lex duodecim Tabularum: *Mulieres ne radunto genas, neve leſſum funeris ergo habento.* Ubi *radere* eſt idem, quod impactis unguibus cruentare, *leſſus* vero eſt exceſſus, quem committebant in planctu. Tale quid Phœnices fecerunt, & prohibetur *in Literis Sacris, Levit.*[9]. Adde R. *Maimonidem*[10], *Thalmudiſtas*[11]. Illud vero in uſu eſſe perſeveravit, ut Sorores Fratribus, Matres Filiis, Uxores Maritis defunctis pro funeris honore crines attonſos in rogum conjicerent, *Plutarchus*[12]. Propertius[13]:

Illa meo caros donaſſet funere crines,
Molliter & tenera poneret oſſa roſa.

Ovidius[14]:

Miſta bibunt molles lacrymis unguenta favillæ,
Vertice libatas accipiuntque comas.

De Anna Perenna loquitur, quæ ſorori Didoni faciebat juſta. Mos profluxit a Græcis, ut teſtantur *Euripides*[15], (ubi eſt, κόμας δότω τάφῳ) *Homerus*[16], *Sophocles*[17]. Et omnino hoc pertinebat ad funeris ſolennia, proinde quos vovebant inhonorata ſepultura affici, eis cupiebant deeſſe

(1) *lib.* II. *Exercitat. Euangel. c.* 55. (2) *lib.* VIII. *de Repub. Hebræorum c.* 5. *quæſt.* 6. (3) *de Jure Regio Hebræorum cap.* 6. *theor.* 19. (4) *lib.* II. *c.* 100. (5) *Onomaſtico.* (6) *Conjectaneis ad Varronem pag.* 142. (7) *in Lectionibus variis lib.* 3. *c.* 10. (8) *de Proprietate Sermonum c.* 1. *diſt.* 240. (9) XIX. 28. *cap.* XXI. 5. (10) *de Idololatria c.* 12. *ſect.* 12. (11) *in Maccoth. c.* 3. *ſect.* 5. (12) *in Problematis Romanis num.* 13. (13) *lib.* 1. *Eleg.* 17. (14) *lib.* III. *Faſtor.* (15) *in Oreſte.* (16) *lib.* XXI. *Iliad. & lib.* IV. *Odyſſ.* (17) *in Ajace.*

eſſe talia. Tibullus[1]:

Seu veniat tibi mors, nec erit qui lugeat ullus,
Nec qui det mœſtas munus in exſequias.

Hoc vult, ut deſint ei mortuæ, qui funus lachrymis & leſſo proſequantur, quique manibus ejus rite inferias mittant inferantque annua piacula. Locus eſt Jeremiæ[2]: *Non plangent eum, heu frater mi, aut heu ſoror, non plangent eum, heu domine, aut heu decus ejus.* Sepulturam ignobilem deſcribit, quam Rex captivus inter barbaros accepturus eſſet. Luctus vero debebat eſſe moderatus. Manes enim offendi nimio leſſu & planctu credebat veterum ſuperſtitio. Tibullus[3]:

Tu manes ne lade meos, ſed parce ſolutis
Crinibus, & teneris Delia parce genis.

ubi vide *Scaligerum*[4], & quæ ille *ex veteri Inſcriptione* apud Narbonenſes refert. Sequebantur Præficas illi, qui funalia ferebant. Perſius[5]:

Hinc tuba, candelæ. — ——

Nam tuba in Magnatum funeribus adhibebatur, tibiam habebant de vulgo homines. Seneca[6]: *Quidam vero diſponunt etiam illa, quæ ultra vitam ſunt, moles magnas ſepulchrorum, & operum publicorum dedicationes, & ad rogum munera, & ambitioſas exſequias. At mehercule iſtorum funera tanquam minimum vixerint, ad faces & cereos deducenda ſunt.* De quo loco videris *Lipſium*[7]. Virgilius[8]:

— —— *Et de more vetuſto*
Funereas rapuere faces. ——

VI. Arma gentilicia & expreſſas in cera majorum facies velut ſimulachra longo ordine in haſtis præferebant ſervi publici magno cum apparatu, ut ſtemmatis claritas eo manifeſtior eſſet, *Cicero*[9], *Appianus*[10], *Polybius*[11], *Tacitus*[12], & conſentit Horatius[13]:

(1) *lib.* II. *Eleg.* 4. (2) XXII. 18. 19. (3) *lib.* I. *Eleg.* 1. (4) *in Notis pag* 109. (5) *Sat.* 3. (6) *de Brevitate Vitæ c.* 20. (7) *Notis ad Tacitum lib.* III. *Annal. num.* 4. (8) *lib.* XI. *Æneid.* (9) *lib.* II. *de Oratore.* (10) *lib.* II. *de Bello Civili.* (11) *lib.* VI. (12) *lib.* III. & IV. *Annalium.* (13) *lib.* V. *Carm.* 8.

Esto beata, funus atque imagines
Ducant triumphales tuum.

Plebeji *capulis* aut *feretris* (*populárem sandapilam* vocant *Suetonius*[1], *Fulgentius*[2]) efferebantur per vespillones, quos *Festus* appellat *vespas*, additque rationem[3], *quoniam vespertino tempore mortuos efferrent, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt.* Illi adde *Gerhardum Johan. Vossium*[4]. Noctu sepeliebant veteres Romani ad funalium lumen, ut *Servius*[5] monet. Virgilius[6]:

——— ——— *Lucet via longo*
Ordine flammarum & late discriminat agros.

Permansit inde mos, ut in omnibus funeribus etiam die elatis funalia adhiberent, *supra*[7]. Seriori ævo plebejos noctu extulerunt sine pompa, quæ erant, *funera tacita:* divites in luce, quorum funera dicta sunt *indictiva* inde, quoniam solennia præmissa omnia complectebantur. Sed & divites extulerunt noctu *funera acerba*, id est, amicorum, qui ante justam ætatem defuncti erant, ut non possent sine magno cordolio audire laudes, quæ palam recitabant. Virgilius[8]:

——— *Pallas, quem non virtutis egentem*
Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.

Tacitus[9]: *Nox eadem necem Britannici & rogum conjunxit, proviso ante funebri apparatu, qui modicus fuit.* Et paulo post: *Festinationem exsequiarum edicto Cæsar defendit, id a majoribus institutum referens, subtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus aut pompa detinere.* Erant ex infima plebe succollatores illi, & sæpissime viles servoli. Persius[10]:

——— ——— *At illum*
Hesterni capite induto subiere Quirites.

Servos describit; vel libertos potius, qui cum libertate data pileum acceperant simul hesterni Quirites, & herum

(1) *lib.* XII. *c.* 17. (2) *de Sermone num.* 1. (3) *lib.* XX *de Verborum significatione pag.* 474. (4) *in Lexico Etymologico pag.* 552. (5) *Commentar. ad lib.* XI. *Æneid. pag.* 627. (6) *lib.* XI. (7) *dist.* 5. (8) *lib.* XI. *Æneid.* (9) *lib.* XIII. *Annal.* (10) *Sat.* 3.

rum ad ſepulturam efferebant, ut notat *Lubinus*[1]. Martialis[2]:

Quatuor inſcripti portabant vile cadaver,
Accipit infelix qualia mille rogus.

Inſcripti, id eſt, literati, ut *ſupra*[3]. Catullus[4]:

A ſemiraſo tonderetur uſtore.

Uſtor eſt veſpillo & νεκροκαύτης, id eſt, pyrarum conſtructor. Semiraſi erant, damnati quicunque ad opus aliquod publicum, uti ſunt molendina, remi, & ad cadavera vilia efferenda, ait *Scaliger*[5]. Nam de honoratioribus dictum eſt ſupra verbis *Perſii*.

VII. Poſt elatum funus, ſcopis domus verrebatur, & purgabatur ſolenni ancillarum concurſu, quem *exverras* vocat *Feſtus*[6]. Nimirum hoc ideo, ut omnis contactus immundus, qui a funere oriri poterat, ultima vice exigeretur foras. Et olim quidem nec cum pompa ſepeliebant, nec urebant defunctos, *omnes in ſuis domibus ſepeliebantur*, ait *Servius*[7]. Aut ubi deficiebant illa, extra pomerium in agro publico leviter egeſta humo defodiebantur. Locum ſepulchri in Campo Martio, alias quoque in Eſquilino, deſignabant Augures & Pontifices, ut fere extra aliorum hominum contactum eſſet, ne Sacra funeſtarentur ac vivi a mortuorum contactu inquinarentur, *Plinius*[8], *Strabo*[9], *Dion Caſſius*[10]. Inde eſt illud Propertii[11]:

Si piguit portas ultra procedere, at illud
Juſſiſſes, lectum lentius ire meum.

Sed poſtquam a Græcis & Pœnis morem urendi petierunt, buſtum fuit, quod hactenus ſepulchrum erat. Lucretius[12]:

At nos horrifico cineſactum te prope buſto
Inſatiabiliter deflebimus. — —

Quando hoc primum cœperit, diſquirunt *Hieronymus*

(1) *in Commentario pag.* 748. (2) *lib.* VIII. *Epig.* 75. (3) *cap.* 1. *diſt.* 3. (4) *Epigr.* 60. (5) *Notis ad Catullum pag.* 42. (6) *lib.* V. *de Verborum ſignificatione pag.* 264. (7) *Commentar. ad lib.* VI. *Æneid. pag.* 476. (8) *lib.* VII. *cap.* 54. (9) *lib.* V. *Geogr.* (10) *lib.* XLVIII. *Hiſtor.* (11) *lib.* IV. *Eleg.* 7. (12) *lib.* III.

Magius[1], *Joh. Kirchmannus*[2], & adverſus *Ciceronem*[3], pariter ac *Plinium*[4] concludunt, jam ante Syllæ tempora in uſu fuiſſe, ut cremarentur mortui. Nam in Legibus decemviralibus multo ante Syllam tempore editis hæc erant: *Hominem mortuum in Urbe nec ſepelito, nec urito.* Et apud Terentium[5]: *Chryſidis funus procedit, ſequimur, ad ſepulchrum venimus, in ignem impoſita eſt, fletur.* Poterat equidem Sylla primus in familia ſua Cornelia hunc morem abhibuiſſe, ut cremari vellet, ejuſque exemplo Proceres alii deinceps cremati ſunt, cæterum olim quidam ſepeliebantur, quidam cremabantur. De Pœnis conſtat ex *Juſtino*[6], Darium Perſiæ Regem juſſiſſe illos, *mortuorum corpora terra potius obruere quam cremare.* Ita enim locus emendari omnino debet (ut monet *Berneggerus*[7], *Raderus*[8]) ac conſtat, quod veteres Perſæ contumulaverint cadavera, non vero cremaverint, *Herodotus*[9], *Xenophon*[10]. De Græcis eſt res vulgata. Πυραὶ νεκρῶν ſunt locis multis apud *Homerum*[11], & *Thucydidem*[12]. Atque hoc defendebat Heraclitus Philoſophus, adverſus quem contendit Thales Mileſius & Græcis Aſiaticis perſuaſit, ut cadavera terræ infoderentur, quomodo refert *Servius*[13]. Indorum Bramenes hodienum exurunt defunctos, ut teſtatur *Johan. Hugo Linſchotanus*[14]. De Cinaloanſibus Americæ populis idem narrat *Gothofredus*[15], nec non Germani veteres, autore *Tacito*[16], Galli quoque, ut narrat *Joh. Jac. Chiffletius*[17], & Boreales gentes, antequam fidem in Chriſtum ſuſciperent, uti produnt *Stephanius*[18], *Johannes Loccenius*[19], *Philippus Cluverius*[20].

VIII.

(1) *lib.* III. *Miſcellan. cap.* 10. (2) *lib.* I. *de Funeribus Romanorum c.* 2. (3) *lib.* II. *de Legibus.* (4) *lib.* VII. *Hiſtor. natur. c.* 54. (5) *Andr. Act.* I. *ſc.* 1. (6) *lib.* XIX. *Hiſtor.* (7) *Notis ad Juſtinum pag.* 305. (8) *Notis ad Curtium pag.* 96. (9) *lib.* III. (10) *lib.* VIII. *Cyropæd.* (11) *in Iliade. ad lib.* XI. *Æneid. pag.* 629. (12) *lib.* II. (13) *Commentario* (14) *in Navigatione Orientali pag.* 47. (15) *in Archontologia Coſmica lib.* I. *pag.* 332. (16) *de Moribus Germanorum c.* 27. (17) *part.* I. *Deſcript. Veſontionis c.* 26. (18) *Notatis ad lib.* III. *Saxonis Grammatici pag.* 91. (19) *lib.* II. *Antiquitat. Suecicar. c.* 25. (20) *in Germania Antiqua lib.* I. *c.* 52.

VIII. Ebræi perinde cadavera defodiebant, non exurebant. *Tacitus*[1] de Judæis : *Corpora condere quam cremare more Ægyptio.* Defodiebant in ſubterraneis, ne fœtore auras corrumperent in ſupernis poſita, ἤδη ὄζει de Lazaro extincto, ait Martha *Johan.*[2]. Dies quartus erat, ex quo cadaver ille erat, ac proinde jam fœtebat. Patet hinc, Judæos corpora defunctorum non condiviſſe aromatis, exenterata, ut ſolebant Ægyptii. Nullus enim fœtor ex cadavere conditura medicato prodiviſſet, ungebant vero extrinſecus, uti eſt *ſupra*[3]. Dubitant quidem hac de re *Hieronymus Magius*[4], *Cornelius a Lapide*[5], *Danhaverus*[6], *Joh. Tarnovius*[7], *Georgius Hornius*[8], & perſuadere conantur, quod Hebræi quoque exuſſerint cadavera ſua. Adferunt exempla Saulis & filiorum ejus, quos Jabeſitæ combuſſerunt, 1. *Samuel.*[9]. Aſſæ Regis, ſuper quo combuſſerunt uſtionem magnam, 2. *Paralip.*[10]. Jorami Regis, ſuper quo non fecerit populus uſtionem ſimilem uſtioni majorum, 2. *Chronic.*[11] Zedeciæ Regis, cui uſtionem comburere populares, & plangere deberent, *eheu Domine*, Jerem.[12]. Addunt locum Prophetæ : *cumque tollet aliquem amicus ejus, aut uſtor educet oſſa ejus domo*, Amos[13]. RESPONDEO : (1) Quodſi exuſſerunt cadavera illa, peculiare aliquid factum eſt, & rationem dant *Vatablus* ac *Tremellius*[14], *Caſp. Sanctius*[15]. Quoniam illa jamdudum Soli & aëri expoſita computruiſſent. Rectius vertas : *& reverſi Jabes incenderunt ſuper ea ibi.* Nimirum aromata, ut moris erat in funere Principum. Ita bene *Sebaſtianus Munſterus*[16] monet, ac *Interpres Chaldæus* expreſſit. Cadavera ipſa terræ infoderunt, ut ſtatim in contextu docetur, (2) De funeratione Regis Aſæ eſt locus expreſſus: *& combuſſerunt ei uſtionem maximam*, ſcilicet incenſis aro-

(1) *lib.* v. *Hiſtor.* (2) XI. 39. (3) *diſt.* 2. (4 *lib.* III. *Miſcellan. c.* 11. (5) *Commentar. ad lib.* 1. *Samuel. pag.* 359. (6) *in Hodoſophia ſacra pag.* 1000. (7) *Comm. ad Amoſum pag.* 166. (8) *Notis ad lib.* 1. *Sulpicii pag.* 190. (9) XXXI. 12. (10) XVI. 14. (11) XXI. 19. (12) XXXIV. 5. (13) VI. 10. (14) *in Notis.* (15) *Comment. ad h. l. pag.* 256. (16) *ad h. l.*

aromatibus variis, de quibus mentio præcedit, injectis ſimul utenſilibus & veſtimentis ejus precioſis, ut accurate docent *Rabbinus Kimhi*, *Abravaniel. Becchai*, & cum illis *Wilhelmus Schickardus* [1], *Martinus Gejerus* [2]. Sic enim ferebat mos perpetuus in obitu Regum omnium, quibus non contingebat plebeja ſepultura, ut Joramo, 2. *Chron.* [3], & Jojacimo, *Jerem.* [4]. Eadem ratio eſt de cæteris, & vero (3) Locus Prophetæ ad Magnatum funera commode applicatur, ut aromatum uſtiones indicentur, perinde ut in ſuperioribus.

IX. Libitinarii pyram † in modum aræ è lignis im-



politis, conſtruebant, ut Lex Decemviralis jubebat: *ne facito rogum aſcia, ne polito.* Virgilius [5]:

——— ——— *Aramque ſepulchri*
Congerere arboribus, cœloque educere certant,

& ibidem *Servius* [6]. Materies erat lignum, quod facile conciperet ignem, affuſa pice. *Inſcriptio* Romana: D. M. PUBLIO. ATTILIO. RUFO. ET. ATTILIÆ. BERONICÆ. VIXER. ANN. XXXIV. SED. PUB. MENS. X. ANTE. NATUS.

† Rogi ſtructuram conſpiciendam dat nummus Conſtantis hic inſertus ex J. Gutherio *l.* 1. *de Jure Man. c.* 25.

[1] *de Jure Regio Hebræorum c.* 6. *theorem.* 19. [2] *de Luctu Hebræorum pag.* 101. [3] XXI. 19. [4] XXII. 19. [5] *lib.* VI. *Æneid.* [6] *in Commentariis pag.* 407.





TUS. EST. ET. EADEM. HORA. FUNGOR. ESU. AMBO. MORTUI. SUNT. ILLE. ACU. ISTA. LANIFICIO. VITAM. AGEBANT. NEC. EX. EORUM. BONIS. PLUS. INVENTUM. EST. QUAM. QUOD. SUFFICERET. AD. EMENDAM. PIRAM. ET. PICEM. QUIBUS. CORPORA. CREMARENTUR. ET. PRÆFICA. CONDUCTA. ET. URNA. EMPTA. *Gruterus* [1]. Virgilius [2]:

Procumbunt piceæ, ſonat icta ſecuribus ilex,
Fraxineæque trabes. ———

Et paulo poſt:

Principio pinguem tædis & robore ſecto
Ingentem ſtruxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera. ———

Imponebant cadavera cum lectis, & ardentibus facibus averſa facie incendebant. Virgilius [3]:

——— *Et ſubjectum more parentum*
Averſi tenuere facem. ———

Averſa facie recte pingit eos *Juſtus Lipſius* [4], * nam quod facie converſa delineat *Jacobus Laurus* [5], id errorem aut potius negligentiam arguit. Pater, mater, affines, amici, propinqui accendebant rogum. Aromata & ſuffimenta paria conferebant, ut odoris gravitas prohiberetur. Virgilius [6]:

——— ——— *Congeſta cremantur*
Thurea dona, dapes, fuſo crateres olivo.

Martialis [7]:

Dum levis arſura ſtruitur Libitina papyro,
Dum myrrham & caſiam flebilis uxor emit.

Flebilis uxor, id eſt, quæ maritum moribundum lugebat. Statius [8]:

Ver Arabum Cilicumque fluit, floreſque Sabæi,
Coryciaque comæ. ———

Deſcribit thura & myrrham, nec non crocum, qui opti-

* Cujus ecce figuram hic adjunctam habes.

[1] *in Volumine.* [2] *l. d.* [3] *l. d.* [4] *lib.* 1. *Saturnal. cap.* 8. [5] *part.* 2. *Antiquitat. Romanar. Tab.* 12. [6] *l. d.* [7] *lib.* x. *Epig.* 97. [8] *lib.* VI. *Thebaid.*

optimus erat in Coryco monte Ciliciæ. Nam crocus olim inter odores optimos erat, ut diximus *ſupra*[1], & quod alias adhiberetur in feſtis publicis. Suetonius[2]: *Sparſo per vias identidem croco.* Rogo incenſo ventos rogabant, ut vellent aſpirare, ac flammas non alere ſolum, verum quoque animam, quæ hactenus cadaveri præſens, nunc illo in cineres adacto, ad campos Elyſios abitum maturaret, facili provectione juvare. Propertius:

Cur ventos non ipſe rogis ingrate petiſti?

Poſtquam deflagraverant, aſſervabant cineres, ne a prætereuntibus diſſiparentur. Virgilius[3]:

Poſtquam collapſi cineres. ———

Tibullus[4]:

Non ſoror, Aſſyrios cineri quæ dedat odores,
Et fleat effuſis ante ſepulchra comis.

Propertius[5]:

Cur nardo flammæ non oluere meæ?

X. Sive Præco, ſive Præfica exclamabat: ILICET. Virgilius[6]:

——— *Dixitque noviſſima verba,*

& *Servius*[7]. Proinde Sacerdos aſpergillo, qui ramus oleæ vel laurus erat, præſentem turbam irrorabat, & pura aqua (ὕδωρ ἅγιον vocat *Dionyſius Halicarnaſſæus*) expiabat. Virgilius[8]:

Idem ter ſocios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi & ramo felicis olivæ,
Luſtravitque viros

Hoc Græcis eſt περιραίνειν, & de februis illis (quomodo vocabant purgationes ſolemnes) in funere pollutis, vide porro *Caſaubonum*[9]. Illi abeuntes a rogo valedicebant, eratque communis formula: ÆTERNUM. VALE. NOS. TE. ORDINE. QUO. NATURA. PERMISERIT. CUNCTI. SEQUEMUR. Catullus[10]:

Atque

[1] *lib.* I. *c.* XI. *diſt.* 5. [2] *lib.* VI. *c.* 25. [3] *l. d.* [4] *lib.* I. *Eleg.* 3. [5] *lib.* IV. *Eleg.* 7. [6] *l. d.* [7] *in Commentario ibid. pag.* 411. [8] *l. d.* [9] *Comment. ad Sat.* 2. *Perſii.* [10] *Epig.* 100.

Atque in perpetuum frater ave atque vale.

Virgilius [1]:

——— *Salve æternum mihi maxime Palla,*
Æternumque vale. ———

& *Servius* [2], ἄλε ἢ χαῖρε dicebant Græci. Plautus [3]: *Vale qui properas, bene vale: apud Orcum te videbo.* Inde hoc natum, quia exiſtimabant miſeri illi, σὺν μακαρίτας ſe in æternum amittere. Catullus [4]:

Nobis cum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetuo una dormienda.

Ovidius [5]:

Nox tibi, nè properes, iſta perennis erit.

Aut ſaltem dubitabant, an ſupereſſent. Tacitus [6]: *Si quis piorum manibus locus, ſi ut ſapientibus placet, non cum corpore exſtinguuntur magnæ animæ, placide quieſcas.* Multa hic annotat *Virdungus* [7], ut probet, ſapientes è Paganis agnoviſſe animæ immortalitatem. Democrito impingit delirium, quaſi docuerit, *animam eſſe compoſitam ex atomis & in eaſdem reſolvi.* Neſcio, ubi hoc de illo ſapientum principe ſcriptum ſit. Longe aliter Plinius, *promiſiſſe illum reviviſcentiam corporum.* Quanquam *vanum* ille vocet Epicurea vanitate perculſus [8]. Pergit: *Zoroaſtrem, Themiſtium, Pythagoræos, Platonicos docuiſſe, quod animæ immortales ſunt, & quod corporum univerſalis reſurrectio futura eſt.* Quod crediderint animarum circulationem, eſt verum, de qua re vide quæ ſcripſimus *in Auctariis ad Pappum* [9], & adde *Paulum Slevogtium* [10], *Stephanum Forcatulum* [11]. De re eadem Tibullus [12]:

Seu matura dies celerem properat mihi mortem,
Longa manet ſeu vita tamen mutata figuram.

& *Paſſeratius* [13]. Reſurrectionem corporum nemo eorum

[1] *lib.* XI. *Æneid.* [2] *Commentar. h. l. pag.* 625. [3] *in Aſinaria Act.* III. *ſc.* 3. [4] *Epig.* 5. [5] *Epiſt.* 14. [6] *in vita Agricolæ.* [7] *in Commentario pag.* 257. [8] *lib.* VII. *Hiſtor. natural. cap.* 55. [9] *pag.* 158. [10] *in Diſputationibus Academicis pag.* 829. [11] *lib.* I. *de Gallorum Philoſophid & Imperio pag.* 41. [12] *lib.* IV. *Eleg.* 1. [13] *Commentario ad h. l.*

rum docuit, nemo credidit. Hoc addit, *facere Ariſtoteli injuriam illos, qui ſtatuunt, docuiſſe animam eſſe corruptilem.* De quo viderit ille. Certe *Ludovicus Vives*[1], *Simon Portius*[2], *Contarenus*[3], *Combachius*[4], *Laurentius Valla*[5], *Joh. Micralius*[6], *Nicolaus Taurellius*[7], multis argumentis evincere ſatagunt, Ariſtotelem non poſſe ab hoc errore defendi, quem pro animæ corruptibilitate in teſtimonium advocare voluit magnus Peripati Doctor *Averrhoës*[8], & exactiſſimus interpres *Pomponatius* dictis ejus ſuperſtruxit ſcepticiſmum de animæ mortalitate.

XI. Inferias ſolvebant Diti, ut ante rogum funderent ſanguinem. Non tamen in omnium exſequiis, ſed tantum in Magnatum & Virorum fortium funere. Et tunc captivos ibi jugulabant. Virgilius[9]:

Quatuor hinc juvenes totidem quos educet Ufens.
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundit ſanguine flammas.

Et[10]:

Vinxerat & poſt terga manus, quos mitteret umbris,
Inferias, cæſo ſparſuros ſanguine flamma.

Servius[11]: *Sane mos erat in ſepulchris virorum fortium captivos necari, quod poſtquam crudele viſum eſt, placuit gladiatores ante ſepulchra dimicare, qui a buſtis cineribus buſtuarii appellati ſunt.* Gladiatores, qui ſe mutuo conciderent, & ſanguine placarent manes, primi Junius & Marcus Brutus inſtituerunt, in memoriam patris defuncti, qui prælio adverſus Tarquinios pro urbis libertate occubuerat, ut referunt *Livii Epitome*[12], *Valerius Maximus*[13]. Horum exempla ſecuti deinceps alii, & de Marci Æmilii Lepidi funere ita narrat *Livius*[14], de

[1] *lib.* II. *de Anima pag.* 144. [2] *de Mente humana.* [3] *lib.* VI. *de Rerum Perfectione cap.* 7. [4] *lib.* IV. *Inſtitution. Phyſicar. pag.* 654. [5] *lib.* I. *Dialecticarum quæſtion. cap.* 7. 8. [6] *in Ethnophronio lib.* I. *pag.* 88. [7] *lib.* II. *Alpium cæſarum quæſt.* 8. [8] *Commentariis ad libros de Anima* [9] *lib.* X. *Æneid.* [10] *lib* XI. *Æneid.* [11] *Commentar. ad lib.* X. *Æneid. pag.* 601. [12] *lib.* XVI. [13] *lib.* II. *c.* 4. *diſt.* 7. [14] *lib.* XXIII.

de Licinii funere, narrat idem [1], de Valerii Levini funere eſt apud eundem [2]. Inde ſunt *munera gladiatoria*, quæ memorat *Suetonius* [3], & aurigationes Circenſes cum trigis in honorem Deorum Manium, uti diximus *ſupra* [4], & confer *Panvinium* [5]. Communiter *inferias* vocabant ſacrificia illa, quæ pro manibus fiebant. Sæpe holocauſta erant. Virgilius [6]:

Multa boum circa mactantur corpora morti,
Setigeroſque ſues raptaſque ex omnibus agris,
In flammam jugulant pecudes. ——

Locus eſt 2. Maccab. [7]: *Judas cum ex capitatione confeciſſet drachmas bis mille argenti, miſit Hieroſolymas, ut offerretur ſacrificium pro peccato, valde bene & honeſte faciens, quod de reſurrectione cogitaret. Nam ſi eorum, qui ante ceciderant, reſurrectionem non credidiſſet, ſupervacaneum fuiſſet orare pro defunctis.* Sic ille Scriptor errans in jure & facto. *In jure* quidem, nam in tota lege Moſis nuſquam mentio eſt ſacrificii ullius pro defunctis inſtituti. *In facto*, nam Judæ Maccabæi conſilium alio torquet. Nec enim ille pro defunctis offerre volebat, ſed viventes expiare, veritus ne exercitui ſuo contingeret, quod Joſuæ poſt ſacrilegium Achanis acciderat, *Joſu.* [8]. Ergo cum animadverteret, milites ſuos labem contraxiſſe per rapinas eorum, qui res Idolis Jamnienſibus conſecratas abſtulerant, ne velut prævaricatores a Deo punirentur, colligit pecuniam, & ſacrificium expiatorium pro ſuperſtite populo fieri imperat, 2. *Maccab.* [9]. Scilicet, error errorem peperit: eos, qui gladio cæſi erant, pie defunctos celebrat, *v.* 45. cum tamen in ſacrilegio obiſſent pœnamque ſceleris morte exſolviſſent, nec pœnitentiæ documentum ullum præbuiſſent. Unde conſtat, abbreviatorem iſtum in pietatis negocio ſatis rudem fuiſſe. De inferiis partes aliquas ſervatas,

[1] *lib.* XXIX. [2] *lib.* XXXI. [3] *lib.* I. *cap.* 26. *lib.* III. *cap.* 7. *lib.* V. *cap.* 2. [4] *lib.* II. *cap.* VI. *diſt.* 5. [5] *de Ludis Circenſibus lib.* I. *fol.* 15. [6] *lib.* XI. *Æneid.* [7] XII. 43. 44. [8] VII. 5. [9] XII. 42.

vinum potiſſimum & carnes aſſas inferebant ſepulchris ipſis, odore & nidore prolicituri Manes, ut vellent apparere & reſponſa dare. Credebant animas vagari per ſepulchra, veteris comitis, quo per fati vim ſpoliatæ eſſent, amore perculſæ. Refert *Quintilianus* [1], & multis probant *Daniel Heinſius* [2], *Deſiderius Heraldus* [3], *Caſpar Schottus* [4], *Hieronymus Magius* [5], *Otho Heurnius* [6]. *Noctium occurſacula*, *buſtorum formidamina*, *ſepulchrorum terriculamenta* vocat *Apulejus* [7]. Tibullus [8]:

Hanc volitent animæ circum ſua fata querentes.

Atque inde Sanctuli quidam, ne impuri fierent, ſepulchra vitabant, uti ſcribunt *Plato* [9], *Theophraſtus* [10], & *Porphyrius* [11]. Virgilius [12]:

Tandem inter pateras & lævia pocula ſerpens,
Libavitque dapes. ——

Et paulo poſt:

Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
Anchiſæ magni, maneſque Acheronte remiſſos.

Χοὰς vocat *Euripides* [13], & adde eſſe τ νεκρῶν ἀγωγές. Propertius [14]:

Pallida vina bibi. ——

Pallida vocat ob mortuos, ad quos pertinebat vinum inferium. Eis etiam, quos morte violenta periſſe fama erat, inferias dabant, ut anima fieret corpori obnoxia, quod hactenus oderat illa velut per vim expulſa inde, adeoque vaga eſſe & ſedibus incertis oberrare volens potius, quam corpori ſuo adeſſe præſens. Virgilius [15]:

Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte
Sanguinis & ſacri pateras, animamque ſepulchro
Condimus, & magna ſupremum voce ciemus,

& *Servius* [16]. *Tepido*, id eſt, recens mulcto. Conſtat hinc,

[1] *Declamat.* 10. [2] *Notis ad Silium Italicum pag.* 126. [3] *Animadverſis ad Arnobium lib.* VII. *pag.* 278. [4] *in Phyſica Curioſa lib.* II. *pag.* 263. [5] *lib.* IV. *Miſcellan. cap.* 12. [6] *in Philoſophia Barbarica lib.* II. *c.* 29. [7] *Apologia pag.* 315. [8] *lib.* I. *Eleg.* 4. [9] *in Phædone.* [10] *in Characteribus.* [11] *lib.* II. *de Abſtinentia animal.* [12] *lib.* V. *Æneid.* [13] *in Hecuba.* [14] *lib.* IV. *Eleg.* 7. [15] *lib.* III. *Æneid.* [16] *Commentario ad h. l. pag.* 278.

hinc, quod lac & ſanguinem de victimis elicitum, junxerint cum vino inferio. Rurſum Virgilius [1]:

Sit qui me raptum pugna, pretioque redemptum
Mandet humo: ſolita aut ſi qua id fortuna vetabit,
Abſenti ferat inferias decoretque ſepulchro.

XII. Redibant domum ad convivium amici, propinqui, vicini, & parentalia (quæ alias *ſilicernium* vocantur apud *Feſtum Pompejum* [2], *Nonium* [3], *Janum Guilhelmum Laurembergium* [4], *Gerhard. Joh. Voſſium* [5], *Juſtum Lipſium* [6]) celebrabant cum multa & honeſta mentione defunctorum, quos amplius nec videre nec affari liceret. Silicernii portio quædam in ipſo ſepulchri loco ad rogum dabatur pauperibus, (quos ideo *buſtirapos* vocat *Plautus* [7]) videlicet cœna funebris. Catullus [8]:

Uxorne Meni ſæpe quam in ſepulchretis
Vidiſtis ipſo rapere de rogo cœnam,
Cum devolutum ex igne proſequens panem
A ſemiraſo tunderetur uſtore.

Semiraſum uſtorem vocat, ut *ſupra* [9], quod νεκροκάυτῳ illi eſſent conditionis ſervilis. Huc refert *Muretus* illud Tibulli [10]:

Ipſa fame ſtimulante furens eſcaſque ſepulchris
Quærat. —— ——

Ita enim legit [11], & aſſenſum præbent *Janus Guilhelmius* [12], *Johan. Livinejus* [13], *Gerhard. Joh. Voſſius* [14]. Verum *Joſephus Scaliger* legi vult: *herbaſque ſepulchris Quærat.* Annotat [15]: *Evellat herbas de veteribus monimentis*, & cum illo *Janus Gebhardus* [16]. Cæterum de ſilicernii portione eſt *Tobiæ* [17] ut differunt. *Feſſelius* [18], *D. Quen-*

(1) *lib.* IX. *Æneid.* (2) *in Fragmentis ab Urſino editis pag.* 181. (3) *de Proprietate Sermonum c.* 1. *diſt.* 235. (4) *in Antiquario pag.* 419. (5) *in Lexico Etymolog. pag.* 472. (6) *Notis ad lib.* VI. *Annalium Taciti num.* 18. (7) *in Pſeudolo Act.* I. *ſc.* 3. (8) *Epig.* 69. (9) *diſt.* 6. (10) *lib.* I. *Eleg.* 6. (11) *Commentar. ad h. l. pag.* 154. (12) *lib.* III. *Veriſimil. cap.* 12. (13) *Notis ad Tibullum pag.* 29. (14) *in Lexico Etymologico pag.* 834. (15) *pag.* 118. (16) *in Animadverſionibus pag.* 42. (17) IV. 18. (18) *lib.* I. *Adverſur. ſacror. cap.* XII. *num.* 1.

ſted [1], *Joh. Kirchmannus* [2]. Atqui ſenſus alius eſt. Verba ſunt: *effunde panes tuos & vinum tuum in ſepulturam juſtorum*, id eſt, ſepulto amico viro bono proximos ejus ſolare miſſo cibo & vino optimo. Hic enim erat mos Judæorum, *Jerem.* [3], *Ezechiel.* [4]. Nam apud ſepulchra epulari & facere δοχὰς ἐπιταφίους, non fuit conſuetudo Ebræorum, ſed Græcorum, ut teſtantur *Apollonius* [5], *Athenæus* [6], *Euſtathius* [7]. *Autor Epiſtolæ Barucho adſcriptæ* [8], & ab illis viſcerationes ſuas acceperunt Romani. Hodienum ita faciunt Turci, ut narrat *Swiggerus* [9], & confer quæ dicta ſunt *ſupra* [10]. Adde *Turnebum* [11], *Biſciolam* [12], *Serarium* [13].

XIII. Ad cineres colligendos vaſa (id eſt urnas †)



† Talem exhibet J. Gutherius l. II. de Jure Man. c. 26.

(1) *de Sepultura Veterum pag.* 293. (2) *lib.* IV. *de Funeribus Romanorum cap.* 6. (3) XVI. 7. (4) XXIV. 17. 22. (5) *lib.* II. *Argonautic.* (6) *lib.* VII. & VIII. *Diphnoſophiſt.* (7) *Commentar. ad lib.* XXI. *Iliad.* (8) *num.* 31. (9) *lib.* II. *Itinerarii cap.* 59. (10) *lib.* I. *cap.* X. *diſt.* 10. (11) *in Adverſariis lib.* XXII. *cap.* 10. (12) *Tom.* I. *Lect. ſuccifivar. lib.* XI. *c.* 4. (13) *Commentario ad Tobiam pag.* 84.

com-

comparabant. Virgilius[1]:

Oſſaque lecta cado texit Chorineus aheno.

Lecta, id eſt collecta, nam alia, quæ hic commentatur *Servius*[2], non ſunt accommoda. *Cadus ahenus* eſt urna ænea, quæ in Magnatibus erat aurea, in mediocris fortunæ viris argentea, qualem fuiſſe Papiniani Jureconſulti, Romæ erutam, narrat *Hieronymus Magius*[3]. Plerumque fictilis erat. Propertius[4]:

Accipiat manes parvula teſta meos.

Recte *parvula*, nam exiguæ reliquiæ eis indebantur. Indebant cineres, proximo (id eſt, nono) die, poſtquam cadaver deflagraverat, oſſa vino lavabant & cineribus addebant. Virgilius[5]:

Relliquias vino & bibulam lavere favillam.

Et[6]:

Mœrentes altum cinerem, & confuſa ruebant
Oſſa focis, tepidoque onerabant aggere terræ.

Ruebant, id eſt, de cineribus eruebant manibus loris ante, perinde uti in omni religioſo actu. Tibullus:

Præfatæ ante meos manes, animamque rigatæ,
Perfuſæque pias ante liquore manus.

Confer illa, quæ ſunt *ſupra*[7]. *Tepido aggere* dixit, quaſi oſſa etiamnum calerent a priſtinis ignibus. Tibullus[8]:

——— ——— *Non hic mihi mater,*
Quæ legat in mœſtos oſſa peruſta ſinus.

Et[9]:

Et primum annoſo ſpargant collecta Lyæo.


Collecta nimirum oſſa. Ex Romano novendialium ſacrorum ritu, in quibus vetuſto & optimo vino ad Manes propiciandos ſepulchra defunctorum conſpergebantur, & tantum non inundabantur. Hoc eſt *vinum reſperſum* apud *Feſtum*. *Legenda nunc eſſe ejus oſſa*, ait *Apulejus*[10], in deſcriptione exſequiarum Philemonis. Sue-

(1) *lib.* VI. *Æneid.* (2) *in Annotatis pag.* 410. (3) *lib.* II. *Miſcellan. cap.* I. (4) *lib.* II. *Eleg.* 10. (5) *lib.* VI. *Æneid.* (6) *lib.* XI. *Æneid.* (7) *lib.* I. *cap.* II. *diſt.* 17. (8) *lib.* I. *Eleg.* 2. (9) *lib.* III. *Eleg.* 2. (10) *Floridor. pag.* 354.

tonius [1] : *Legenda oſſa per Sacerdotes ſummorum collegiorum.* Et deinde : *Reliquias legerunt primores Equeſtris Ordinis, tunicati & diſcincti, pedibuſque nudis.* Non quod omnes abſumpti cadaveris cineres conquirerent, (urnæ enim ſatis parvæ erant, adeoque Agrippina dicitur *feralem urnam tenens gremio*, apud *Tacitum* [2]) ſed quod reſiduas oſſium particulas, exiguas illas, colligerent : diſcincti vero & pedibus nudis ad luctum conteſtandum. Tibullus [3] :

Pars, quæ ſolo mei ſuperabit corporis, oſſa,
Incinctæ nigra candida veſte legant.

Lachrymas profuſas excipiebant, & in vitream urnam oblongam * derivabant, quæ urna lacrymalis erat. Has



vero etiam hodie de buſtis antiquorum erui, teſtantur *Joh. Jac. Chiffletius* [4], *Franciſcus Peruccius* [5], *Olaus Wormius* [6], *Cotovicius* [7], *Martinus Gejerus* [8]. Hoc erat, quod dicebant, *tumulum lachrymis plenum dare. Inſcriptio* Hiſpanica : T. PLAUTIO. P. F. DE. MUNICIPIO. ATTACEN. OPTIME. MERITO. ET. XXXVIII. ANN. ÆT. E. VITA. SUBLATO. TOTO. POP. CUM. MAGNA. LACRY. FUNUS. PROSEQ. QUINTIA. PAULINA. MATER. ANN. LXXXIII. AD. FLET. AD. GEMITUM. RELIC. TUMUL. LACRIM. PLEN. E. MARM. HUM. D. DEDIT. *Gruterus* [9]. Repone-

* Talem vides appoſitam ex J. Gutherio l. 1. de Jure Man. c. 27.

(1) *lib.* II. *cap.* 100. (2) *lib.* III. *Annal.* (3) *lib.* III. *Eleg.* 2. (4) *in Deſcript. Burgundiæ part.* 1. *pag.* 99. (5) *libro dicto pag.* 34. (6) *l.* IV. *Rerum rariorum c.* 1. *&* 7. (7) *Itinerario Hieroſolymitano l.* 1. *pag.* 50. (8) *de Luctu Ebræorum c.* 12. *diſt.* 5. (9) *in Volumine p.* 700.

nebant omnia in locis ab hominum injuria tutis, ſubterraneis foveis aut in petra exciſis foſſis. Virgilius[1]:

——— *Fuit ingens monte ſub alto*
Regis Dercenni terreno ex aggere buſtum,
Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum.

Fovea illa *Scrobs* eſt apud Martialem[2]:

Jam ſcrobe, jam lecto, jam pollinctore parato.

Scrobe, id eſt, ſepulchro vel urnæ reconditorio. De lecto ferali, quo defunctus efferebatur, eſt *ſupra*[3]. Pollinctor eſt νεκρολείπτης, *ſupra*[4].

XIV. Addebant Inſcriptiones, vel Elogia. Virgilius[5]:

——— *Tum fronte locatur*
Elogium. ——— ———

Tibullus[6]:

Atque hæc in celebri carmina fronte notet:
Lygdamus hic ſitus eſt. ———

In fronte, id eſt, obvia tumuli parte, quæ prætereuntium oculis expoſita eſt. Cicero[7]: *Nonne elogia monumentorum id ſignificant?* Prodebant defuncti ortum, nomen, familiam, nunc conciſius, nunc prolixius: & cupiebant, ut ei bene precaretur, quiſquis tranſiret viator. Exempla ſunt *toto Inſcriptionum opere* plurima, quod *Janus Gruterus* concinnavit, *Joſephi Scaligeri* ac *Marci Velſeri* auſpiciis: nec non apud Jacobum Boiſſardum *in Collectaneis Antiquitatum Rom.* In buſtis ejuſmodi lucernas perpetuas, arte magica paratas, & hactenus æternum arſuras, donec aër accederet, ponebant, lineum cum oleo incombuſtili in vitro affabre polito. Exempla de Tulliæ, Luciæ Cæſæ, aliorum buſtis proferunt abunde *Guido Pancirollus*[8], *Bernhardus Scardeonius*[9], *Johan. Langius*[10], *Janus Gruterus*[11], *Bernhardus Cæſius*[12], *Athanaſius Kircherus*[13], *Caſpar Schottus*[14], *Joh. Jonſto-*

(1) *lib.* XI. *Æneid.* (2) *lib.* X. *Epig.* 97. (3) *diſt.* 9. (4) *diſt.* 2. (5) *in Culice.* (6) *lib.* III. *Eleg.* 2. (7) *lib.* II. *de Finibus.* (8) *de Veteribus perditis Tit.* 35. (9) *lib.* I. *Antiquitat. Patavin.* (10) *lib.* II. *Epiſt.* 25. (11) *in Volumine Inſcriptionum pag.* 927. (12) *lib.* III. *de Mineralibus c.* 7. *ſect.* 20. (13) *Tom.* 3. *Oedipi Ægyptiaci Syntag.* 20. *ſect.* 9. (14) *in Magia Univerſali part.* 4. *pag.* 144.

nus [1], & *peculiari Volumine* exponit *Fortunius Licetus*. Scribit Henricus Regius [2]: *Lampades, quæ olim in ſepulchris perpetuo arſiſſe dicuntur, videntur eſſe merum figmentum, quia pugnat cum natura ardoris fomitem ejus non comburi. Lucernæ iſtæ, ſi unquam fuerint repertæ, videntur fuiſſe corpora ſine ullo perceptibili calore lucida, quæ inſtar cicindelarum, ligni putridi, ſquamarum piſcis, aliorumque ſimilium in tenebris ſplendebant, propterea quod apertis monumentis ac admiſſo lumine diurno & aëre moto, lumen earum diſparuiſſe dicatur. Clauſo autem rurſus monumento lucernæ iſtæ non amplius apparuerunt, quia talis erat earum conſtitutio, ut ab admiſſo aëre eoque vehementius moto corrumperentur.* RESPONDEO: *Bonamici* hæc opinio fuit, quam refellit *Fortunius Licetus* [3]. Figmenta non ſunt, quæ adeo clare monſtrat experientia rerum teſtis. Nec pugnat cum natura ardoris, quatenus arcana multa ſunt, quæ Geniorum ope noverant Magi, ac inde poterant conficere modo hodie nobis ignoto. Corpora pellucida non erant, quoniam flammas & fumum videre licuit, caloremque in vaſculis ipſis deprehenderunt illi, qui coram inſpexerunt, ut de Lucerna perpetua, quæ in Pallantis ſepulchro reperta fuit in Romæ ſuburbio, narrat *Volaterranus* [4]. De cicindelis & putrido ligno parum congruit. Unde enim fumus extinctæ flammæ? Fuiſſe Magicas, affirmat *Auguſtinus* [5], & vel ſola Patavinæ Lucernæ *Inſcriptio* (quam referunt *Gruterus* [6], *Petrus Appianus* [7], *Peruccius* [8]) docet: ABITE. HINC. PESSIMI. FURES. VOS. QUID. VOLTIS. VOSTRIS. CUM. OCULIS. EMISSICIIS. ABITE. HINC. VESTRO. CUM. MERCURIO. PETASATO. CADUCEATOQUE. MAXIMUS. OLYBIUS. DONUM. HOC. MAXIMUM. PLOTONI. SACRUM. FECIT.

XV. Tumulos ornabant ſertis & floribus injectis, ad-

(1) *in Thaumatographia naturali pag.* 51. (2) *lib.* IV. *Philoſoph. natural. cap.* 5. (3) *lib.* II. *cap.* 3. 4. 5. (4) *lib.* XXXIII. *Geograph.* (5) *lib.* XXI. *de Civit. Dei cap.* 6. (6) *in Volumine l. d.* (7) *in Collectaneis pag.* 325. 337. (8) *libro* III. *de Pompa funebri pag.* 44.

addebantque cuſtodes, qui ornatum illum, ne quid damni acciperet, obſervarent. Græci vocant φυλακολεῖν. *Anacreon* [1]:

Τοδέ γε νεκροῖς ἀμύνει.

Virgilius [2]:

Purpureoſque jacit flores. ——

Et [3]:

Purpureos ſpargam flores, animamque nepotis
His ſaltem accumulem donis. ——

Propertius [4]:

Adferet huc unguenta mihi, ſertiſque ſepulchrum
Ornabis cuſtos ad mea buſta ſedens.

Suetonius [5]: *Non defuerunt, qui per longum tempus vernis aſtiviſque floribus tumulum ejus ornarent.* Hinc illud Virgilii [6]:

Spargite humum foliis. ——

Scilicet è more funerum, in quibus ſpargebantur flores. Itaque ſequitur:

Et tumulum facite & tumulo ſuperaddite carmen.

Confer *Hieron. Magium* [7], *Petrum Victorium* [8]. Chriſtiani ita faciebant, veteres mores retinendo. Prudentius [9]:

Nos tecta fovebimus oſſa,
Violis & fronde frequenti,
Titulumque & frigida ſaxa
Liquido ſpargemus odore.

Non quidem vetuſtiores illi, cum adhuc perſecutiones urgebant. Nam ideo ſunt a Paganis accuſati. Cæcilius apud Minucium [10]: *Coronas ſepulchris denegatis.* Sed qui in pace fruebantur ſeculis melioribus. Sulpicius Severus [11]: *Ac licet inani munere, ſolum ipſum flore purpureo & ſuave reddentibus ſparge graminibus.* Cuſtodes præterea invigilabant ſerio, ne Sagæ pro incantamentis ſuis conficiendis oſſa deriperent. De Canidia Horatius [12]:

(1) *Oda* εἰς ῥόδον *pag.* 196. (2) *lib.* v. *Æneid.* (3) *lib.* vi. (4) *lib.* iii. *Eleg.* 14. (5) *lib.* vi. *c.* 57. (6) 5. *Bucolic.* (7) *lib.* ii. *Miſcellan. cap.* 17. (8) *lib.* xvi. *Variarum Lectionum cap.* 2. (9) *in Cathemerinis pag.* 101. (10) *in Octavio.* (11) *Dialog.* 3. *num.* 22. (12) *lib.* v. *Carm.* 17.

Nec in ſepulchris pauperum prudens anus
Novemdiales diſſipare pulveres.

Cadaverum præſegmina ad Magicos uſus adhibita eſſe, refert quoque *Apulejus* [1], & adde *Cardanum* [2]. Porro ſerebant arbores, ut creſcentes locum ſepulchri obumbrent. Propertius [3]:

Deinde ubi ſuppoſitus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes parvula teſta meos:
Et ſit in exiguo laurus ſuperaddita buſto,
Quæ tegat exſtincti funeris umbra locum.

Martialis [4]:

Accipe non Phario nutantia pondera ſaxo,
Quæ cineri vanus dat ruitura labor:
Sed fragiles buxos & opacas palmitis umbras,
Quæque virent lachrymis humida prata meis.

Sunt Pyramides & Obeliſci, quos ſibi ponebant Optimates. Buxos, lauros, (quod felicibus manibus perpetuas & virentes arbores convenire exiſtimabant) taxos, cupreſſos eligebant, quæ nunquam perdunt folia. Ita recte adverſus *Raderum* exponunt *Ramireſius* [5], *Schrevelius* [6]. Eodem pertinet illud Juvenalis [7]:

Spiranteſque crocos & in umbra perpetuum ver.

XVI. Tranſeuntes monumenta amicorum vovebant, ut mortuis terra levis eſſet, neve illos lapis ſepulchralis urgeret. Tibullus [8]:

Atque aliquis ſenior veteres veneratus amores,
Annua conſtructo ſerta dabit tumulo:
Et bene diſcedens dicet, placideque quieſcas,
Terraque ſecuræ ſit ſuper oſſa levis.

Autor *Elegiæ in obitum Mecænatis* eundem adhibet εὐφημισμόν:

Nunc ego quid poſſum? tellus levis oſſa teneto.

Perſius [9]:

Non levior cippus nunc imprimit oſſa? ——

Mar-

(1) *lib.* 1. *Mileſiar.* (2) *lib.* XVIII. *de Subtilitate rerum fol.* 500. (3) *lib.* 11. *Eleg.* 10. (4) *lib* 1. *Epig.* 89. (5) *Notis ad Martialem pag.* 116. (6) *Annotatis ibidem pag.* 85. (7) *Sat.* 7. (8) *lib.* 11. *Eleg.* 4 (9) *Sat.* 1.

Martialis[1]:

Mollia non rigidus ceſpes tegat oſſa, nec illi
Terra gravis ſueris: non fuit illa tibi.

& vide porro eundem[2]. Juvenalis[3]:

Dii majorum umbris tenuem & ſine pondere terram.

Improbis vero, & quibus male poſt obitum eſſe cupiebant, vovebant, ut illos terra gravis premeret. Suetonius[4]: *Pars terram matrem deoſque manes orarent, ne mortuo ſedem ullam niſi inter impios darent.* Tibullus[5]:

Jam tua qui Venerem docuiſti vendere primus,
Quiſquis es, infelix urgeat oſſa lapis.

Apponebant aras (Feſtus[6] *acerras* vocat) ad ſepulchra eorum, quos chariſſimos habebant, & poſt exceſſum Deo magis propinquos eſſe credebant. Virgilius[7]:

——— *Stant manibus aræ*
Ceruleis mœſta vittis, atraque cupreſſo,
Et circum Iliades crinem de more ſolutæ,
Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte,
Sanguinis & ſacri pateras, animamque ſepulchro
Condimus, & magna ſupremum voce ciemus.

Et paulo poſt:

Libabat cineri Andromache maneſque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem ceſpite inanem
Et geminas cauſam lachrymis ſacraverat aras.

Hic lacte & vino ſacrificabant, aut thure injecto adolebant. Ara ejuſmodi pingitur è Marmoribus Cæſianis apud *Boiſſardum*[8]. *Inſcriptio* addita *eſt*: C. DOMITI. C. F. PAL. VERT. VIXIT. ANNIS. XXXXI. MENSIBUS. VII. DIEBUS. XII. VOLUSIA. SEVERA. CONJUNX. MARITO. OPTIMO. ET. INDULGENTISSIMO. Huc pertinet alia *Inſcriptio* è marmoribus Cæſianis:

INGRATÆ VENERI SPONDEBAM MUNERA SUPPLEX,
EREPTA CONJUX VIRGINITATE TIBI.

PER-

(1) *lib.* V. *Epig.* (2) *lib.* IX. *Epig.* 30. (3) *Sat.* 7. (4) *lib.* XII. *cap.* 75. (5) *lib.* I. *Eleg.* 4. (6) *lib.* I. *de Significat. Verborum pag.* 243. (7) *lib.* III. *Æneid.* (8) *part.* 3. *Antiquitat. Romanar. Tab.* 59.

PERSEPHONE VOTIS INVIDIT PALLIDA NOSTRIS,
ET PRÆMATURO FUNERE TE RAPUIT.
SUPREMUM VERSUS MUNUS DONATUS ET ARAM,
ET GRATAM SCALPSIT DOCTA PEDANA CHELYM.
ME NUNC TORQUET AMOR, TIBI TRISTIS CURA RECESSIT,
LETHEOQUE JACES CONDITA SARCOPHAGO.

Boiſſardus [1]. Et eandem ob cauſam ad aras ſomnum capientes in ſepulchris, velut in fanis, incubabant, ſomnia percontati, unde res futuras addiſcere poſſent. Credebant, Animas ſeparatas non illico ad Elyſios campos abire, ſed corporis amore detentas per bene longum tempus apud ſepulchra obvagari. Docent ita *Pſellus* [2], *Porphyrius* [3], (& aſſentiuntur οἱ πλατωνίζοντες Ebræi, *Rabbinus Menaſſeh* [4]) adduntque, quod Animæ liberatæ a corporis vinculis, originis ſuæ velut poſtliminio compotes, notitiam exquiſitam rerum multiplicium habeant, itaque carminibus quibuſdam recitatis obdormiebant in monumentis, ut a circumſtrepente anima in ſomniis diſcere poſſent. Referunt *Herodotus* [5], & *Pomponius Mela* [6]. Locus eſt Eſaiæ [7]: *Qui habitant in ſepulchris.* Ad rem præſentem facit, uti monet *Hieronymus* [8], & confer *Tertullianum* [9], *Lactantium* [10].

XVII. Tanta erat cura ſepeliendi eos, quos habebant charos, nimirum quod Animas crederent obvagari & a ſedibus placidis in morte prohiberi, donec corpora in tumulum delata eſſent: & quoque familiæ credebantur eſſe funeſtæ, id eſt, malis ominibus obnoxiæ, teſte *Varrone* [11]. Hinc Palinurus mari demerſus, ſepulchri expers, apud Virgilium [12]:

Eripe me his invicte malis, aut tu mihi terram
Injice (namque potes) portuſque require Velinos.

Et paulo ante:

Præ-

(1) *l. d. Tab.* 81. (2) *de Dæmonibus.* (3) *de Sacrificiis.* (4) *lib.* 11. *de Reſurrect. mort. cap.* 6. (5) *in Melpomene.* (6) *in Deſcriptione Orbis lib.* 1. *c.* 8. (7) LXV. 4. (8) *Commentariis ad h. l.* (9) *de Anima c.* 57. (10) *lib.* 11. *divinar. Inſtitut. c.* 2. (11) *lib.* IV. *de LL. pag.* 10. (12) *lib.* VI. *Æneid.*

Præterea jacet exanimum tibi corpus amici.
(Heu neſcis) totamque infeſtat funere claſſem,
Sedibus hunc refer ante ſuis & conde ſepulchro.

Sedibus refer ſuis, id eſt, commode juva, ut in placidas animarum ſedes perveniat. *Servius*[1] multa ambitioſe annotat, pauca vero ſunt, quæ ad verum congruunt. Et porro *ibidem* Sibylla:

Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataque turba eſt,
Portitor ille, Charon: hi quos vehit unda, ſepulti,
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Tranſportate prius, quam ſedibus oſſa quierunt,

id eſt, priuſquam vel perfectam, vel imaginariam ſepulturam acceperunt. Quando enim corpora ipſa non poterant obtinere, quomodo fiebat, cum a mari hauſta vel a beſtiis lacerata erant, apparabant ſepulchri ſimulachrum (quod *cenotaphium* appellant *Dionyſius Halic.*[2], *Xenophon*[3]) & ter jacientes pulveris manipulum, ut valerent, conclamabant, ac prodeſſe hoc omnino vagis Animabus, rebantur. De Architа Tarentino fluctibus ſepulto Horatius[4]:

Quanquam feſtinas, non eſt mora longa, licebit
Injecto ter pulvere curras.

& prolixe *Lambinus*[5], *Daniel Heinſius*[6]. Æneas ad Deiphobum Trojanum[7]:

Hunc egomet tumulum Rhœteo in littore inanem
Conſtitui, & magna manes ter voce vocavi.

(1) *Commentario ad h. l. pag.* 406. (2) *lib.* I. (3) *lib.* VI. Ἀναβάσ. (4) *lib.* I. *Carm.* 28. (5) *Commentario h. l. pag.* 91. (6) *Notis ad Silium Italicum pag.* 26. (7) *lib.* VI. *Æneid.*

LIBRI QUARTI FINIS.

JUSTI

JUSTI LIPSII

TRACTATUS PECULIARES,

VIDELICET,

DE VETERUM LATINORUM SCRIPTURA.

DE RE PECUNIARIA.

DE NOMINIBUS ROMANORUM.

DE RITU CONVIVIORUM.

DE CENSURA ET CENSU.

DE ANNO DEQUE EJUS DIVERSITATE. ITEM RATIONE INTERCALANDI.

DE CRUCIS SUPPLICIO, APUD ROMANOS USITATO.

JUSTI LIPSII
TRACTATUS
DE
VETERUM LATINORUM SCRIPTURA.

UT de *vetere Scriptura* pauca præmoneam : differt ea ab recentiore, quæ hodie in uſu eſt, vel *quantitate*, vel *qualitate*, vel *utraque*.

Quantitas in *additione* cernitur, vel detractione. *Additio*, aut *Vocalis* eſt, aut *Conſonantis*. *Vocalis* additio, eſt in diphthongis EI & OV. Sic enim *Eidem*, *Ious*, ſcripſere; pro *Idem*, *Ius*, Sic *Leitem*, *Leimites*, *Meilitiæ*, *Opeima*, *Inveito*; pro *Litem*, *Limites*, *Militiæ*, *Opima*, *Invito*. Sic *Eito*, *Deixi*, *Seierit*, pro *Ito*, *Dixi*, *Sierit*. Item, *Qei*, *Sei*, *Nei*; pro *Qui*, *Si*, *Ni*. *Nei* tamen etiam pro *Ne* uſurparunt interdum, & quidem non raro. Sic *Utei*, *Ubei*, *Ibei*, pro *Uti*, *Ubi*, *Ibi*. Eandem diphthongum uſurparunt *in Genitivis ſingularibus*; ut *Dolei*; *malei*, pro *Doli*, *mali*. Item, *in Nominativis pluralibus*: ut *Iei*, *Trevirei*, *Decumanei*, pro *Ii*, *Treviri*, *Decumani*. Item, *in Dativis & Ablativis pluralibus*: ut *Ieis*, *Tertieis*, *Ricinieis*, pro, *Iis*, *Tertiis*, *Riciniis*, Præterea, *in Dativis ſingularibus tertiæ declinationis*: ut *Mortei*, *Clientei*; pro *Morti*, *Clienti*. Item *Alterei*, *Sibei*, pro *Alteri*, *Sibi*. Et frequentiſſime *in Nominativis atque Accuſativis pluralibus*: ut *Omneis*, *Civeis*, pro *Omnes*, *Cives*.

O vero ad U adjectæ, tum alia ſunt exempla, tum hæc: *Ious*, *Iouſta*, *Ioudicare* pro, *Ius*, *Juſta*, *Judicare*. Item *Souo*, *Louci*, *Doucito*, pro *Suo*, *Luci*, *Ducito*. In quibuſdam utramque Diphthongum conjunxerunt: *Soueis*, *Ioudicei*, pro *Suis*, *Judici*. In nonnullis U geminum uſurparunt, pro OU ſeu U: ut *Pluus*, *Seeuus*, pro *Plus*, *Secus*. Sic *Comitatuu*, *Arbitratuu*, pro *Comitatu*, *Arbitratu*. Interdum O poſt U interſeruerunt: ut *Queicuomque*, pro *Quicunque*.

Con-

Consonantes quoque interseruerunt; ut *Quotiens*, *Quotienscunque*, pro *Quoties*, *Quotiescumque*. Sic *Exsigunto*, *Exsercere*, pro *Exigunto*, *Exercere*. Item, *Quips*, *Aliquips*, pro *Quis*, *Aliquis*. In *Jouxsta* vero, pro *Juxta*, gemina est insertio; vocalis O & consonantis S.

In quibusdam integram syllabam interseruere: ut *in Postidea*, *Indetestato*, pro *Postea*, *Intestato*. Ejus generis etiam *Ævitas*, videri alicui possit: sed habet illud legitimam *ab ævo* derivationem: in *Ætas* vero, quod post usurpari cœpit, facta est contractio. Quibusdam à fronte Consonantes adjecere; ut *Silis*, pro *Lis*. Nonnullis in fine: ut *Ead*, *Tuod*, *Plebed*, *Frauded*, pro *Ea*, *Tuo*, *Plebe*, *Fraude*. Sic in verbis, *Datod*, *Removetod*, *Luitod*, *Estod*, pro *Dato*, *Removeto*, *Luito*, *Esto*: In *Exsercetod* autem geminata est additio; semivocalis S, & mutæ D. Sic in *Leibertated*, additio est Vocalis E, & Consonantis D.

Detractio & ipsa, *vocalis* est, aut *consona*. *Vocalis*, detractio est in monophthongis illis: *Fenus*, *Femina*, pro *Fœnus*, *Fœmina*. Sic *Heres*, pro *Hæres*. Quamquam eam vocem non ab *hærendo*, sed ab *hero* deductam malunt eruditiores. Detractio etiam quibusdam videtur esse in verbis istis: *Adicito*, *Eicito*, *Deicitor*, *Conicere*, *Subicere*, pro *Adjicito*, *Ejicito*, *Dejicitor*, *Conjicere*, *Subjicere*. Quod si ita est, eadem ratione simplex *Icere*, contractum erit ex *Jacere*, Sic certe *Dis*, contractum ex *Diis*.

E *Consonantibus* etiam, quæ nunc geminari solent, omittebant alteram: ut *Osa*, *Clase*, pro *Ossa*, *Classe*. Item *Aceras*, *Conubia*, pro *Acerras*, *Connubia*: *Pelex*, *Tolito*, *Poluceto*, pro *Pellex*, *Tollito*, *Polluceto*.

Qualitas in commutatione potissimum cernitur. Ea quoque *Vocalis* est, aut *Consonantis*. *Vocalis*: ut E pro I. Sic enim *Leber*, *Addecito*, scripsere; pro *Liber*. *Addicito*. Item U pro I, *Æstumata*, pro *Æstimata*. Sic *Optumus* pro *Optimus*. Eadem ratione *Postumum*, à veteribus dictum volunt eruditi: ut significet non tam

eum, qui poſt inhumatum patrem eſt editus; quam eum, qui poſtremus patri, ſeu vivo, ſeu mortuo, natus eſt. Item U & Y: ut *Æguptus*, pro *Ægyptus*. quemadmodum *Mus* quoque & *Sus*, & hujus generis alia, ex Græcis μῦς, σῦς. Frequentius O pro U: ut *Totela*, *Porporea*, pro *Tutela*, *Purpurea*. Sic *Oſocapitor*, pro *Uſucapitor*. Item *Soper*, *Quomque*; pro *Super*, *Quumque*. Sic in *Nominum* finibus: *Patronos*, *Servos*, pro *Patronus*, *Servus*. *Vitiom*, *Manom*, pro *Vitium*, *Manum*. Nec non in *Verborum* finibus: *Conſeront*, *Moritor*, pro *Conſerunt*, *Moritur*.

In nonnullis geminatur hæc mutatio: ut *Piacolom*, *Fortom*, *Foratos*, pro *Piaculum*, *Furtum*, *Furatus*. In quibuſdam hæc cum ſuperiore conjungitur: ut *Leborom*, pro *Liberum*. Sic *Ædebos*, *Compedebos*, *Noctebos*, *Tibicinebos*, *Soperſtetebos*. pro *Ædibus*, *Compedibus*, *Noctibus*, *Tibicinibus*, *Superſtitibus*.

Interdum diphthongo OE & OI pro U longo uſi ſunt: ut *Oetier*, *Oeſocapio*, *Oeſorpatum*, pro *Uti*, *Uſucapio*, *Uſurpatum*. Sic *Cœratores*, pro *Curatores*. OI pro U poſitum: in *Oitier*, *Oitile*, & conſimilibus. Sic *Moinicipium*, pro *Municipium*.

Conſonantes quoque non paucas inter ſe commutarunt. C pro G frequenti in uſu fuit. Sic enim *Cenas* dixerunt pro *Genas*. Sic *Frucem*, *Lece*; pro *Frugem*, *Lege*. Itidemque *Lecere*, *Rocato*, pro *Legere*, *Rogato*. D pro L poſuere, cum *Dingua*, dixere, pro *Lingua*. Sic *Fedetrio*, pro *Feretrio*.

F pro B uſurparunt ſequente Vau: ut *Af virod*, pro *Ab viro*. Q pro C: ut *Pequnia*, pro *Pecunia*. S pro R: ut *Aſa*, *Neſvo*, *Caſmen*, pro *Ara*, *Nervo*, *Carmen*. Sic in Nominum flexionibus: *Majoſe*, *Minoſe*, *Arboſes*, *Pluſa*, pro *Majore*, *Minore*, *Arbores*, *Plura*. Sic *Fenoſe unciaſio*, pro *Fenore unciario*. Item in Verborum flexionibus: *Araſit*, *Vocaſit*, *Secueſit*; pro *Ararit*, *Vocarit*, *Secuerit*. T pro D: ut *Quit*, pro *Quid*.

In compoſitis, finalem Præpoſitionis conſonantem ple-

plerumque retinuerunt: ut *Conlegium*, *Inprobus*, *Adſignare*, *Adtribuere*. Interdum tamen etiam mutarunt: ut *Opſepito*, *Opturato*, *Optinere*.

In quibuſdam geminata eſt commutatio; altera Conſonantis, altera Vocalis: ut *Rocom*, *Flacitiom*, *Prodicos*; pro *Rogum*, *Flagitium*, *Prodigus*. Sic *Acrom*, *Acnom*, *Ticnom*; pro *Agrum*, *Agnum*, *Tignum*. Item *Fidios*, pro *Filius*: *Ofvagolatom*, pro *Obvagulatum*: *Poplicom*, pro *Publicum*: *Quoi*, pro *Cui*. *Auſom*, pro *Aurum*. Sic *Capiomtor*, pro *Capiuntur*.

In quibuſdam duarum Vocalium, & unius Conſonantis facta mutatio: ut *Contileom*, *Arvorſom*, ſeu *Aſvorſom*, *Pluſebos*, pro *Gentilium*, *Adverſum*, *Pluribus*. In nonnullis gemina conſonantis mutatio eſt: ut *Arcueſit*, pro *Arguerit*.

Interdum *quantitatis* metaplaſmos conjunxerunt, additionem ſcilicet & detractionem: ut *Jouſus*, *Jouſit*, pro *Juſſus*, *Juſſit*. Sic *Poplei*, *Confeſei*, *Demiſeis*, pro *Populi*, *Confeſſi*, *Demiſſis*. Interdum ad *quantitatis* metaplaſmum adjunxerunt metaplaſmum *qualitatis*: ut cum unum idemque vocabulum additione & commutatione transformarunt. Sic enim *Deicundo*, *Addeictos* uſurpata; pro *Dicendo*, *Addictus*.

Sic *Maxſumo*, *Proxſumos*, *Fouſioſos*, pro *Maximo*, *Proximus Furioſus*. His adde *Endo*, *Entera*, *Sopera*, *Continoeis*, pro *In*, *Intra*, *Supra*, *Continuis*: In quibus commutatio præcedit; additio ſequitur.

Detractionem quoque & commutationem quandoque copularunt. idque commutatione interdum ſequente: ut *Adecito*, *Poplos*, *Præſetebos*, pro *Addicito*, *Populus*, *Præſentibus*. Interdum præcedente: ut *Sobicito*, pro *Subjicito*. Sic *Olo*, pro *Illo*: Item *Faſis*, pro *Farris*. In quibuſdam triplicatus eſt metaplaſmus: ut *Pupilei*, *Præſeted*: pro *Pupilli*, *Præſente*.

In *Nominum flexionibus*, præter ſuperiora, notabilem mutationem habent: *Folminis*, *Ipſos*, *Im*; pro *Fulmen*, *Ipſe*, *Eum*. Sic *Oloe*, pro *Illi*. In *Verbis* quoque varii,

præter ſupradictos, metaplaſmi à veteribus facti ſunt: ut in verbo ſubſtantivo *Eſcit* & *Eſcunt*, pro *Erit* & *Erunt*. Itemque *Siet*, *Sient*, pro *Sit*, *Sint*: & in futuro perfecto, *Fuat*, pro *Fuerit*. Ejuſdem futuri perfecti magna in aliis quoque verbis eſt varietas: ut *Vindicit*, *Verberit*, *Prohibeſit*, *Occiſit*, pro *Vindicarit*, *Verberarit*, *Prohibuerit*, *Occiderit*. Item *Tagit*, pro *Tetigerit*: *Pacit* & *Pacont*, pro *Pepigerit* & *Pepigerint*: *Faxſit*, *Rupſit*, pro *Fecerit*, *Ruperit*: *Paret*, *Cepet*, pro *Pararit*, *Ceperit*: *Miſeit*, *Vixeit*, pro *Miſerit*, *Vixerit*. Item *Duit*, *Adduit*, *Conduit*, *Transduit*; pro *Dederit*, *Addiderit*, *Condiderit*, *Tradiderit*. In paſſiva etiam forma: *Turbaſſitur*, pro *Turbatum fuerit*: *Fariator*, *Nancitor*, pro *Fari velit*, *Nactus fuerit*. Item, *Darier*, *Leibarier*; pro *Dari*, *Libari*. Sic *Oetier* & *Oitier*, pro *Uti*.

In *Conjunctis vocibus* facta interdum ſeparatio: ut *En do*, *In do*, *In du*, pro *Endo*, *Indo*, *Indu*. Sic *Indo teſtato*, pro *Inteſtato*: *Endo ponito*, *Endo jacito*, *Endo manos jactio*; pro *Imponito*, *Injicito*, *Manus injectio*. Item *Queicuomque* pro *Quicumque*: & conſimilia. Contra interdum conjunguntur, quæ alioqui ſeparari ſolent: ut *Stato leberum*, pro *Statu liberum*.

FINIS TRACTATUS
DE VETER. LATIN. SCRIPT.

JUSTI LIPSII,

TRACTATUS

DE RE PECUNIARIA VETERUM ROMANORUM.

CAP. I.

Pecunia qua materia & quando primum ſignata.

ROMANI primum uſi fuerunt quadruplici moneta, nempe, *Plumbea*, *Ærea*, *Argentea*, *Aurea*.

Plum-

Plumbeæ uſus quando cæperit, incertum.

Æs initio habuerunt rude, pondere diſtinctum, non nota. Primus Servius Tullius ſignavit æs, idque nota pecudis; unde pecunia dicta eſt: author Plinius *lib.* XVIII. *cap.* 3. *& lib.* XXXIII. *cap.* 3. Varro, *lib.* II. *de re Ruſt. cap.* 1. & Plutarchus, *in Publicola.* Quod tamen alii Jano tribuunt, ut Athenæus *lib.* XV. & Macrobius *lib.* I. *Sat.* Quidam Saturno, ut Eutropius *libro* I. Verior tamen Plinii opinio: nec repugnat, quod in priſcis nummis parte altera Jani effigies, altera navis expreſſa cernebatur, cum hanc notam Servius ipſe, vel poſteri uſurpare potuerint bonæ memoriæ cauſa. Facit huc Ovidii I. Faſtorum.

At bona poſteritas puppim ſignavit in ære
Hoſpitis adventum teſtificata Dei.

Argentum autem ſignatum eſt anno Urb. Cond. 484. F. Pictore, & Q. Oculejo Coſſ. ut Plinius voluit, quinque annis ante Punicum bellum; ſive M. Æmilio Paulo, & Fulvio nobiliore Coſſ. ut Eutropius, *lib.* II. 15. annis poſterius.

Aurum ſignatum anno 62. poſt argentum. C. Claudio Nerone, & M. Livio Salinatore Coſſ.

	As.
Nummi ærei nomina ſunt iſta.	Quadrans.
	Sextans.
	Triens.
Aurei nummi	Aureus.
Argentei hæc.	Denarius.
	Quinarius.
	Seſtertius.

CAP. II.

De Aſſe, Quadrante, Sextante, Triente.

Asses ex ære librales erant, & appendi plurimum ſolent, non numerari. Ex quo ritu & nunc in ra-

tionibus pecuniariis Expenſum ferre, & Dependere, & Impendium dicimus. Inde æs grave appellatur, & pœna æris gravis: Æris cujus legitimo ponderi nihil deeſſet. Livius lib. IV. *Indicibus*, inquit, *dena millia aris gravis, quæ tunc divitiæ habebantur, data.* Et lib. V. *Denis millibus æris gravis nos condemnavit.* Hæc primis temporibus. Poſtea tamen bello Punico ſecundo, preſſus populus Romanus ære alieno, ex ſingulis aſſibus libralibus, Sextantarios fecit: id eſt, Ex uno aſſe, ſenos, qui tamen tantundem valerent, *Plin. lib.* XXXIII. *cap.* 3. Sed & mox tertio bello Punico, Unciales facti. Poſtremo lege Papyria, Semiunciales. Aſſem libralem, ut dixi, primus ſignavit Servius. Tarquinius Superbus cæteras Aſſis partes, ut Quadrantem, Trientem, Sextantem; ut colligimus ex Fragmento Feſti in voce *Ratitum.* Quadrans (ſive Triuncis) eſt quarta pars Aſſis, plurimum quidem ære cuſus ſub Imperatoribus, tum & plumbo Martial. lib. X. Epigr. 74.

Centum merebor plumbeos die toto.

id eſt, Quadrantes. Idem *lib.* I. nigram monetam appellat plumbeam, iſtos ipſos quadrantes. Et fortaſſis antiquitus, quia Plautus in jocis aliquoties *nummuli plumbei* mentionem facit. Olim hæc merces legitima tranſvectionis erat, unde & quadrantes, *Ratiti* dicti, Feſtus & Varr. *lib.* IV. *de ling. Latin.* Poſtea præmium balneatoris. Horat. lib. I. Sat.

—— *Dum tu quadrante lavatum Rex ibis.*

Et Cicero *pro Cæl.* Plutarchus in Cic. *Sextantes & Trientes à partibus aſſis dicti.* Sextantis meminit Livius lib. II. *Plebs*, inquit, *Agrippam extulit, ſextantibus collatis.* Trientis, Feſtus, *in Ratito.* Valet autem As, ad æſtimationem noſtram, nummulos plus octo: nummulos appello, ſive denariolos, qui 24. apud Belgas ſtuferum faciunt. Quadrans valet nummulos paulo amplius duos. Quadrantes 4. Aſſem conſtituunt. Decem ſeſtertium unum. Quadraginta denarium. Simile judicium de Sextante & Triente.

CAP.

CAP. III.

De Denario, Quinario, Seſtertio.

ARGENTEI nummi tres ſpecies, quas dixi, omnes Varro *lib.* v. *de ling. Lat.* Et *Plin. lib.* XXXIII. *cap.* 3. complexus eſt. *Denarii* inquit, *dicti, qui dena æris, id eſt*, 13. *Aſſes valebant. Quinarii, qui quinos. Seſtertius, qui Semitertium.*

Denarium pondere & æſtimatione partem drachmæ Atticæ conſenſu faciunt antiqui. Notæ ejus veteres R. omnes Galeatæ, imago Caſtoris in equis, bigæ & quadrigæ. Unde bigati & quadrigati nomen pro Denario frequens, ut Livius, lib. XXII. *Pacti in capita Romana tricenis nummis quadrigatis.* Tacitus de morib. Germ. *Pecuniam probant veterem & diu notatam, Serratos, Bigatoſque.* Sed cum argentum ſimpliciter dicimus, intelligimus Denarium. Denarii dimidius, quinarius dictus; ideoque vulgo Victoriatus, quod victoriæ effigies in eo expreſſa ſit. Meminit hujus Cicero, *pro Fonteio.* Livius *lib.* XLI. & Plinius *lib.* XXXIII. *c.* 3. Seſtertius, denarii quarta pars eſt, idem alio nomine ἡμιέκτον Nummus, quia frequentiſſimus ejus in rationibus uſus. De hoc Vitruvius, lib. III. cap. 1. *In denario*, inquit, *denos aſſes æreos conſtituerunt, & quartam ejus partem de duobus aſſibus, & tertio ſemiſſe, Seſtertium vocarunt.* Æſtimatio denarii hodie eadem fere, quæ Regalis Hiſpanienſis, id eſt, Stuferi 3. cum dimidio. Quinarii & Seſtertii pro proportione. Denarium nota ſtellulæ (*) in monumentis vetuſtis. Seſtertii nota ſic, (LLS.XHS.XSS.) At Libralis eſt libræ nota, Quia ergo Seſtertius duos aſſes continet, & dimidium duo.

CAP. IV.

De Nummo aureo, ejuſque æſtimatione. Itemque de uſu nummorum promiſcuo.

AUREUS ſive Solidus (quem variis nominibus appellatum ab Imperatoribus invenio, *Flamium*, *Antonianum*, *Valerianum*) valuit denarios apud Romanos 25. id eſt, *Coronatos noſtrates binos*. Id clarum tum ex pondere, tum ex monumento Dionyſii, *lib.* LV. cui accedit Suetonius, *in Otto cap.* 4. qui ait, *Otthonem ſemper aureos ſingulos cohorti excubanti dare ſolitum*. Quam eandem rem Tacitus *lib.* XVII. narrans, *centenos nummos* dixit. Alluſit ad hunc numerum egregie Martialis *lib.* X. *epigr.* 24. in hunc modum:

Sed vitæ tribus aureis pactus.

Cum intelligat aureos circiter 70. Caute legendus T. Livii locus, lib. XXVIII. *Pro argento*, inquit, *ſi aureum dare mallem, dare conveni, dum pro argenteis decem aureus unus valeret*. De proportione enim auri ad argentum loquitur, quæ tunc decima erat, ut nunc vel hodie duodecima. Notæ aurei nummi, eædem fere quæ argentei, niſi quod creſcente ambitione, Triumviri monetales, aut ii qui monetæ cudendæ præerant, ſæpe gentis ſuæ inſignia, aut honores, aut ſacerdotia inſculpebant. Sæpe & Imperatorum triumphos, res geſtas & varia emblemata, quæ res quibuſdam ſuſpicionem fecit, nummos qui extant, honoris tantum cauſa excuſos fuiſſe, & non publici uſus, falſo; quanquam non negaverim vetuſta numiſmata & tunc quoque in precio fuiſſe, & interdum loco mercis divendita, qua de re Ulpianum lege, *lib.* IX.

De Ratione per ſingulas ſpecies ſupputandi.

RATIO ſupputandi apud Romanos uſitatiſſima per Aſſes & Seſtertios: frequentiſſima per Seſtertios, & illa

illa intricatior; non tam ſæpe per aſſes, & hæc facilior. De iſta primo dicam. Per aſſes aut expreſſo nomine, aut tacito numerant. Expreſſo ut Livius, lib. XXVIII. *Militibus quinquagenos ſenos aſſes*, id eſt, 21. aureos *diviſit*. Tacito: ut idem, lib. XXXIII. *Tritici decies centum millia binis æris populo diviſerunt*, quod eſt binis aſſibus æris. Sic centenos æris, & mille æris, & dena millia æris apud Livium frequentiſſime legimus, & ubique intelligendi aſſes.

Tabula per aſſes ſupputandi hæc ſit.

Terni æris	Valent	1 ſtuferum, & ½.
Deni æris		3 ſtuferos cum ½.
Centeni æris		35 ſtuferos.
Centum 25. æris		51 coronatum noſtratem.
Dena millia ær.		100 coronatos.
Mille æris.		10 coronatos Budæo.

Poſſunt & hæc nomina Latine efferri per Philippicos denos, centenos aſſes, & ſic deinceps.

DE SESTERTIIS.

PER Seſtertios ut numeremus, duo præcipienda ſunt: primum, diſcrimen eſſe inter Seſtertios & ſeſtertia: ita, ut illo numero, nempe maſculino, ſinguli nummi Seſtertii: iſto, nempe genere neutro, ſingula millia ſignificentur, idque indubitatum perpetuumque eſt.

Utriuſque diſcriminis tabula ſit hæc.

Duo ſeſtertii	Valent	Medium Regalem.
Duo ſeſtertia		50 coronatos.
10 ſeſtertii		2 Regales cum ½.
10 ſeſtertia		250 coronatos.
20 ſeſtertii		5 Denarios.
20 ſeſtertia		500 coronatos regales.

40 ſeſter-

40 seſtertii	Valent	10 coronatos, Budæo.
40 seſtertia		1000 coronat.
50 seſtertii		12 Regales cum $\frac{1}{2}$.
50 seſtertia		1250 coronatos.
Centeni, vel um, seſtertii		2 coronatos cum $\frac{1}{2}$.
Centum seſtertia		500 coronat.
200 seſtertii		5 coronatos.
200 seſtertia		5000 coronatos.
400 seſtertii		10 coronatos.
400 seſtertia		10000 coron.
1000 seſtertii		25 coronatos.
1000 seſtertia		25000 coron.

Cenſus Senatorum.

Alterum præceptum eſt, quemadmodum cum à ſeſtertiis ad ſeſtertia fit tranſitus, numerus millies multiplicatur: ſic cum per adverbia demum enunciamus ſeſtertia ſingula centuplicata creſcunt. Ut cum dico decies ſeſtertium, intelligo decies centena ſeſtertia, ſive decies centena millia ſeſtertia. Ergo decies ſeſtertium, & mille ſeſtertium idem valent. Diſerte Plutarchus in Antonio.

Tabula adverbiorum brevis hæc ſit.

Decies	Seſtertium valent.	25000 coronatos.	
Quindecies		37500 coronatos.	
Vicies		50000 coronatos.	
Tricies		75000 coronatos.	
Quadragies		100000 coronatos.	Tonna auri.
Quinquagies		125000 coronat.	
Centies		250000 coronat.	
Quadringenties		1000000 coronatos. *	
Millies		2500000 coronatos. †	
Decies millies		25. viginti quinque milliones.	

* *id eſt, decies centena millia coronatorum.*
† *id eſt, vicies quinquagies centena millia coronatorum.*

Hæc

Hæc eſt ſumma rei nummariæ veterum Romanorum, quæ in hiſtoriis diligenter obſervanda eſt.

Finis Tractatus
De Pecunia Romanorum.

JUSTI LIPSII
TRACTATUS
DE NOMINIBUS ROMANORUM,
COMPENDIOSE CONSCRIPTUS.

CAP. I.

Nominandi ratio intricata apud Romanos; quam ut diſtincte explicem, dicam quatuor capita. Primum de ingenuorum hominum Nominibus. Secundo, de Libertorum & Servorum. Tertio, de Fœminarum. Quarto, de Adoptivorum. Ingenuorum nomina Romæ aliter quam apud Græcos & Barbaros. Plerumque tria nomina; *Prænomen*, *Nomen*, *Cognomen*. Quo alludens Juvenalis, Sat. 5.

——— *Si quid tentaveris unquam*
Hiſcere, tanquam habeas tria nomina. ———

Auſonius, in Grypho.

Tres equitum turmæ, tria nomina nobiliorum.

DE PRÆNOMINE.

Prænomen eſt, quod nominibus Gentiliciis præponitur, diſcriminis cauſa inter Fratres & Gentiles inventum, quod haud dubie reſpondet noſtris nominibus, quæ appellamus, ut *Petrus*, *Johannes*, *Jacobus*, &c. Sed Prænomen natum eſt poſt nomen: & ideo ſervatum Romanis, ut nono quovis die, qui Luſtricus dicebatur, nomina imponerentur pueris. Prænomina (ut Epitoma Valerii ex Scævola refert) non ante diem togæ

gæ virilis ; id quæ in Ciceronis epiſtolis obſervare eſt, ubi Ciceronis pueri ſine prænomine ſemper dicuntur. Poſt togam ſumptam, Marcus filius, Quinctus filius. In imponendo ſervabant, ut plerumque filius major natu prænomen ferret patris. Secundus avi vel patruorum. Prænomina ætate ſua Varro ſcribit circa triginta fuiſſe, è quibus uſitatiſſima 18. Quorum alia unica litera notantur; ut
A hæc undecim. A. id eſt, *Aulus*, ſic dictus, quaſi
C Diis alentibus naſceretur. C. id eſt, *Cajus*, à gau-
D dio parentum. D. id eſt *Decimus*, à numero na-
K ſcendi. K. id eſt, *Cæſo*, qui ex utero matris cæſus
L eſſet, Prænomen gentis Fabiæ. L. id eſt, *Lucius*, ſive à Lucumone Hetruſco, ſive quod prima lu-
M ce natus eſſet. M. id eſt, *Marcus*, qui natus menſe Martio, ut Valerius vult, vel potius nomen Oſcum,
M ut Mamers & Mamercus. M. *Manius*, vel qui mane natus eſſet, vel à Sabina lingua, qui manum di-
N cebant bonum. N. id eſt, *Numerius*, omnis cauſa
P à numeris dictus. P. id eſt, *Publius*, vel à pube, vel
Q quod gratus populo. Q. id eſt, *Quinctus*, ab ordine
T naſcendi. T. id eſt, *Titus*, vox Sabina, vel ut alii volunt, à tuendo, quod patriam tuerentur. Dua-
AP bus literis ſcribuntur quatuor. AP. ut *Appius*, Sa-
CN bina vox ab Atta Clauſo. CN. *Cneus*, à nævo cor-
SP poris, quaſi nævus. *Spurius*, à cauſa pudenda, quia Sabinis ſpurium, dicta pars, qua fœmina eſt. Iſidorus, *lib.* IV. *Etymol.* & Plutarchus, *in cauſis*. Alias
TI dicebatur *Favonius*. TI. *Tiberius*, qui ad Tiberim
MAM natus. Tribus literis hæc tria. MAM. id eſt, *Mamercus*, prænomen gentis Æmiliæ, dictum à Mamerte, quod Oſca lingua Martem ſignificat, au-
SER thore Feſto. SER. id eſt, *Servius*, à Servo, quod qui primus id prænomen tulit in ſervitute natus
SEX eſſet. SEX. id eſt, *Sextus*, ab ordine naſcendi. Et hæc de 18 prænominibus, quæ maxime ſunt in uſu. Sunt alia in veteri hiſtoria, aliquoties obvia, ut *Anchus*, *Arvus*, *Lar*, *Hoſtius*; &c. DE

DE NOMINE.

NOMEN dicimus, quod perpetuum eſt in aliqua gente, & Prænomen ſtatim ſequitur. Reſpondet Patronymicis Græcorum, notante Priſciano, *lib.* 11. Et ut illi *Æacidas* ab Æaco, *Theſidas*, à Theſeo: ſic Romani *Julios* à Julo: *Antonios* ab Antonio dixerunt. Itaque res digna nota, exceptis admodum paucis, omnia nomina gentilicia apud Romanos in ius deſinere. Pauca, quæ excipio ſunt, *Peducæus*, *Poppæus*, & fortaſſis *Norbanus*, quanquam verius ſit hujus familiam ignorari, quam ut Norbanus fuerit nomen. Nomina omnia gentilicia ducta vel ab hominibus, vel ab animantibus, vel à locis, vel ab eventu.

DE COGNOMINE.

COGNOMEN eſt, quod familiarum diſcernendarum cauſa tertio loco poſt nomen ponitur, id repertum à variis cauſis, quas omitto. Hoc noto, cognomina hæreditaria fuiſſe, ſed ita, ut mutari à poſteris, & nova ſumi fas fuerit. Noto hoc amplius, præter cognomen, & tribum ſolere addi ſemper auferendi caſu, ut C. Verres Romulea, & Servius Sulpitius Lemonia.

CAP. II.

De Libertorum & Servorum nominibus.

QUÆ dixi, pertinet ad ingenuos, addam de ſervis & libertis. Servi antiquitus non à ſuo nomine, ſed Prænomine domini vocabant; ut *Lucipor*, *Publipor*, *Marcipor*, id eſt, *Lucii* puer, *Publii* puer, *Mar-* puer. Quintilian. *l.* 1 & Plin. *lib.* XXXIII. *c.* 1. Exolevit ille mos & obtinuit, ut uno ſaltem nomine, ſeu Græco ſeu Latino vocarentur. Et plerumque à patria, ut *Davus*, *Syrus*, *Geta*. Iidem manumiſſi, in nomina Dominorum veniebant, cognomine excepto; loco cognominis vetus ſuum nomen retinebant; ut *Marcus*, *Tullius*,

lius, *Tyro*, Ciceronis libertus. *Marcus Lucius Antonius.* Quod idem ſocii & extranei ſervabant, ut cujus beneficio in civitatem Romam veniſſent, nomen ejus ferrent, & prænomen, & apud Ciceronem exempla, & hiſtoricos obvia.

CAP. III.

De nominibus Fœminarum.

Vetustis temporibus & fœminas prænomina frequentaſſe, author eſt Varro, unde *Caja, Cecilia, Lucia, Volumina.* Progreſſu temporis conſtat non uſas, ſed tantum gentis nomine, vel integro, vel molliter inflexo appellatas, nec cognomen uſurparunt, ſed diſcriminis cauſa, ubi duæ ſorores eſſent, ſervatum, ut altera *Major* diceretur. altera *Minor.* Ubi plures, *Prima, Secunda, Tertia, Quarta, Quinta.* Vel per diminutionem *Secundilla, Quartilla, Quintilla.*

CAP. IV.

De nomine Adoptivorum.

Nec aliud in nomenclatura Romana intricatum, præter adoptionem, per quam qui alterius familiæ fiebant, in omnia nomina tranſibant adoptantis, in Prænomen, Nomen & Cognomen; tantum ut priſcum genus teſtarentur. In fine cognomen addebant, aut nomen; ſi cognomen, integrum ſervabant; ſi nomen, mutatum & inflexum. Exemplum ſervati cognominis, *Marco Junio Bruto*, quem adoptavit Q. Servilius, Cepio, Agalo: dictus igitur poſt adoptionem, *C. Servilius, Cepio, Agalo, Brutus.* Exemplum inflexi nominis, in *C. Octavio*, qui quoad adoptionem dictus *C. Julius Caſar Octavianus.*

Finis Tractatus

De Nominibus Romanorum.

JUSTI

JUSTI LIPSII

TRACTATUS

DE RITU CONVIVIORUM APUD ROMANOS.

CONVIVANDI mos apud Romanos, ut illuſtretur, tria ſunt dicenda, *Tempus*, *Locus*, *Modus*. Ad tempus pertinet, quoties ſumpſerint cibum, & quando. Antiqui, ſi Feſto credimus, ter ſumpſiſſe cibum in die videntur; unde jentaculum, ſive prandiculum, cibus qui mane; prandium, ſive merenda, qui medio die; cœna, ſive veſperna, qui ſub veſperam capiebatur. Si Nonio Marcello, quater, qui merendam à prandio diſtinguit, & poſt meridiem collocat. Sed equidem nomina potius iſta uſitata Romanis crediderim, præſertim Comœdiis Palliatis, quam rem ipſam. Bis enim tantum ſumpſiſſe cibum videntur, prandio videlicet & cœna. Excipio pueros, & ſi qui erant diſſoluti luxus: quanquam & prandia ipſa mollia erant, & ſemper ſolitaria ſine convivis. Saluſtius, ad C. Cæſarem de Repub. ordinanda. *Oratione*, id eſt, *aſperis verbis*, notat eos; *quibus bis die*, inquit, *ventrem onerare*, *nullam noctem ſine ſcorto quieſcere mos erat*. Et Suetonius, *in Vitellio*, *cap.* 53. tanquam rem ſummæ luxuriæ obſervat, quod epulas trifariam ſemper, interdum quadrifariam diſpartiebat, in jentacula, prandia & cœnas, commeſſationeſque. Sed ne Celſus *lib.* 1. *cap.* 3. quidem prandium ut ordinarium agnoſcit, & tenue id fuiſſe indicat his verbis. *Hyeme*, inquit, *ſi quis prandet*, *utilius eſt exiguum aliquid*, *& ſiccum ſine carne*, *ſive potione ſumere*: *Æſtate vero & potione & cibo corpus ſæpius eget*. *Ideo prandere quoque commodum eſt*. Cœna igitur præcipua convivii pars, cujus hora eadem fere quæ moribus noſtris merendæ, ſcilicet hora nona. Cic. Epiſt. ult. lib. IV. ad Famil. *Accubue-*

ram, inquit, *hora nona, cum ad te exemplum harum literarum, &c.* Martial.

Imperat exſtructos frangere nona thoros.

A qua hora cœnæ, dictam putant Grammatici annonam, res edules accommodatas ad nonam horam. Quanquam homines frugales ſæpe expectabant occaſum ſolis: contra, homines voluptuarii, horam nonam præcipiebant: ut illa apud Juvenalem. *Exul ab octava Marius bibit.* Quæ convivia feſtinata, niſi fallor, antiqui tempeſtiva dixerunt, tanquam nimium tempori inita, & in vitio ponebant, ut Cicero, *pro Muran. pro Arch. lib.* IV. *ad Attic.* & Seneca, *lib.* II. *de tranq. cap.* 28. Sicut intempeſtiva illa, quæ protrahebantur in multam noctem, aut uſque ad diem vel lucem. Hæc de tempore. Locus, in quo convivabant, triclinium dictus, ſcilicet à numero lectorum, qui circa menſam vulgo ſternebantur; etiam biclinium apud Plautum eſt, & ἑξακλίνιον in Athenæo, & Martiali legimus. *Et teſtitudineum menſus quater* ἑξακλίνον. *Ingemuit citro non ſatis eſſe ſuo.* Ubi tale ἑξακλίνον pro menſis ipſis poſitum videtur, ut triclinia apud Plinium *lib.* XXXIV. *cap.* 2. & 3. Pro triclinio poſterior ætas cœpit uſurpare Sigma, cujus forma videtur fuiſſe ἡμικύκλε, aut lunatæ teſtudinis. Martial.

Accipe lunata ſcriptum teſtudine ſigma.

Et alibi,

—— *Septem ſigma capit, ſex ſumus, adde lupum.*

Lampridius, in Heliogab. *Sigma de croco ſtravit, cùm ſummos viros invitaſſet ad prandium.* Sydonyus.

Mos erat his Dominis hybernum ſigma locare.

Errat Brodæus *lib.* III. *Miſcell. cap.* 4. qui menſam ipſam eo nomine dictam cenſet. Sed & locus in quo cœnabant, Diæta dictus eſt; à διαιτάομαι, id eſt, vivo ſive verſor; vel ut Varro vult, quod in ea per diem edatur. Sueton. *in Claudio, cap.* 10. & Juriſconſulti ſæpe, ut L. XLIII. de legat. L. penult. de donat. inter vir. & uxor. Plinius in epiſtolis, Lampridius. Zetam vel Zeteculam appellant, pro Diæta, more Græco ſcil. apud quos

Dores

Dores ζ pro δ uſurpant, ut ζαβάλλω pro ἀμβάλλω. Nec plura de loco: tranſeo ad modum. Romani initio ſedebant ad menſam. Servius ad illud Virgilii:

Perpetuis ſoliti Patres conſidere menſis.

Majores, inquit, *noſtri ſedentes epulabantur, quem modum habuerunt à Laconibus & Cretenſibus, ut Varro* in libro de vita populi Romani *docet*: & ſimilia Iſidorus *lib.* XX. *cap.* 2. qui idem apud Græcos antiquitus fuiſſe, ex variis Homeri locis apparet, & Athenæo *lib.* VIII. *cap.* 13. Sed paulatim creſcentibus deliciis exolevit ſeſſio; & in ejus locum ſucceſſit accubitus, non ſolum apud Græcos & Romanos, ſed etiam Afros & Barbaros, diſcimus ex Livio, *lib.* XX. de Scipione & Aſdrubale, cœnantibus apud Sypacem. Porro forma accumbendi, repræſentari ſic poteſt. In cœnaculo menſa collocabatur rotunda, magnitudine circiter quatuor pedum, raro amplior: *ex Plinio lib.* XIII. *cap.* 15. circa eam tres lecti, aulæis, purpura aut alia veſte ſtragula intecti, pro opibus cujuſque. In eos convivæ recumbebant, ſed prius poſitis calceis, ne lectum conſpurcarent, quos iterum ſumebant abituri. Hinc illa apud Plinium in epiſtol. *Quam multi, cum Lector aut Comœdus introductus eſt, calceos poſcunt, ut non minori cum tædio cubant?* Martialis:

Depoſitis ſoleis, adfertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarumque liber.

In uno autem lecto terni aut quaterni jacebant. Horat.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Si plures ſordidum id habebatur & Plebejum. Cicero, in Piſon. *Nihil apud hunc lautum, nihil elegans.* Græci quini in lectulis ſtipati. Ita fiebat, ut ex una communi menſa raro plures quam 12. veſcerentur; unde illa δωδεκάπωρ cœna apud Sueton. *in Aug. cap.* 70. Imo viri principes aut honeſtiores in uno lecto ſoli aut bini accumbebant. Et notat in Trajanum quaſi novum Xiphilinus, quod ſæpe quartus diſcumberet, id eſt, cum tribus aliis in uno lecto. Quod ſi plures quam 12. convivæ vocarentur, plures menſas & triclinia ſterni moris

erat, ut apparet ex Macrobio, *lib.* III. *Satur. cap.* 13. & ex Plutarch. *in Cæsare*, qui ait: *Populum Romanum ab eo triclinium viginti duobus millibus exceptum.* Modus accubitus hic erat: jacebant reclinata superiore parte corporis in cubitum sinistrum, inferiori in longum porrecta & jacente, capite leviter erecto, dorso pulvillis modice sufiulto. Et primus quidem discumbebat ad caput lecti, cujus pedes porrigebantur juxta dorsum secundi. Secundus pulvillo interjecto, decumbebat ad umbilicum primi; pedes extendebantur ad dorsum tertii, & sic deinceps. Ex hoc decubitu manavit summus locus, medius & imus, quorum frequens mentio apud Historicos & Poëtas. Dignitatem si quærimus, dignissimus inter lectos medius: & in eodem lecto, loco, item medius. Inde Virgilius I. Æneidos:

Aulæis jam se regina superbis.
Aurea composuit sponda, mediamque locavit.

Seneca *lib.* II *de tranq. vit. cap.* 10. eleganter. *Sermonem meum irrisit, aut palam aversatus est, & non in medio me loco, sed imo locavit.* Et aliæ hujusmodi notæ. Post hunc honoratissimus locus summus: vilissimus, imus. Et hæc quidem accumbendi ratio vulgata inter omnes fuit. Excipio pueros & servos. Pueri enim ad fulcra lectorum sedentes, vescebantur. Tacitus de more Britan. *lib.* XIII. *Ann.* Suetonius in Claud. cap. 32. & in Aug. cap. 64. *Servi in subselliis juxta lectum.* Plautus in Sticho. *Potius in subselliis civium accipiemur, quam in lecto.* Et in Persa. *Scis tu me esse imi subsellii virum?* Donatus in vita Terent. *Jussus*, inquit, *Cæcilio recitare: ad cœnandum cum venisset, quod erat contemptiore vestitu, subsellio juxta lectulum residens, legisse dicitur. Post paucos vero versus, invitatus ut accumberet, cœnasse una.* Seneca, *lib.* II. *de tranq. vit. cap* 15. Sed & fœminæ antiquitus vetabantur accumbere. Valer. Max. lib II. cap. I. *Fœminæ*, inquit, *cum viris cubantibus sedentes convivabant. Quæ consuetudo ex hominum convictu ad Deos penetravit.* Isidorus, *lib.* XX. *cap.* I. Qui tamen mos jam ante Ciceronis tem-

pora





pora exolevit, ut apparet ex libro quinto, ad Attic. *Epiſt.* 20. Ex Ovidio, Propertio & Poëtis. Poſtremo etiam, viri in luctu aut militia abſtinebant accumbere, Plutarchus *in Cato. uticenſ* obſervat, illum poſt bellum civile, nunquam niſi ſedentem cœnaſſe. Et Spartianus *in Hadrian.* author eſt, illum triclinia omnia abſtuliſſe è caſtris. Etiam Cæſar *lib.* III. *de bell. civil.* luxuriæ notam interpretatur quod in caſtris Pompeji triclinia ſtrata reperiſſet. Hæc de accubitu Romanorum. * Addo corollarii loco, eundem accumbendi morem in Judæa fuiſſe, Chriſti temporibus. Apparet clare ex Joanne, *cap.* XIII. ſcribentis, *recubuiſſe ſe in ſinu* JESU. Et Lucæ, *cap.* VII. de muliere peccatrice, quæ ſtans à tergo lavit pedes Chriſti. Et ejuſdem *cap.* XXII. 18. *cœnaculum ſtratum* nominatur, quod de lectis capiendum. Docent & verba ipſa, quibus in re convivali perpetuo utuntur Euangeliſtæ, τὸ ἀνακεῖσθαι, καὶ τὸ ἀνακλίνεσθαι.

FINIS TRACTATUS
DE RITU CONVIVIORUM APUD ROMANOS.

JUSTI LIPSII
TRACTATUS
DE CENSURA ET CENSU.

CENSUM, Cenſionemve diſtinguo proprie à Cenſura. Cenſus enumerationem & diſtributionem populi, æſtimatione facultatum continet; Cenſura ad judicium & animadverſionem in mores etiam pertinet. Cenſus id fere eſt, quod Græcis ἀπογραφὴ dicitur. Cenſura, quod τίμησις. Ille ſub regibus, Conſulibuſque aliquamdiu fuit; hæc cœpit Romæ Ann. Urb. demum 311. De utriuſque origine & modo ordine videbo. Cenſus à Servio Tullio inſtitutus, anno regni ſui 12. utiliſſimo invento,

* Hanc accumbendi formam præbet figura allata ex B. Caſalio de Conviviis &c. c. 1.

cujus tamen gloria pedes Solonem, qui Athenis diſcriminandi populi cauſa quatuor claſſes fecit, ſive, ut Plutarchus & Ariſtoteles appellant, πμήματα, in quibus cives omnes pro opibus divitiiſque ordine cenſerentur. De quibus Plutarchum omnino vide, *in Solone*. Id exemplum non dubie ſecutus Romanus Rex; numerum tamen claſſium auxit; ſive quia major populi multitudo, ſive diſcriminis ſubtilioris cauſa, & ut cujuſque opes magis diſtincte apparerent. Fecit claſſes ſex, ut Dionyſius & vulgus numerant, etſi Tubero apud Agellium, *lib.* x. *cap.* 28. quinque tantum recenſeat, nulla ratione habita ultimæ claſſis; quam & Livius Centuriam tantum appellare videtur. His claſſibus eos tantum comprehendi, qui arma ferre poſſent, recte apud Livium Fabius Pictor notavit, apparetque ex claſſium deſcriptione ipſa; in qua ſemper mentio telorum & armorum.

Claſſium typus memoriæ cauſa hic eſto.

Prima claſſis, quibus in Cenſu centum millia æris, aut ſupra, i. pecuniæ noſtratis,

circiter coronati mille. { Arma iis omnia ex ære { *Galea.* *Clypeus.* *Ocreæ.* *Lorica.* ; Tela { *Haſta.* *Gladius.*

Diſtributa hæc claſſis in Centurias 80. Quadraginta ſeniorum, totidem juniorum. Juniores intellige ex Tuberonis ſententia ab anno 17. ad annum 45. ſupra Seniores. Adjicit huic Claſſi Livius centurias duas. Fabrorum, ſine armis; qui machinas bellicas (eæ autem priſcis è ligno) geſtarent, fabricarenturque, à quo ritu in militia Romana ſemper Præfecti fabrorum. Dionyſius paulo diverſus, centurias eas ſecundæ claſſi adſcribit; ita tamen ut ad primæ Claſſis uſum eſſent. Seniorum una; Juniorum altera.

Se-

Secunda Claſſis, quibus in Cenſu 75. millia æris aut ſupra, uſque ad 100000. id eſt, noſtratis pecuniæ, coronati ſeptingenti 50.

Arma his { *Galea.* / *Scutum.* / *Ocrea.* } Tela { *Haſta* / *Gladius.* }

Quod Livius ait, *Scutum pro Clypeo imperatum*, videtur pugnare cum eodem ſcriptore lib. VIII. ubi clypeos Romanis attribuit diu poſt reges exactos. *Clypeis*, inquit, *antea Romani uſi, deinde, poſtquam facti ſunt ſtipendiarii, ſcuta pro clypeis fuere.* Sed loqui eum neceſſe eſt de prima claſſe, quæ ſola clypeos habuit Servii inſtituto, & poſuit poſtquam ſtipendia militi è publico data. Ann. Urb. 347.

Diſtributa in Centurias 20. Decem Seniorum, totidem Juniorum.

Tertia Claſſis quibus in Cenſu 50000. æris, noſtra pecunia coronati 500. { Arma { *Galea.* / *Scutum.* } / Tela. { *Haſta.* / *Gladius.* } }

Diſtributa in Centurias 20. eodem diſcrimine, quo prior.

Quarta Claſſis quibus in Cenſu 25000 æris, noſtra pecunia coron. 250. { Arma. { *Scutum.* } / Tela. { *Gladius.* / *Verutrum.* } }

Diſtributa in Centurias 20. Seniorum Juniorumque.

Quinta Claſſis quibus in Cenſu 11000 æris, noſtræ pecun. coron. 110. { Arma iis *nulla.* / Ideoque *velati* dicti. / vide Feſtum. }

Tela, Funda & lapides, ut Livius ait. Vel ut Dionyſ. σάννια καὶ σφενδονή. Diſtributa in Centurias 30. Seniorum Juniorumque. Huic autem Claſſi Livius accenſet 3. Centurias; Cornicinum, Tubicinum (male in

Livio Tibicinum) Accenſorum. Dionyſius contra in quartam rejicit, Centuriaſque tantum facit duas, ut opinor, recte. Itaque in Livio corrigendum.

Sexta, non Claſſis revera ſed Centuria tantum fuit. In ea cenſi omnes quibus infra 11000. æris, cum diſcrimine tamen aliquo, ut quibus 1500. aut ſupra æris eſſet, id eſt, 15. coronati, Proletarii dicerentur, quibus infra, Capite cenſi. Hi à Tribunis & militia diu immunes. Vide Agellium, *lib.* XVI. *cap.* 10. Hæc claſſium diviſio, ac telorum armorumque quod ad pedites quidem attinet, nam ad primam claſſem adjecti etiam equites, quorum Centuriæ 18. iis dena millia æris data, id eſt, 100. coronati, Livius ad equos emendos ſcribit, nec ſatis definit in Centuriaſne, an in equites ſingulos. Ejuſdem hæſitantiæ quod in eodem ſequitur, viduas iis eſſe attributas, quæ bina millia æris in annos ſingulos penderent. Varro *lib.* VII. *de Ling. Lat. ſub extr.* certe equum publicum mille aſſium fuiſſe clare indicat, non bis mille. Iſta ad Livii mentem (nam Dionyſius ab eo in ſumma pecuniaria leviter diſſentit; itemque Plinius *lib.* XXIII. *cap.* 3. & Agellius *lib.* VII. *cap.* 13.) de claſſibus ſint dicta, quarum inſtitutio magnæ prudentiæ, magni uſus in Rep. fuit. Primum ad tributa; quia ut noſter Livius ait, hac ratione à pauperibus onera in ditcs inclinata, quod facile intellectu. Cum enim eſſent in univerſum Centuriæ 193. ex iis prima claſſis quæ divitum erat, 98 habebat. Itaque tributo imperato, & æqualiter in centurias diviſo, plus quam media tributi pars, à prima ſola pendebatur. Reliquæ enim omnes claſſes Centurias tantum habebant 95. & in Centuriis ipſis capita plura. Alter claſſium uſus ad Comitia, id eſt, ad ſummam Rempub. fuit, ad leges ferendas, ad bella, ad pacem, ad Magiſtratum creandum, &c. Ita ut vis omnis (ut ait Livius) penes primores civitatis eſſet. Cum enim ſuffragia non viritim, ſed per Centurias numerarentur, vinceret autem Centuriarum numero ſola prima claſſis omnes reliquas; clarum, penes illam ſummam

mam Reipub. fuiſſe, plebe callide & ſenſim ab adminiſtratione excluſa, Claſſibus ergo Centuriiſque ita diſtributis, ne quis extra eas dolo malo remaneret, legem tulit de Incenſis: uti quicunque civis Romanus nomen opeſque ſuas ex fide non retuliſſet, ipſe & bona ejus publice vænirent. Quod etiam, præter Dionyſium Zonoras obſervavit, nec ſolum pœna, ſed etiam religione Cenſum ſanxit firmavitque. Inſtituit enim, ut poſt Cenſionem certo die, in ſuis quiſque Claſſibus Centuriiſque cives omnes ornati inſtructique in campo Martio adeſſent. In campo Martio dico: ſemper enim luſtrum conditum ibi, etſi Cenſus ipſe interdum in foro habitus, vel in villa publica plerumque. Ibi ſolemni ſacro, triplicique victima (ſuem, ovem, taurum fuiſſe convenit, unde *Suovetaurilia* vel *Solitaurilia* dicta) exercitum luſtrabat, cum precationis carmine, *Uti Dii P. R. res meliores amplioreſque facerent.* Etſi ea verba verecunde poſtea P. Scipio Africanus Cenſor immutavit. Valerius *lib.* IV. *cap.* 1. Deæ Luæ id ſacrum factum, quam purgationibus expiationibuſque præfectam ex eo ſuſpicor, quod Servius Tullius Rex, primus templum huic Deæ condidit, uti apud Tacitum *lib.* XV. *Ann.* ego quidem lego: nam vulgo ibi Lunæ, male, ut docco in loco. Is in cenſendo finis, & à luendo ait Luſtrum Varro appellatum. Nam Livii certe locus in etymo parum integer ſanuſque. Quod pro quinquennali deinde ſpacio uſurpatum, quia in mutatione hominum facultatumque, opus iterata Cenſione ſæpius fuit: inſtitutumque ab eodem Rege, ut in quinquennali ſingulo Cenſus repeteretur, atque ita ipſe deinceps quater luſtrum condidit, authore Valerio *lib.* III. *c.* 3. Habes rationem, quæ ſub Servio, Regibuſque & Conſulibus fuit (ii enim Cenſum egerunt loco Regum) donec proprius huic rei inventus Magiſtratus; quem & utilitas ſuaſit & neceſſitas; quia populus, ait Livius, *lib.* IV. per multos annos incenſus fuerat, nec Conſulibus, cum tot bella immincrent, operæ pretium erat id negotium agere. Ita creati Cenſo-

res Anno Urb. 311. ſic dicti, quod ad eorum Cenſionem, id eſt, arbitrium populus cenſeretur. Varro *lib.* IV. *de Ling. Lat.* Neque enim primo morum diſciplinæque regimen iis, ut opinor, datum, ſed tantum cenſendi populi jus, uti ſub regibus factum. Paulatim dignitas accrevit, & cenſura animadverſioque in mores iis permiſſa, æterno Reip. bono. De tempore tamen tantæ rei nihil acceptum, niſi quod ſtatim à creatis Cenſoribus id obtinuiſſe facile colligas ex Camilli & Poſthumii Cenſura apud Valerium *lib.* II. *cap.* 9. quæ incidit in Ann. Urb. 359. Munera Cenſorum præcipua quatuor, *Populi cenſio*, *Animadverſio*, *Vectigalium locatio*, *Templorum*, *Locorumque publicorum tuitio.* Cenſio eadem quæ ſub regibus deque forma ejus, & ſolennibus verbis Cenſorum aliquid Varro *lib.* V. *de Ling. Lat.* Animadverſio, nota dicta proprie, quam inurebant jurati Cenſores, cujus quæ vis fuerit, ex Cicerone *lib.* IV. *de Rep.* colligas. *Cenſoris judicium*, inquit, *nihil fere damnato adfert, niſi ruborem.* Itaque omnis illa judicatio verſatur tantummodo in nomine. Animadverſio illa ignominia dicta eſt, quod tamen capies κατὰ τὸ πλεῖον. Nam mulctam etiam interdum impoſuere Cenſores, uti Cœlibatus, ut apud Valerium *lib.* II. *cap.* 9. & apud Feſtum *in uxorium æs.* Animadverſio hæc in tres ordines, triplex. Cuique enim ordini adimebant quod ei ſummum eſſet: Senatori, curiam: Equiti, equum publicum: Plebejo, ſuffragium. Id factum hac ratione. Cenſores numero & facultatibus populi cognitis, in Curuli ſella ſedentes Senatum primo legebant; in ea lectione, palam omnium, tam veterum quam novorum Senatorum nomina, à Scriba recitabantur. Cujus nomen primo recitabat, magno id honori habitum, dictuſque eo luſtro *Princeps Senatus:* cujus nomen omiſſum, Ignominiæ, iſque motus Senatu intelligebatur. Neque enim aliud, de qua agimus, Motio quam Præteritio & nota quædam tacita Cenſoris, quæ tamen per id luſtrum Senatorem omni munere & dignitate Senatoria privabat.

Paulo

